SVMMA CORONA
CONFESSORVM,

MAGNIFICI AC REVERENDI
D. MAVRI ANTONII BERARDVCII
Vigilienſis, Sacræ Theologiæ Doctoris & Magiſtri.

QVARTA PARS.

Amplectens Tractatus de Sacramentis Eccleſiæ in Communi, & de eorum neceſſitate, & effectibus; de Sacramento Baptiſmi, Confirmationis, Eucharistiæ, de Sacrificio Miſſæ, de Suffragijs mortuorum, de Indulgentijs, de Pœnitentia, & eius partibus, de Extrema Vnctione, atque Matrimonio.

CVM PRIVILEGIIS.



VENETIIS, M DC III.

Apud Ioan. Antonium, & Iacobum de Franciſcis.

INDEX FIDELISSIMVS HVIVS QVARTAE PARTIS SVMMÆ CORONÆ CONFESSORVM.

In quo littera a, denotat primam paginam, b, secundam.

&c in

D

N

O

in

reci-

Verba

T


V

Verba



SVMMA CORONA CONFESSORVM.

Magnifici, & Reuerendi
D. MAVRI ANTONII BERARDVCII
Vigiliensis, Sacræ Theologiæ Doctoris, & Magistri.



PARS QVARTA.

Tractatus de septem Sacramentis Nouæ Legis, Præfatio.



LTIMA hominis felicitas, & beatitudo completa, & perfecta consistit in contemplatione essentię Dei, & eius mysteriorum: iuxta illud Io. 17. Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Hęc autē cognitio, & contemplatio in Patria habetur clara luce; vbi beati habent perfectam Theologiam de Deo, idest, essentiam diuinam per se ipsam, & intuitiuè, & omnia alia in essentia vident: sed Theologia, quę de Deo in Via habetur, est imperfectæ cognitionis: homo enim viator cognoscit ex parte, & per speculum in ænigmate, idest obscurè, ait Pau. 1. ad Corinth. c. 13. Cū igitur sacra Theologia versetur in cōtemplatione Dei, Deus, autem est Alpha, & Omega, (vt ait Ioan. Apocal. 1.) principium, & finis, merito hæc nostra Theologia secatur in quattuor partes, vt fecit Magister Sent. per quattuor libros, pro-

vt Deus quadrupliciter à nobis consideratur. In primo consideratur absolutè, vt in se subsistit, vbi de Deo tractantur omnia, quæ pertinent ad eius essentiam, & vt est principiũ. In secundo consideratur vt Creator, vbi tractatur de creaturis, qua ratione ab ipso emanãt. In tertio consideratur ut Redemptor, vbi tractatur de Christi incarnatione, & eius mysterijs. In quarto consideratur, vt Reparator, vbi dicitur de Sacramẽtis Ecclesię ab ipso Christi institutis, tãquam instrumenta reducendi nos ad finem, quæ est nostra beatitudo; qua coniungimur ipso principio, à quo originem habemus faciendo circulum perfectum. Hæc autem tota nostra Thelogia cõtinetur in Simbolo Apostolico: ut sicut Deus, & omnia, quæ in ipsa tractantur in ordine ad ipsum dicuntur subiectum tã nostræ Theologiæ, quã beatorum, ita sunt obiectum fidei per quã saluamur, iuxta illud Marci ult. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, uerumtamen quę tractantur in primis tribus libris, sufficit credere, & sapere ad sobrietatẽ, ut salui fiamus, sed de Sacramẽtis Ecclesiæ non sufficit tantũ habere fidem, sed perfectam scientiam: nam cum ipsa sint instrumenta à Christo instituta pro nostra salute; per quæ uoluit, ut nobis merita passionis eius applicentur, gratia donetur, languores animæ sanentur, & tandem hæredes, & conparticipes Regni cælorum, (à quo per peccatum fueramus expulsi) efficiamur: oportet multũ studere, quomodo debeãt ministrari, & nobis applicari, et in quo stet eorum efficacia, vt nobis prosint, & ad ueniam, et ad gloriam. Ne fortè ipsis malè applicatis, & dispensatis, amittamus eorum fructus, ideo omnibus alijs, quæ de Deo in sacra Theologia tractantur, postpositis; de septem Sacramentis tractare proposui; vbi ratione iam dicta, ualdè insistendum est.

SAMARITANVS IGITVR appropriansˢ curationi eius, Sacramentorum alligamenta adhibuit, &c.



Valis, & quantus fuerit amor Dei Opt. Max. erga Creaturam rationalē, in hac parabola ostenditur; Deus enim cum infinitus sit in potentia, quamuis effectus, quos ad extra produxit, infinitæ perfectionis facere potuisset, & numero infinita, tamen omnia constituit in numero, pondere, & mensura, præter amorem erga hominem, amauit enim eum supra modum: unde dicitur ab Ecclesia in quadam Collecta. Deus cuius misericordiæ non est numerus. Et Paulus ad Ephes. 2, Deus, qui diues est in misericordia, propter nimiam Charitatem, qua dilexit nos, &c. & certè in multis alijs locis Sacræ Scripturæ commendatur dilectio Dei erga nos, in parcendo, miserendo, & benèfaciendo: itaque non fuit contentus hominem producere ad imaginem, & similitudinem suam, homo enim non solùm accepit esse naturale, vt ceteræ Creaturæ terrestres, scilicet esse, vegetari, moueri secundum locum, & sentire: sed etiam pulchrum esse, per quod assimilatur cælestibus: habuit enim esse ad imaginem, & similitudinem Dei, vt dixi, habuit scientiam, & notitiam omnium rerum, tam spiritualium, quàm corporalium, habuit dona gratiarum, & virtutes, tam Theologales, quàm Morales: & denique eum Monarcham huius mundi constituit, & in Paradiso voluptatis collocauit, vt Deum cognosceret, & cognoscendo amaret, ut ait August. & consequenter ei obediret, operādo, & custodiendo illum, propter quam obedientiam mereretur non solùm fęlicitatem corporis, & animæ in dicto Paradiso, sed etiam post longum tempus, absque morte esse transferendum ad aliam vitam meliorem, gloriosam, & ętcrnam in cęlo, ubi Deum per

Amor Dei circa nos.

essentiam vidisset, videndo possedisset, & possidendo frui potuisset: & ut facilius hęc omnia assequeretur, eũ muniuit iustitia originali, & ornauit gratia, & virtutibus: quib. proficere potuisset in bene operando, & Deo obediendo, suam voluntatem diuinę uoluntati conformando: quæ obediẽtia cõsistebat in obseruantia pręcepti diuini, scilicet ne comederet de fructu ligni vetiti, in quo præcepto Deus eũ ꝓbare voluit, sic enim decet omnẽ creaturã obedire suo Creatori, & eũ per obedientiã agnoscere, vereri, & honorare, sed amor circa hominẽ ꝓcessit ultra: nã vt homo per inobedientiam à diuinis regulis deuiauit, statim omnia dona gratuita amisit, & indignũ ad illã cæleste gloriam se fecit, ad quã ordinatus erat: & quod peius erat, tantã ruinã nulla creatura de se reparare poterat: Homo.n. compositus Deo, ex se iustificari nõ potest: quia nihil iustitiæ, & veritatis habet, nisi peccatũ, per quod nascitur filius iræ: & vltra hoc habet pœnalitates, per quas redditur inhabilis: hinc ait Propheta. Nõ iustificabitur apud te omnis viuens. Decreuit Deus amabilis tãto malo remediũ præstare, & tale remedium dedit, ut hinc homo maiora dona perceperit: Nam vbi abundauit delictum, superabundauit, & gratia, & talis, & tanta gratia, vt filium suum mitteret ad sanandum hominem grauiter vulneratum, faciendo se illi proximum per incarnationem, accipiens naturam passibilem, vt satisfaceret. Sed quare misit eum? nonne poterat aliter ipsum sanare, & saluare? poterat quidem: non.n. defuissent alij modi, ait August. quibus naturam humanam reparare potuisset, nam ex sua infinita omnipotentia potuisset acceptare vnam minimam operationem primorum parentum, per quam peccatum humani generis fuisset deletum: huius ratio est: quia pro tanto aliqua nostra operatio meritoria est, pro quanto acceptatur ab ipsa Diuina bonitate: & omnis nostra operatio ideo bona est, quia à Deo volita, & non est contra. Sed non erat conueniens Diuinę iustitię, cui satisfaciendum erat, vnde ita satisfieri voluit, ut æquiualenter pro peccato solueretur, & iustitiæ lo-

Iob.

Psal. 142.

tiæ locum daret:quod nec Adam, nec alius de eius corrupta ſtirpe facere potuiſſet:in nullo enim inuenitur iuſtitia,&,vis tanta. Sed dices, poterat ſaltem mittere vnum Angelum, vel hominem non de ſemine Adæ, cui dare potuiſſet gratiã infinitam in genere, & humanam naturam à peccato redimere: Nam, etſi peccatum primorum parentum fuerit infinitum,& ratione obiecti infiniti offenſi, & ratione beatitudinis amiſſæ: quod erat bonum infinitum, & æternum: & ratione mali infiniti, quod produxit: quia corrupit totam poſteritatem:quæ in infinitum multiplicari poterat,ſi Deus finem non imponeret: tamen quia hoc malum non fuit infinitum formaliter, & ſimpliciter, ſolus.n. Deus eſt infinitus ſimpliciter,& formaliter: ſed fuit infinitum ſecũdum quid, vnde poterat vnus Angelus, vel homo, vt dixi per gratiam infinitam ſecundum quid, mereri ſalutẽ humani generis,& pro eo ęquiualenter ſatisfacere,& conſequenter de rigore locus iuſtitiæ datus fuiſſet. Et quamuis hoc ſufficeret, tamen nec modus iſte cõueniens erat: primò quia ad ſatisfaciendũ de rigore iuſtitiæ opus eſt, vt ſoluatur de non acceptis, ſed gratia iſta erat donum Dei, ergo ſequeretur, quod ipſe ſibi ſoluiſſet;& ſi dicatur,ꝙ hoc parum refert ad ſaluandum actũ iuſtitiæ,dummodò ſatisfactio ſit æquiualens,non fuit conueniens propter alias cauſsas:ideo ſecundò dico, ꝙ non erat conueniens,vt Angelus,vel alius homo ſatisfaceret pro peccato cõi totius generis humani: tunc.n. homo fuiſset duob. obligatus,& Deo pro creatione, & Angelo, vel homini pro redemptione,& ſic vnus fuiſset Creator, & alius Redẽptor, itaq; conuenientius erat,vt idem eſset Creator, & Redemptor, tum,vt oſtenderet quantum nos diligit;tum ẽt, vt nos magis alliceret ad amorem ſuũ, & magis obligaremur eidẽ, qui aliter nos redimere potuiſset:vnde Apoſt. ad Ro.5.Comendat Deus ſuam charitatem in nobis, quoniam cum inimici eſsemus,Chriſtus pro nobis mortuus eſt; tertiò, quia inducitur homini neceſsitas abſtinendi à peccatis,dum cogitat ſe ſanguine Chriſti eſse redemptũ; quartò,quia hic mo-

Peccatũ Adæ quõ fuerit infinitum.

Quare non, Angelus, vel purus homo nos redemerit.

dus cessit maiorem hominis dignitatem, contra Diabolum: Nam sicut homo victus fuerat à Diabolo, ita decens erat vt non Angelus Diabolũ vinceret, sed homo, & homo de stirpe Adæ, & non aliundè, vt verificaretur illud Genes. 1. *Ipsa conteret caput tuum.* Et quamuis Diuus Anselmus in libro, Cur Deus homo: per multas rationes conetur probare, nõ solum congruentiam, sed necessitatem redimendi hominem à Christo Deo, & homine, dicitur, ꝙ suæ rationes procedũt, supposita ordinatione Diuina: ipsa enim summa Diuina sapientia, infinita bonitas, ineffabilis charitas, & ardentissimus amor Dei, ex quo vidit in illo speculo increato, & abysso substantiæ infinitæ, idest in essentia sua, ab instanti suæ æternitatis, Adam, quem ordinauerat cum tota sua posteritate ad æternam beatitudinem, casurum in peccatum, & per hoc ipsum, cum tota sua posteritate remanere exclusum ab illa, decreuit totum genus humanum redimere velle, & vt maximam charitatem ei demonstraret, voluit, vt hæc redemptio per proprium suum filium incarnandum fieret: & quem destinauerat Glorificatorem, voluit occasione peccati, esse etiam Redemptorem. Hoc est quod ipse Dominus Luc. 10. ostendere voluit, sub illa parabola tacta à Magistro in principio iiij. Sent. vel vt melius dicamus, historia, secundum aliquos. Nam Hierusalem est Ciuitas in montibus, & Hierico in campestribus, & ideo dicit descẽdebat secundum literã, inter quas Ciuitates erat in media via quædam sylua, in qua latrones deprædabantur transeuntes, & ne proderẽtur à spoliato, qui eos cognoscebat, curauerunt eum interficere, & ita putarunt fecisse. Dicit ergo: homo quidam descendebat ab Hierusalem in Hierico, & incidit in latrones, qui etiam spoliauerunt eum, & plagis impositis, abierunt, semiuiuo relicto: accidit autem, vt Sacerdos quidam descenderet eadem via, & viso illo, præterijt: similiter & Leuita, cum esset secus locum, & videret eum, pertransijt: Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum, & vidẽs eũ, misericordia motus est, & appropinquans, ligauit vulnera

eius,

eius, infundens oleum, & uinum, & imponens illum in iumentum suum,duxit in stabulum:& curam eius egit; & altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: curam illius habe:& quodcũque supererogaueris, ego cum rediero reddam tibi. Hæc est allegoria huius historiæ ad nostrum propositum.(Homo quidam)idest Adam, & tota sua posteritas, quæ in illo uirtualiter intelligebatur, tanquam in principio, & radice, hic misticè designatur (descendebat ab Hierusalẽ)ab illo statu felicissimo, ad quem fuerat destinatus, & ideo ab Hierusalem Ciuitate Regia, & Metropoli, in qua multa bona possidebat, in illo enim fęlici statu innocentiæ, homo primo possidebat scientiam, & cognitionem perfectam omnium rerum creatarum,tam superiorum, quam inferiorum, per species sibi à Deo infusas, tanquam principiũ, & caput omnium successorũ, qui ab eo addiscere potuissent,& gubernari:& ideo habuit etiam de supernaturalibus tantam cognitionem, quanta erat necessaria ad gubernationem vitę humanę;secũdum illum statum, per colloquia,& familiaritatem Angelorum.Secundò,posſidebat trã quillitatem,& pacem inter potẽtias animę: sicut.n.eius voluntas per conformitatem uoluntati diuinæ subiecta erat, item potentiæ animę inferiores,s.concupiscibilis,& irascibilis,potentijs superioribus,s.rationi,& uoluntati obediebãt. Tertiò, erat exemptus ab omni corporis defectu,& miseria, itaque poterat non mori:erat.n.immortalis per gratiam, & non per naturam.Quartò,omnia animalia ad nutum ei obediebant,tanquam Domino.Quintò,& ultimò,posidebat paradisum deliciarum,in quo habebat quidquid desiderare poterat, sine aliqua indigentia ad uitam nutriendam, & conseruandam,& ultrà hęc,promissionem habuerat in futurum perueniendi ad cælestem paradisum per translationem, sine morte in sempiterna vita:omnibus istis se priuauit, deuiando à uolũtate diuina,& ideò descendebat, idest per arbitriũ suę uoluntatis à Deo se elongauit, ei non parendo, & quo descendebat? (in Hierico) idest in defectus mortalitatis, &

carnis, per conuersionem ad effectus appetitus sensitiui, ex complacentia mulieris. Hiericò namque, ut ait D. Gregorius, Luna interpretatur. Luna autem in sacro eloquio pro defectu carnis ponitur (& incidit in latrones) ideſt in poteſtatem Diaboli, & eius ſequaciũ: Nam ſtatim, quòd ingreſſus eſt ſyluã, quæ inſidias occultabat, ideſt, parere uoluit uerbis falſis inſidiantis inimici per mulierem, incidit in manus eius: (qui etiam ſpoliauerunt eum) ideſt omnibus ſupradictis bonis priuarunt. Nam ſugeſtioni Dæmonis aſſentiendo, amiſit iuſtitiam originalem, gratiam Dei, uirtutes oẽs ſibi infuſas, amiſit illam claritatem ſcientię, unde Deum ſine medio uidebat: Nam poſtea non habuit illam in tanta perfectione, ſenſit rebellionem inferiorum potentiarum, effectus eſt calamitoſus, & mortalis de neceſſitate, omnia animalia eum fugerunt, immò fuerunt ipſi cõtraria, & niſi Deus poſt diluuium in animalibus terrorem hominis poſuiſſet, infelix homo uix practicare potuiſſet. Et denique fuit expulſus ab illo amęniſſimo, & pleno delitijs loco, in hãc uallẽ lachrymarũ, & mundum ſterilem, vbi cœpit egere, & taliter ſpoliatus fuit, ut ſentiret ſe eſſe nudum; Et quod peius eſt, (plagis impoſitis) quantum ad malas, & peruerſas inclinationes, & pœnalitates, quę in natura remanſerunt, tam ipſi quam toti poſteritati, omnes enim poſteri incurrerunt corruptionẽ naturę, per quam liberum arbitrium remanſit vulneratum, ideſt debile, ad bene operandum, (ſemiuiuo relicto) quamuis enim liberum arbitrium non fuerit totaliter extinctum, remanſit tamen ſemiuiuum.i. ita imbecille, & diminutum, ut de ſe nõ poſſit ad bonum redire: natura namque, etſi ablata non fuerit, remanſit tamen ita debilitata, & diminuta, ut de ſe non poſsit benè operari, & peccata uitare. unde dicitur, quòd fuit expoliatus gratuitis, & vulneratus in naturalibus, & ita iacebat (accidit autem, ut Sacerdos quidam) vulneratus enim ſecundum literam, erat Iudęus: & ideo dicitur Sacerdos de gente ſua, moraliter intelligitur homo de ſtirpe Adæ, in Lege Naturæ, (deſcenderet eadẽ via,) quia eodem

dem modo deuius,& maculatus, vt Adam, (& uiso illo) id-est cognitio defectu huius hominis mystici, scilicet humani generis ita uulnerati (pertransijt) idest non potuit ei auxilium præstare per dogmata, & præcepta moralia Philosophorum, quæ etsi aliqualiter iuuabant, non tamen poterãt hominẽ à peccato liberare (similiter, & Leuita) i. Lex Mosaica (cum esset secus locum) .i.cum esset vicinior cognitioni,& cultui Diuino, cum sacrificiis (& uideret eum) idest cognosceret defectum humani generis, (pertransijt) .i.non potuit per sacrificia hominem iustificare (Samaritanus autẽ, secundum literam qui erat homo alienigena, & inimicus Iudæorum, intelligitur moraliter Christus Iesus, qui erat alienigena.i.non de semine Adæ quantum ad propagationẽ, & uirtutem seminalem: sed quo ad carnem tantum, unde erat expers peccati, quamuis apparuerit in similitudinem carnis peccati (alienigena).i.inimicus generis humani, quia ab eo offensus, unde Paulus: Cum inimici essemus, &c. (iter faciens) dum.s.incarnatus est, (uenit secus eũ).i.in hunc mundum, vbi erat homo sauciatus (& uidens eum).i.cognoscens suã miseriam, quia iacebat in peccato, & ex se surgere non poterat, & nemo poterat eũ adiuuare, itaq; desperatus erat de sua salute: quia oẽs peccauerãt, & indigebãt gratia Dei (misericordia motus).i.vinctus amore, decreuit eũ adiuuare (appropinquans).i.nascẽs, & apparẽs in mũdo, ut homo (ligauit uulnera eius) per seminationẽ doctrinę, toto tẽpore, quo in terris uisus & cũ hominibus conuersatus est (infundens oleum) .i.remittens peccata pręterita (& uinum) .i.præcipiens ne in futurum peccarẽt, (uel infundens oleum).i.dãdo eis spem futurorum bonorum (& vinũ) .i.exhortãdo eos ad benè operandum, imponens super iumentum suum.i.ponẽs omnia peccata mundi super carnem suã, patiendo pro eo in Cruce: unde in persona suorũ membrorũ, & ratione naturæ corruptæ, in membris sibi mysticè vnitis, quandoq; se nominat peccatorẽ, & peccata membrorũ dicit esse sua, dicendo per os Prophetæ: Nõ est sanitas in carne mea à facie pecca-

torum meorum. Et alibi: Delicta mea à te non sunt abscondita: quod dicit, non quòd ipse fuerit peccator, quo ad culpam, sed quo ad pęnam, in quantum pro suis membris peccatoribus pati uoluit, & illos à morte, & pœna ęterna liberare. Vnde Dauid in persona Christi dicit: Quæ non rapui, tunc exsoluebam: & ideo posuit hunc hominem mysticum sic sauciatum in iumentum suum (& duxit in stabulum) literaliter stabulum erat hospitium, ubi peregrini & itinerantes quiescebant, & reficiebantur, moraliter significat Ecclesiam, in qua nos, qui in hoc mundo peregrinamur, reficimur à laboribus per uerbum Dei, & spem cælestium, (& curam illius egit) in quantum per legẽ Ecclesiæ uoluit nos esse saluandos: Nam extra Ecclesiam non est salus, (& altera die,) .i. post suam resurrectionẽ, (protulit duos denarios) .i. Sacramenta nouæ legis, tunc. n. uoluit ea ad salutẽ esse necessaria, (& dedit stabulario) dum præcepit Apostolis ea ministrare, sicut, n. qui à uulnere mortali liberatur, dum est conualescens, & nondum pristinæ sanitati restitutus, indiget multis remedijs restauratiuis, & conseruatiuis, propter debilitatem, & reliquias ex uulnere derelictas, ita iste homo mysticus, quamuis fuerit per passionem Christi liberatus à morte peccati, in quo iacebat, tamen cum non sit adhuc restitutus illi pristinæ innocentiæ, & vitę perfectę, propter malas dispositiones, pęnalitates, & reliquias, quę remanserunt, effectus debilis, imbecillis, & difficilis ad benè operandum, & quandoque per aliquam recidiuationem impeditur, ne totus sanus fiat. i. ne saluetur finaliter, indiget Sacramentis, quę sunt medicinę, & remedia ad omnia ista mala, vt infrà uidebitur. Quę Sacramenta sunt commendata Pręlatis, & Curatis Ecclesię, ut per ipsos dispensentur populo à Christo Redemptore. quibus Christus amabilis Samaritanus dicit: (curã illius habe). i. vos Apostolos, & deinde successores vestros legitimos post vos, eligo Pręlatos, & Curatos Ecclesię super populum meum, quibus ministretis Sacramenta salutaria secundum eorum indigentiam, & necessitatẽ, quan-

do

do dixit: Euntes ergò, docete omnes gentes, baptizãtes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritussancti. Et alibi: Quæcũque ligaueritis super terram: &, Accipite Spiritumsanctum, quorum remiseritis peccata, &c. (curam illius habe) ne tua negligentia pereat. i. ne somno negligentię aggrauatus, permittas eum viuere modo suo, (curã illius habe) ne tua ignorantia in ministrando, effectum salutis non sortiatur, deficiẽdo in his, quæ sunt de essentia (curam illius habe) ne propter medicamenta contraria aggrauetur consulens oppositum veritatis, (curam illius habe) ne ministres ea illi cui nõ decet, aut deneges ei, qui dispositus est, (curam illius habe) ne auaritiæ uitio, aut negligentia deficias in ministrando, & moriatur sine Sacramentis (curam illius habe) ne pascas te ipsum, & non illum, totam curam ponendo in exigendo redditus Ecclesiæ, & Decimas, & de subditis nõ cures: quia scriptum est: Væ Pastoribus, qui pascunt seipsos, & cum omnia compleueris (quodcunque supererogaueris, ego cum rediero, reddam tibi) idest si curam animarum, quam tibi commendo, rectè gesseris, ac Sacramenta prædicta benè dispẽsaueris, ego cum rediero, in die iudicij vniuersalis, reddam tibi, idest dabo retributionẽ æternæ gloriæ. O Beati Sacerdotes, & Curati, quibus commendatur animarũ cura, pro qua Christus facit se vestrum debitorem; Vnde Beatus Ambrosius sic ait: Beatus ergo stabularius, qui alterius vulnera curare potest, beatus ille, cui dixit Iesus: Quodcunque supererogaueris reddam tibi. Nam quando reuerteris Domine, nisi in die iudicij? Nam licet vbique sis semper, & stes in medio nostrum, haud cognitus, & quasi auersus à nobis, erit tamen tempus, quò vniuersa carò te reuertentem recipiet, & tunc reddes, quod debes: beati illi quibus es debitor. Et ècõtra si in die aduentus eius inuenerit stabularium non benè curasse hominem vulneratum, cuius curam ei commisit, pro retributione, vltionem dabit: ita enim dicit in alio loco, sanguinem eius de manu tua requiram, & Prophet. dicit, Maledictus homo, qui opus Dei facit negligenter.

Nos

Nos igitur, quibus commissa est cura istius hominis mystici atrociter sauciati, ad reddendum illi pristinam sanitatem per medicamenta efficacia.i. Sacramenta Nouę Legis, nobis tradita ab illo pijssimo Samaritano Christo Domino, vt finaliter reducatur ad illam beatam Hierusalem, vnde deuiauerat, vt dicta medicamenta salubriter applicare possimus, & effectum salutis inducere, seruitium nobis commissum fideliter perficere, vt retributionem, & pręmium nobis promissum iustè lucremur, de septem Sacramentis Ecclesię in hoc volumine, cum illius adiutorio, qui dignatus est nos ad hāc sortem vocare, tractabimus, non ad scholasticorum, sed ad ministrorum Ecclesiæ ædificationem: & ideo ad eorũ faciliorem intelligētiam nostrũ stylum accommodabimus: vbi duo principaliter faciemus, primò dicemus de ipsis in communi, deinde de vnoquoq; per ordinem in particulari.

SVMMARIA SEQVENTIS CAP. I.

1 *Sacramenti nomen diuersimodè potest sumi.*
2 *Sacramenti definitio.*
3 *Coniugium primorum parentum non fuit Sacramentum, sed signum rei sacræ, &c.*
4 *Sacrificia legis Mosaicę impropriè vocantur Sacramenta.*
5 *De ratione veri Sacramenti est significare, & sanctificare hominem.*
6 *Necesse est, vt Sacramentum sit semper sensibile signum.*
7 *Sacramentum gerit similitudinem illius rei, cuius est signum.*
8 *Sacramenta constant ex materia, & forma.*
9 *Sacramentum vnumquodq; ita determinatam habet materiam, & formam, vt si aliquo modo varientur, non conficiatur Sacramentum.*
10 *Sacramenta Euangelica quodammodo sunt causa gratiæ.*
11 *Varij modi attribuendi causalitatem Sacramentis, & variæ multorum opiniones.*
12 *Sacramentum dum rectè suscipitur, semper gratia confertur, & quomodo, vide num. 19.*
13 *Sacramenta sunt formaliter, & per se causa instrumentalis Dei, producendi effectum spiritualem in anima.*
14 *De gratia dupliciter possumus loqui.*

15 *Passiones*

15 *Passiones nihil reale ponunt in Deo, & quomodo intelligatur, Deum irasci, pœnitere, amare, &c.*
16 *Sacramenta sunt causa gratiæ non productiua, sed dispositiua, & inductiua.*
17 *Duplex est instrumentum.*
18 *Quæstio de aquæ motu, qui est duplex, naturalis, & spiritualis.*
19 *Sacramenta continent gratiam virtualiter.*
20 *Sacramenta non erant necessaria in statu innocentiæ.*
21 *In statu Naturæ lapsæ necesse fuit instituti aliqua Sacramenta.*
22 *Tria Sacramenta instituta tempore Legis Naturæ.*
23 *Cur in Lege Euangelica debuerint esse aliqua Sacramenta.*
24 *Deus in rebus liberè agit.*
25 *Sacramenta triplici ex causa instituta fuerunt.*
26 *Gratia Sacramentalis est principalis effectus Sacramentorum.*
27 *Gratia Sacramentalis differt à gratia communi, & de varijs nominibus gratiæ.*
28 *Character est secundus effectus Sacramentorum, & quid sit, & in quibus Sacramentis conferatur.*
29 *Causæ Sacramentorum variæ, principalis, instrumentalis, & efficiēs.*
30 *Solus Deus potest instituere Sacramenta Nouæ Legis.*
31 *Apostolis non fuit data auctoritas instituendi Sacramenta, & quare.*
32 *Solis hominibus datum fuit ministerium conferendi Sacramenta, & quare.*
33 *Confirmationem, & Extremam Vnctionem instituit Christus.*
34 *Septem sunt Sacramenta Nouę Legis, & quę.*
35 *Sacramenta Nouę Legis sunt instituta contra defectus naturę lapsę.*
36 *Defectus est duplex, culpę & pœnæ: & eorum subdistinctio, & remedia.*
37 *Sufficientia Sacramentorum potest sumi per comparationem ad tres virtutes Theologales, & ad quattuor Cardinales.*
38 *Omnia Sacramenta ordinantur ad Eucharistiam tanquam ad finem.*
39 *Necessitas Sacramentorum multiplex.*
40 *Fides de Christo venturo erat remedium contra originale peccatum in Lege Naturę, & Circumcisio in lege scripta.*
41 *Fœminę Hebręorum per fidem parentum iustificabantur sine Circumcisione.*
42 *Post Aduentum Christi Circumcisio mutata fuit in Baptismum.*
43 *Baptismus Ioannis ad quid ordinabatur.*

DE

DE SACRAMENTIS IN COMMVNI.

Cap. I.



IRCA communem considerationem de Sacramentis, quinque sunt examinanda. Primò videndum est, de eorum quidditate. Secundò de necessitate. Tertiò de effectibus. Quartò de causa efficienti. Quintò & vltimò, de numero,& sufficientia eorumdem Sacramentorum.

1 *De Sacramẽtorum quidditate.* Quantum ad primum, est aduertendum, quòd hoc nomen Sacramentum diuersimodè sumi potest. Illa enim, quæ ad aliud ordinem habent, diuerso modo denominantur. Puta ab hoc nomine, Sanitas, aliquod denominatur sanum subiectiuè, vt homo dicitur sanus,quia est subiectum sanitatis. Vel denominatur causaliter, vt medicina dicitur sana; quia est effectiua sanitatis. Vel denominatur significatiuè,& hoc modo urina dicitur sana,quando significat sanitatem, idest demonstrat sanitatem in eo,qui illam minxit. Ita res sacræ diuersimodè dici possunt Sacramenta,uel subiectiuè inquantum continent in se aliquam sanctitatem occultam, & hoc modo Sacramentum uocatur sacrũ secretum,quale est Dei,aut Regis,aut Reip. Ita Angelus ad Tobiam,ait Cap.12.Sacramentum Regis abscondere bonum est,opera autem Dei reuelare,& confiteri honorificum est. Vel effectiuè,& hoc modo Iuramentum dicitur Sacramentum,ut habetur 22.quæst.4.cap. Qui Sacramentum. Est enim Iuramentum actio quędã, & confirmatio, quæ fit per sacra. Vel sumitur significatiuè inquantum significat rem sacram,ut dicebamus de vrina sana, quæ significat sanitatem, & hoc modo hic sumitur: unde sic definitur ab August.libro 10.de Ciuit.Dei,à quo accepit Magister Sent.dist.2.

Definitio. Sacramentum est signum rei sacræ,uel inuisibilis gratiæ visibilis forma, ut ipsius imaginem gerat,& causa existat.

Dicitur signum à significando: pro quo nota, quòd signum est quędam res, quæ facit uenire in cognitionem aliud quam est illud, quod sensibus ingerit: puta tabella picta,quæ pendet ante ianuam tabernæ,aliud oculis ostendit, & aliud significat:ostendit quidem picturam quandam in tabella pendente,& significat hospitium;vbi enim talis pendet,datur intelligi,ibi hospitari peregrinos. *Signa naturalia.* Horum signorum,quædam sunt naturalia,ut fumus,est enim fumus signũ ignis: Nam oculis repręsentat uaporem à terra eleuatum, & significat ignem esse ibi. Alia sunt data,ut in exemplo de tabella; Tabernarius enim,uel alius dat signum tabella,uel arundine,uel ramis alicuius arboris, secundum libitũ, ad significandum ibi esse hospitium transeuntiũ. *Signa data quędam rerũ naturalium, & quędã spiritualium.* Et signorum datorum,quædam sunt signa rerum temporalium,ut in exemplis datis; Quædam autem spiritualium; & ideo adiunctum est in Definitione rei, sacrę; Nam hęc signa, quę significant res sacras, dicuntur Sacramenta; Dicitur ergo: Sacramentum est rei sacrę signum,non tamen omnis rei sacrę. Vnde omne Sacramentum est signum rei sacrę, & non econtra: sunt enim multę res, quę etsi significant aliqua sacra,& spiritualia,nõ tamen sunt Sacramenta,prout hic de Sacramen-

tis loquimur:unde in Lege Naturæ Coniugium primorũ parentiũ fuit quidem 3
signũ rei sacræ,scilicet coniugij Christi,& Ecclesiæ,non tamen fuit Sacramentum,vt hic dicimus:& quamuis ab Apost.Paulo uocetur Sacramẽtum; tamen fuit præsagium mysteriorum Christi, qui Ecclesiam sibi desponsauit:ideo subiungit; Dico autem in Christo, & Ecclesia, itaque fuit illis in officium,nobis autem Christianis in verum Sacramentum, vt dicemus suo loco (Deo duce) Sacrificium etiam Melchisdech in pane,& uino fuit signum rei sacræ,significauit enim tantum Eucharistię Sacramentum,non tamen eodem modo.Nam illud significauit per modum similitudinis in materia tantum: sed Eucharistia significat gratiam per modum sanctificationis, in qua consistit vera, & propria ratio Sacramẽti In Lege Scripta sacrificia,& oblationes,& huiusmodi lar 4
go modo,& impropriè vocãtur Sacramenta, Nam etsi significabant gratiam per Christum conferendam,ut dicemus,non tamen illam attingebant; sed erant sacrificia carnalia,& obseruãtiæ cæremoniales,quæ non poterant viuificare offerentes illa, vt requiritur ad rationem proprii Sacramenti,de quo est sermo; vnde Paulus ad Hebræos Cap.9.Sanguis hircorum, & taurorum, & cinis uitulę aspersus, inquinatos sanctificat, ad emundationem carnis tantum, & non animæ: vnde de ratione ueri Sacramenti est,significare, & sanctificare 5
hominem,ut Euangelica;hinc colligitur, quod per rem sacram intelligitur hic gratia iustificans hominem; & ideò positum est in definitione (uel inuisibilis gratiæ uisibilis forma) ad maiorem declarationem;Nam Sacramentum est forma uisibilis, idest signum uisibile,per quod significatur gratia inuisibilis, quæ confertur per illud signum.

Sacrificium Melchisedech.

Sacrificia legis antiqua.

Sed nota,quòd opus est,ut Sacramentum semper sit aliquod sensibile signũ; 6
hęc autem necessitas non accidit ex parte Dei; poterat enim Deus aliquod spirituale remedium pro peccatis instituere,puta meditationem, suę passionis, delictorum mentalem detestationem, uel simile; & illud fuisset uerum Sacramentum ad peccatorum Indulgentiam: sed talis necessitas accidit ex parte nostri, propter conuenientiam: Deus enim prouidet vnicuique rei secundum modum illius naturę.Hinc dicitur Sap. 8.Attingit à fine vsque ad finem fortiter vt p visibilia,ad inuisibilia se rapiat, vnde cum res sacræ,quæ per Sacramenta significãtur,sint quædam spiritualia, & inuisibilia dona, quibus sanctificatur homo;quæ cum per se non posint hominem inducere in sui cognitionem, vel alterius:conueniens fuit, vt per sensibilia signa,eorum effectus homini innotescerent, tanquam per ea,quæ per se ducunt in alterius cognitionem; quia omnis nostra cognitio ortum habet à sensu, test.Arist.3.de anima.Adiunctum est definitioni(vt ipsius imaginem gerat.) Nam Sacramentum gerit similitudinem illius rei, cuius signum est:si enim similitudinem rei cuius signum est non haberet, non esset propriè Sacramentum. Ad cuius rei euidentiam sciendum est,

Quare Sacramentum est signum sensibile.

Et disponit omnia suauiter,est.n.naturaliter hom ini,&c.

Deũ optimũ Maximum cum sit omnipotens circa operationes ad extrà, pro assecutione alicuius finis à nulla re extrinseca astringi: itaque dum facit aliquid in mundo medijs creaturis, sua uirtus non alligatur illis,ita ut sine illis effectum producere non ualeat; unde,sicut sine Sacramentis gratiam donare potest, & quæcunque peccata dimittere; ita per vnum Sacramentum quãcunque gratiam ad producendum quemcunque effectum spiritualem, donare potuisset: veruntamen sicut voluit per signa sensibilia nobis uirtutem sacramentorum spiritualem innotescere(ut dictum est) ita per diuersa sacramenta, diuersos effectus spirituales, quos in nobis operatur, per ipsa ostendere placuit;in quibus sacramentis non solum voluit,ut vteremur rebus determinatis, ex ipsius institutione,& non ad nostrum libitum; sed etiam,vt illæ res haberẽt quan-

quandam similitudinem ad effectus spirituales, quos producunt; vt Plebes fidelis, per illas instrueretur, & intelligeret, quid Deus operatur in nobis per ipsorum Sacramentorum applicationem: puta volens per Sacramentũ baptismi abluere sordes animę, illud instituit in elemento aquæ; ut intelligeremus hanc similitudinem; scilicet, sicuti aqua est res, per quam sordes corporis mundantur, ita per illius applicationem intelligeremus animæ ablutionem, & mundationem: & uolens per Sacramentum confirmationis nos roborari, ut fortius fidem confiteamur coram hominibus, illud instituit in materia olei, vt intelligeremus hanc similitudinem; scilicet, sicut per olei vnctionem roborantur corporis uires, prout utebantur athletæ, tempore antiquo; ita per illam sacram vnctionem intelligeremus animæ Christianę uires roborari, circa fidei confessionem: & uolens per sacram Eucharistiam animas nostras spiritualiter reficere; Sacramentum illud in pane, & uino instituit, ut intelligeremus, quòd sicut ista signa sensibilia corpus naturaliter nutriunt, & reficiunt, illa per sumptionem ipsius sacramenti nos spiritualiter refici: & ita de illis intelligendum est. Itaque sacramenta nouæ legis, ita rei sacræ similitudinem gerunt; ut significent interius efficere, quod foris significant, operando.

Et ut homo clarius intelligeret, quæ Deus per hæc signa exteriora, & res sensibiles, quæ foris applicantur, intus operatur; sicut vnicuique Sacramento instituit diuersas res, ita diuersa; & indistincta uerba exprimenda, quę arctius, & strictus, quæ significant, explicarent: puta dicendi, dum aquam infundit, ego te baptizo, restringit se ad significandum propriè ablutionem animę. Vnde Vgo Sacramenta & similitudinem repręsentant, & ex institutione significant.

8 *Sacramenta constãt ex materia, & forma.* Hinc habemus duo, vnum est, quod Sacramenta Euangelica constant ex materia, & forma, i. ex rebus, & uerbis: iuxta illud August. Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum: & hoc ex solius Christi institutione, qui Sacramenta instituere potuit. Sed quod res dicentur materia, & uerba dicentur forma; ex usu Doctorum sic loquentium, ex quadam similitudine ortum habuit, Quem vsum loquendi postea factum Con. Florent. comprobauit dicens: Omnia Sacramenta tribus perfici scilicet, rebus tamquam materia, & uerbis tamquam forma, & persona ministri. Alterum est, quod in vnoquoque Sacramẽto

9 ita est determinata materia, & forma, vt si aliquo modo varientur, nõ conficeretur Sacramentum, vt in propriis locis dicetur. Et si quæret aliquis, ut fundatur hæc ueritas: dico in Sacra Scriptura Euangelica; quamuis non habeatur in terminis ita expressis quantum ad omnia: tamen ex ipsa colliguntur, vt in vnoquoque Sacramento videbimus.

Dicitur tandem (& causa existãt) ad ostendendum excellentiam Sacramentorum Noue Legis, qua ueteribus præstant, & ab eis differunt; illa namque tantum significabant salutem, & ideo erant signa tantum; ista verò, vt significant, & dant salutem, & ideo sunt signa, & caussæ.

Pro qua re duo hic breuiter valdè notanda sunt; unum, scilicet de re, alterũm de modo.

10 *Sacramenta causant gratiam.* Quantum ad primum, omnes Doctores confitentur Sacramenta Euangelica aliquo modo esse caussam gratiæ: rationem huius veritatis assignat D. Tho. 3. P. q. 62. art. 1. dicens: Per dicta Sacramenta homo Christo incorporatur, teste Paulo ad Galatas: quorquot baptizati estis, Christum induistis; hoc autem fieri non potest nisi per gratiam, ergo dicta Sacramenta illam causant.

Extant, & multa loca Sacræ Scripturæ, & testimonia Sanctorum, dicentiũ, Sacramenta Nouæ legis conferre gratiam, donare salutem, & sanare à peccatis, quòd

tis, quod idem est; denique de hoc extat determinatio sacri Conc. Trident. Sess. 7. Can 6 ubi dicitur, Sacramenta nouæ legis continere gratiam, & illam conferre, & non esse tantum signa externa.

Quantum ad secundum sunt uariæ opiniones propter uarios modos attribuendi causalitatem Sacramentis: aliqui enim negant omnem ueram causalitatem à Sacramentis, sed propter reuerentiam sanctorum, qui sic de Sacramentis locuti sunt, dicunt; Sacramenta non esse caussam efficientem, neque instrumentalem respectu gratiæ; sed dici caussam, Probant primam partem, nulla Creatura, etiamsi esset supremus Angelus, potest creare, ergò, &c. Item instrumentū agit p propriam formam, quæ cum sit materialis, non potest attingere gratiam; quę est effectus spiritualis, ergò, nullo modo possunt habere ueram causalitatem respectu gratiæ, quæ à Deo immediatè producitur, & de nihilo creatur. Probatur secunda pars Sacramenta dicuntur caussa gratiæ actiua instrumentalis quodammodo, ad hunc sensum; non quòd habeant aliquam actionem propriè dictam; sed sicut meritum dicitur caussa præmij, & motus caussa termini, unde communiter dicitur, quòd per meritum acquiritur præmium, & per motum acquiritur terminus, & tamen nullam actionē propriam in illa habent, sed tantum meritum est quædam dispositio ad præmium, ita dico, quòd Sacramentum, uel eius susceptio, est immediata dispositio necessitans ad gratiam suscipiendam, non absolutè, ut organizatio corporis est dispositio immediatè necessitans ad introductionem animæ, sed secundum quid, id est ex diuina ordinatione, puta Deus uniuersaliter ordinauit, cuicunque benè disposito per Sacramenti applicationem donare gratiam, non quidem per aliquam formam intrinsecam Sacramenti, per quam necessario caussaret illam, quia hoc fieri non potest, cum non sint eiusdem ordinis, sed per ineffabilem assistentiam suam caussantem illam; de qua infallibilitate ipse Deus certificauit Ecclesiam: & hoc modo locuti sunt sancti patres de causalitate Sacramentorum: Itaque quando Magister dicit, quòd Sacramenta continent gratiam, intelligitur, quo ad certitudinem collationis gratiæ: semper enim sacramentum, dum rectè suscipitur, gratia confertur, itaque si aliqua uirtus dicitur esse in Sacramento, non intelligitur, quòd sit aliqua forma realis, per quam Sacramētum operatur, sed quædam relatio conformitatis signi ad signatum Et quando Magister dicit (& causa existit) nil aliud intelligitur, nisi quòd est signū efficax, ex pactione Dei cum Ecclesia, ut dictum est: Et per hanc efficacem certitudinem differunt à Sacramentis antiquæ legis; Et quia ista opinio in facto ponit Sacramenta in genere signi tantum; excludendo omnem causalitatē, contra determinationem sacri Conc. Triden. ut suprà dictum est, ideo non est opus illam confutare: Credo tamen, si Auctor istius opinionis fuisset post dictum Cōcil. aliter dixisset. Alij aliter dicunt, s. quòd Sacramenta habēt aliquam caussalitatem efficientiæ respectu gratiæ, non tamen ad modum caussarū naturaliū, sed ad modū caussæ moralis, in quantum illa Deum mouet, ut gratiā in animam producat, sicut qui precē alium mouet ad faciendum aliquid. Et confirmatur: Nam ut infrà dicet Magister; Sacramenta propter tria ordinata sunt, scilicet propter humiliationem, in quantum homo humiliãdo se rebus insensibilibus, quæ sunt infra se, prouocat Deum, ut gratiam sibi conferat.

Hæc sententia, cum non consonet auctoritatibus sanctorum, relinquitur tanquam extranea: Nam caussa moralis, ut dicit, nō est instrumentū Dei producendi effectū, sed potius hōis humiliati prouocãtis Deum ad gratiā infundendā. Et ideo ponatur aliorum opinio dicentium, Sacramenta esse caussam gratiæ ad modū caussarum naturalium, & isti sunt bipartiti: Aliqui dicunt, Sacramenta habere causalitatem instrumentalem dispositiuam; non quòd gratiam attingant,

11 *Quomodo sacramēta caussent gratiam varia opinio.*

Prima expositio.

12

Refutatio.

Secunda opinio.

Refutatio.

Tertia opin.

tingant, hoc enim facere non ualent ratione iam dicta: sed disponunt subiectum per aliam formam, quo disposito, Deus infundit gratiam, forma autem, qua subiectum disponitur ad gratię receptionem, in tribus Sacramentis est character, ut dicetur; in reliquis verò, est quidam ornatus, ut uocant. Sed quia ista opinio non euadit difficultatem de creatione, non habet multos patronos: hæc enim forma quam ponunt; cum sit æquè spiritualis ut gratiæ, & à Deo mediatè creatur, non attingitur ab instrumento; & ideo oportet ponere aliam formam, per quam disponat, de qua idem quæsitum fiet: unde ne fiat progressus in infinitum, aliis melius uisum est ad mentem sanctorum, & sacri Concilij, ut credo, relinquendo talem dispositionem, qui scilicet dicunt.

Refutatio.

13 *Quarta opinio & vera.* Sacramenta sunt formaliter, & per se caussa instrumentalis Dei producendi effectum spiritualem in animam ad hunc sensum. i. Sacramenta conferunt gratiam, per quam homo efficitur membrum viuum Christi, constituiturq; Dei filius, dum primam gratiam suscipit, vel magis amicus efficitur, dum illa augetur. Et ad argumenta de creatione, quæ fuerunt caussa, ut omnes antedictæ opiniones titubarent hanc sententiam acceptare; dicunt Caietanus, & Sotus super D. Tho. q. 82. art. 1. quòd gratia propriè non creatur, sed concreatur, ad concreationē subiecti, quoad illud esse gratum, eoque homo secundum ipsam creatur in nouo esse, quod dicitur ex nihilo .i. non ex meritis constituitur in tali esse, secundum illud Pauli ad Ephes. 2: Creati in Christo Iesu in operibus bonis: sicut etiam dicitur quòd accidens propriè loquendo, neque fit, neque corrumpitur: sed dicitur fieri, & corrumpi, prout subiectum incipit, uel desinit esse, secundum illud accidens. Hęc responsio credo, quòd non euacuet argumentum; nam quicquid fit de concreatione, unum est uerum, s. quòd iste effectus spiritualis, in anima, auctoritatiuè immediatè producitur à Deo, mediante Sacramento, ut instrumento; quomodo autem hoc instrumentum operetur circa talem effectum, nondum explanatum est: ideò dicunt aliter ad mentem D. Thom. 1. 2. quęstio. 110. art. 2. quòd de gratia dupliciter loqui possumus: uno modo, ubi dicat aliquod donum gratis datum; & hoc modo ponit aliquid in homine, dicit enim qualitatem quandam in anima; & tunc Sacramenta non dicuntur caussa gratię; ut ipsam immediatè attingant: alio modo, ut dicat dilectionem Dei, qua homo dicitur Deo carus, dilectus, & gratus, prout dici consueuit; ille homo miles habet gratiam Regis, inquantum eum diligendo, habet eum gratum; unde quando dicitur, Sacramenta causant gratiam, intelligitur, idest, ad hoc immediatè attingunt, ut faciant hominem Deo gratum, abstrahendo ab illa qualitate: sed consecutiuè id faciunt, vt Deus illam creet in animam: itaque dicuntur instrumenta immediata faciendi hominem Deo gratum, & dilectum, per quam dilectionem, nihil ponitur in anima; & mediatè, ut Deus illam infundat: sicut etiam dicitur humanitas Christi, quam in Cruce Deo Patri obtulit, fuit caussa gratię, & omnium aliorum bonorum, quæ per ipsum donata sunt, non tantum meritoriè, & satisfactoriè, sed etiam effectiuè; inquantum fuit instrumentum coniunctum diuinitati: quo operabatur nostram salutem, faciendo nos Deo gratos, & dilectos reconciliando nos primo illi, per quod postea omnia nobis donauit; ita Sacramenta sunt instrumenta separata, deriuata ab eius passione, à qua virtutem acceperunt.

Prima expositio.

Replica.

14 *Secunda expositio.*

Replica. Nec credo, hanc responsionem attingere neruum quæstionis: nam dum de dilectione, amore, odio, ira, & huiusmodi loquimur, aliter intelliguntur esse in nobis, & aliter in Deo: in nobis quidē sunt quædā animæ passiones reales, per quas aīa formaliter dicitur diligere, amare, odire, irasci, & similia facere: huius

ratiò est, ut ait D.Tho. loco suprà allegato; quod homo mouetur ad diligendum, & amandum ab aliquo bono præexistente in re amata; & ideo uoluntas mouetur ad causandum rei amatæ aliquod donum: mouetur etiam ad odiendum, & irascendum, per aliquas passiones causatas in anima à malo existente in re, quam odit, uel contra quam irascitur: & ideo rem illam persequitur; uel contra eam uindicatur. In Deo autem huiusmodi passiones nihil 15
reale ponunt: dicerent enim imperfectionem in Deo: unde quando dicitur, ꝙ Deus irascitur, uel odit, intelligitur figuratiuè pro effectu iræ, & odij, idest, quando Deus uult uindicare nostra mala; ac si nos propriè odiret, irasceretur contra nos; tunc illa uoluntas, qua ordinat uindictam, dicitur odium, & ira Dei: sicut dicitur figuratiuè, Deum pœnitere, pro effectu pœnitentiæ, idest dum destruit id, quod fecit, apparet, ac si pœniteret illud fecisse: sic intelligitur illud Genes. capit. 6. Delebo inquit, hominem, quem creaui à facie terræ, ab homine usque ad animantia, à reptili usque ad uolucres cæli: pœnitet enim me fecisse eos. Sicut etiam ait Augustin super Psalm. Beati quorum remissę sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: peccata tegere in Deo, nil aliud est, quàm illa non imputare ad pœnam: & non quod illa non uideat: peccata uidere, est illa ad pœnam ordinare. Ita intelligitur de dilectione: dum enim dicitur, Deus diligit nos, nil aliud intelligo, quàm Deus nobis benefacit: dilectio enim Dei nil aliud est, nisi effectus dilectionis: unde non possum intelligere, quòd prius diligat nos, deinde benefaciat, ratio est: nam Deus non mouetur à bono, quod est in Creatura, ut per id eam diligat, deinde moueatur ad ei benefaciendum; sed econtra; tantum bonum inuenitur in creatura, quantum Deus uult creaturę donare; itaque dilectio Dei, nil aliud est, quam uelle benefacere: Dico igitur in proposito, non debet intelligi, quod Deus prius diligat hominem per susceptionem Sacramenti, ac si dilectionem attingat; deinde gratiam donet; nam per dilectionem nil aliud intelligo; quam effectum dilectionis; nempè gratiam donare, & uoluntatem donandi habere; quę uoluntas non mouetur de non uelle, ad uelle, ac si ante susceptionem Sacramenti nolebat, & in susceptione postea uelit: Deus enim immutabilis est; sed quod ab ęterno uoluit, pro tali tempore donare suscipienti Sacramentum, pręuidens sua sapientia infinita bonum motum suscipientis, secundùm ęternas regulas, tunc in Sacramenti susceptione donat, tunc gratum facit, tunc diligere dicitur, &c. Itaque nil aliud est esse gratum, & dilectum, quam effectum dilectionis recipere, quod sine qualitate animę inhęrente intelligi non potest: Vnde non potest gratia ista, quam fingit prędicta opinio, abstrahi à prędicta qualitate.

Et ideò cum omni reseruatione, & censura ad mentem D.Tho. dici posset; 16
Sacramenta esse causam gratię ad hunc sensum; Sacramentum est caussa non productiua, sed dispositiua, & inductiua gratię à Deo infundendę inquantum hominem disponit ad illam recipiendã, absque eo, ut creet illam; sicut enim homo non generat, nec creat animam, quę à Deo immediatè infunditur, & tamen dicitur, quòd homo hominem generat, quia est caussa coniunctionis animę cum corpore, sua uirtute actiua corpus ad ultimam dispositionem reducendo Ita Sacramentum potest dici caussa gratię, quia hominem disponit ad illam recipiendam, salua tamen hac differentia: homo enim disponit corpus per aliquam formam, quę educitur de potentia materię, quam uocant formam corporeitatis, seu mistionis, quę adueniente anima, secundum aliquos, corrumpitur; uel perficitur, & non corrumpitur secundum tenentes pluralitatem formarum, sed Sacramentum disponit hominem, non per aliquam for-

Tertia expositio, & magis consona.

mã (vt præcedens opinio refutata dicebat) sed per virtutem instrumentalem, non propriam (vt argumentum petit) sed per illam virtutem, quam recipit ab agente principali. s. Deo per eius institutionem: quæ virtus est motus, quem recipit à Deo mouente Sacramentum, mediante ministro, ministrante secundum intentionem Ecclesię, s. faciendi hominem gratum Deo: sicut serra mota per artem, recipit virtutem faciendi scamnum ab agente, mediante motu, secando hoc modo, vel illo modo: nisi enim serra moueretur secundum artem, non aliud faceret per propriam formam, nisi scindere tabulas: sed quòd taliter scindat, vt ex eis scamnum fiat, hoc habet ab arte, mediante motu, vt dixi. Et hoc est, quod August. ait super Ioan. 1. Vnde tanta virtus aquę, vt corpus tangat, & cor abluat? quasi dicat; si attendamus virtutem propriæ formæ, aqua nescit facere, nisi corpus lauare per eius tactum; si autem attendamus

Ad argumenta respondetur. motum, quem recipit à Deo, mediante ministro, secundum quod institutum est, vt dixi, cor abluit. Restat modo satisfacere argumento de creatione gratiæ, pro quo nota, quòd instrumentum potest esse duplex, Vnum est, quod per

17 *Duplex instrumentum.* sui applicationem virtute propriæ formæ producit effectum sibi similem. Alterum est, quod inducit effectum per applicationem suæ formæ, ad assistentiam superioris agentis à quo mouentur; sine qua assistentia talem effectum non produceret. Primum habet in se virtutem producendi; & ideo producit sibi simile. Secundum non; sed producit dissimile. Primum trahit agens ad se; secundum trahitur ab agente principali à quo mouetur. Ideo dico, primum non potest esse instrumentum creationis, sed bene secundum. Vnde ad formam argumenti dicitur. Quòd caussa instrumentalis, etsi agat per propriam formam, non tamen per virtutem propriæ formę, quia vt sic, effectus assimilaretur instrumento: sed agit per virtutem, quam recipit ab agente principali, mediante motu, vt dictum est; vnde effectus assimilatur agenti principali: sicut artifex, qui intendit inducere formam scamni in tabula, vtitur serra ad scindendam tabulam, quamuis vtatur forma serræ, sine qua scindere non posset; tamen non inducit formam scamni per virtutem formæ serræ, sed per motum ab arte, scidendo sic, vel sic: & ideo effectus assimilatur arti & illi ideæ, quæ est in mente artificis: ita in proposito dicendum est.

17 *Replica.* Et si diceretur, iste motus aquæ, dum abluit, quem dicis esse uirtutem, quam recipit à Deo; aut est spiritualis, aut corporalis: si est corporalis, redit eadem difficultas: si spiritualis, videtur quòd non possit esse: nam omne quod recipitur, per modum recipientis recipitur; sed aqua est quid corporale, ergo virtus, quæ in ea recipitur ab agente, oportet vt sit corporalis. Respondeo, & fateor, quod virtus spiritualis non potest recipi in corpore per modum permanentis; non tamen sequitur, quin possit recipi per modum transeuntis in causa instrumentali, dum ab agente spirituali mouetur ad effectum

Replica. specialem. Et si instatur, quomodo motus aquæ dicetur spiritualis? Dico, qđ motus aquæ dupliciter considerari potest, vno modo, vt est motus proprius aquę, & hoc modo dicitur materialis; alio modo, vt fit a Deo, mediante ministro, vt suprà dictum est, ad causandum effectum spiritualem ab ipso institutum, & hoc modo formaliter dicitur spiritualis. Quod autem hoc non sit inconueniens; s. quòd in corpore sit aliqua virtus spiritualis instrumentaliter per modum transeuntis ab agente spirituali, ad causandum effectũ spiritualẽ, probatur exemplo in similibus: Vox sensibilis materialiter sumpta non est apta nata, nisi moueatur sensus auditus; sed si sumatur, vt significatiua, quasi mouetur à mente sapiẽtis, est apta nata per illam vim, spiritualem scilicet, significare aliquid, inducere effectum spiritualem in intellectum audientis, s. excitare

cirare mentem ipsius, vt conceptum percipiat, non aliter intelligitur esse vim spiritualem in Sacramentis, in quantum ordinantur à Deo ad effectum spiritualem: & ideò hæc uirtus habet esse incompletum, & transiens à Deo in hominem; quia hæc Sacramenta habent esse in fieri, dum applicantur. Ex hoc etiam dicitur, Sacramentum continere gratiam virtualiter, non ut causa uniuoca, ut pater continet filium, qui est eiusdem speciei, neque ut caussa æquiuoca; nam hoc modo gratia est in solo Deo, cuius uirtute, & auctoritate nobis infunditur, sed continet, ut caussa instrumentalis per se, vt dictum est, quàm uirtutem accipit à Deo, cuius virtute operatur. Et dicitur (per se) ad differentiam caussę per accidens, in qua nulla virtus est, respectu caussæ per accidens. 19 *Sacramenta continere gratiam virtualiter.*

De necessitate Sacramentorum et primo in communi.

QVantum ad secundum principale, dicitur primò, in statu naturæ institutę, .i. innocentię, Sacrametna nullo pacto necessaria fuerunt, non solum quantum ad remedium peccati: sed neque quantum ad animi perfectionem: prima pars patet; cum enim Sacramenta instituta sint, ut medicinæ languorum hominis sanitati, ut suprà dictum est, & in illo statu nullus existebat morbus, sed perfecta sanitas, superuacanea fuissent Sacramenta. Secundum probatur: nam contra illius status rectitudinem fuisset (vbi potentiæ inferiores subiectæ erant superioribus sicut mens hominis Deo, quod præstabat iustitia originalis, & supernaturalia dona) si postea ad sui perfectionem aliqua re corporali indiguisset, ut fit in Sacramentis; Et quamuis in illo statu si homo permasisset, fuisset protestatio fidei, oblationes, & alia quædam, ad cultum diuinum pertinentia; hæc tamen non fuissent per aliqua signa exteriora, ut mererentur dici Sacramenta: nam protestationem fidei sufficiebat fieri per actus interiores, quibus confiteretur, Deum esse trinum & vnum, glorificatorem, &c oblationes ita fuissent opera virtutum, & merita, sicut nunc sunt ieiunia, & elemosinę: reliqua virtutum officia, vt sunt laudes, contemplationes, obedientia circa esum ligni uetiti, & huiusmodi, quæ tunc fuissent, neutique dicerentur Sacramenta. Et de Matrimonio dicitur, quod erat datum in officium naturæ. Quod ideò dicebatur sacramentum magnum, quia significabat unionem Christi cum Ecclesia. 20 *Sacramentorum necessitas. In statu innocentia non erant necessaria.*

Sed post lapsum primi parentis usque ad aduentum Christi, necesse fuit aliqua Sacramenta institui, in illo enim instanti suæ æternitatis, quo prçuidit Adam casurum, statuit eius peccatum per Christum reparari, per quem iustificaretur cum sua posteritate, ut ait Paul. ad Roman. 3. Nemo iustificari potuit post Adæ peccatum, nisi per Christum, quem Deus posuit propiciatorem, per fidem in sanguine ipsius, ad ostentationem iustitię suæ. Et ideo oportebat in toto illo statu institui quædam signa uisibilia, quibus homo fidem suam protestaretur de Christo uenturo, & essent remedia pro peccatis, uirtute fidei in Christum uenturum; quę signa quodammodo uocantur sacramenta, ueruntamen aliter fuerunt in lege naturæ, & aliter in lege scripta: Nam etsi status humani generis, quantum ad rationem, & substantiam fidei in Christum venturi, à lapsu Adæ, vsque ad Christi aduentum, non fuerit 21 *In statu natura lapsa fuerunt quadam Sacramenta aliter in lege natura, & aliter in lege scripta.*

mutatus, tamen per temporum incrementa mutabatur, quantum ad duo: Primò, per recessum à suo exordio; peccatum enim in dies ualentius crescebat, adeò, ut præcepta naturalia ad rectè viuendum, non sufficerent, propter rationis obtenebrationem per peccatum; & ideò necesse erat, ita noua remedia adhibere, sicut morbus crescebat. Secundò, per accessum ad Christum incarnandum; Nam quanto magis ad ipsius aduentum appropinquabant, tanto magis fides explicari debuerat, ideò debuerunt institui Sacramenta expressiora in significando, quam illa, quæ erant in Lege Naturæ, vt cognitio fidei de Christo clarior haberetur: unde Vgo, primo de sacramentis, parte 11. cap. 8. sic ait, signa salutis, per successionem temporum, alia post alia mutari debuerunt; ut cum effectus gratię diuinæ in salutem cresceret, simul quoque & ipsa, in ipsis visibilibus signis appareret: unde tempore Legis Naturæ usq; ad Moysen, vbi cœpit Lex Scripta, non erāt ita determinata, & in tanto numero, ut tempore Moysi esse cęperunt; Nam tēpore Legis Naturę, vt ait Vgo, loco citato, tria tātum Sacramenta instituta fuerunt, ad significandum rem sacram, per homines demonstranda, & ab eis frequentanda, s. Decimationes, per quæ significabatur peccatorum remissio: Oblationes, per quę significabatur boni operis exibitio: & Sacrificia, per quæ significabatur carnis mortificatio: & per Sacrificia, quæ consistebant in immolatione animaliū, significabatur futura Christi immolatio; in his etiam profitebātur Deum esse Creatorem, vt per Oblationes: Redēptorem, ut per Sacrificia: & Remuneratorem, ut per Decimationes, quæ Sacramenta à Deo instituta esse per inspirationem, probabile est, ut homo in his instructus, & eruditus, se exerceret: Circūcisio autē quamuis fuerit ante Legem Scriptam; quæ ad Legē Naturæ inquātum fuit quædam dispositio ad suscipiendā Legē Scriptā, & ad distinctionē populi, ptinebat, p reliqua verò quę fuerūt in lege naturæ, vt diluuium, quod præfigurauit baptismum; immolatio arietis, pro Isaac, quod significauit immolationem Christi; unctio lapidis per Iacob, quod fuit figura unctionis altaris, vel Ecclesiæ, & huiusmodi, non sunt numeranda inter Sacramenta illius temporis, prout de Sacramentis loquimur, quamuis, s. significabant rem sacram, tamen non fuerūt instituta à Deo, tanquam per homines exercenda, & ministranda; ut in Sacramentis accidit, nec Sacerdotiū, in quo erat potestas à Deo offerendi aliquid, etiam significabat rem sacram, nec erat Sacramentum Ordinis; non enim erat potestas distincta à potestate seculari; & de esu agni quid dicendum, idem, ut de alijs.

22 Tempore legis naturæ, tria Sacramēta fuerūt instituta.

Circuncisio.

23 Eadem ratione, post aduentum Christi, debuerunt esse aliqua Sacramenta; cum enim teste Paulo, nostra iustificatio, vt supra dictum est, consistat in protestatione fidei Christi Redemptoris, & Sacramenta sint quędam signa, fidem protestantia, per quam homo iustificatur; cōsequens est, ut sicut antiqui patres salui facti sunt per fidem Christi uenturi; quam fidē protestabantur in suis Sacramentis; ita & nos saluamur per fidem Christi iam nati, & passi, per Sacramenta Euangelica; quæ fides antiquorum, & nostra, eadem cum sit respectu unius obiecti (omnes enim credimus Natiuitatem, Passionem, & Mortē unius Saluatoris) uariatur solis temporum differentijs, s. futuri, & præteriti. Vnde August. contra Faustum, c. 19. eadem res aliter annunciatur facienda, & aliter facta. Vnde conuenienter Sacramenta nostra debuerunt esse diuersa ab illis, & expressioria; quia fides nostra est magis explicita: debuerunt etiam esse faciliora, & præstantiora, ac magis vtilia; illa enim fuerunt congrua gratiæ figurandę, hæc autem præsentis gratię sunt demonstrandæ. Hinc Augustin. loco quo suprà. Sacramenta veteris Legis sunt ablata, quia impleta, & alia instituta virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, & numero pauciora.

In lege Euangelica quare debuerint esse aliqua Sacramenta.

Et

Et quamuis Christi passio sufficiens caussa fuerit nostrę salutis: ut ait Paul. ad Rom. 5. per quam Deo reconciliati sumus, non per hoc sequitur, dicta Sacramenta esse superuacanea, ut Hæretici dicunt: Deus enim, cuius potestas nulli creaturæ alligatur, quamuis sine Sacramentis, languoribus nostris mederi potuisset, ut fecit Magdalenæ, multisque aliis, quibus peccata donauit sine Sacramentis; tamen uoluit ut uirtus, & merita passionis eius per ipsa Sacramenta nobis applicarentur: Vnde quia sic ordinauit, sunt ita necessaria, ut qui ea respuerit, salus ei patere non possit. Cum ergo sic Deus in rebus liberè agat, vt sua uoluntas à nulla caussa superiori, uel inferiori dependeat; disponit tamen omnia suauiter, secundum suam sapientiam; merito Magister hic congruentiam Sacramentorum assignat, idest, quo fine illa instituerit, ut inde capiamus eorum necessitatem. 24

Triplici ergo ex causa Sacramenta instituta sunt, s. propter humiliationem, eruditionem, & exercitationem. Dico propter humiliationem, ut homo dum per obedientiam rebus insensibilibus, quæ sunt infrà se, subijcitur, magis Deo placeat, uel dum suam miseriam cognoscit, s. se esse subiectum rebus corporalibus, pro sui subuentione, non inflectur, vel etiam, ut qui per affectum rebus insensibilibus, peccando, se subdit, per easdem subleuetur. Dico propter eruditionem; Nam melius per sensibilia, quæ suę naturæ lapsę conuenientia sunt, instruitur; quam si spiritualia nuda sibi proponerentur; vt per ea, quæ foris in specie visibili adhibentur, de his quæ intus operantur, erudiatur. Dico propter exercitationem; Nam occupando se circa Sacramentorum exercitium, à noxiis præseruatur: homo enim cum uitam ociosam, sine suo damno, gerere non possit, dicente Hieronymo, Semper aliquid operis facito, ut te Diabolus inueniat occupatum; melius est, ut se occupet in illo salubri exercitio, quam in uanis, & inutilibus; quod exercitium conueniens fuit per Sacramēta fieri, ut studium suum esset per corporalia, actionibus humanis conformia; à quibus corporalibus si abstraheretur, non tam promptè operaretur, nam suum exercitium sibi durum redderetur. 25 *Sacramenta triplici ex cā instituta sūt.*

De effectibus Sacramentorum, & primo de effectu principali, qui est Gratia.

Principalis effectus Sacramentorum est Gratia Sacramentalis: Nam per Sacramenta Nouæ Legis, homo Christo incorporatur; quod patet de Baptismo, dicente Paulo ad Galatas 3. Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis; quod est fieri membrum uiuum Corporis mystici, cuius caput est Christus, hoc autem fieri non potest, nisi per gratiam, ideo, &c. Vocatur Sacramentum, eo quòd datur ex ui Sacramenti, quod aiunt, ex opere operato; quę consistit in gradu determinato: & ideò omnibus suscipientibus Sacramentum ęqualiter confertur, ut patet in paruulis suscipientibus Baptismum; si autem adultis donatur maior gratia, hoc accidit ex deuotione suscipientis: Vnde quanto magis deuotus, & contritus homo ad Sacramenta accedit, tanto maiorem gradum gratiæ suscipit, non ex vi Sacramenti, quia illa semper est ęqualis, ut dictum est; sed ex ui deuotionis suscipientis, quod uocant ex opere operantis. Itaque accedens contritus vltrà illam gratiam quę respondet Sacramento, ex institutione Christi, suscipit alium gradum gratiæ, qui respondet quantitati contritionis, vnde adulti benè dispositi maio- 26 *Gratia est primus effectus Sacramētorū. Gratia quare dicatur Sacramentalis.*

B rem

rem gratiam,quam infantes suscipiunt, nam vltrà Sacramentalem,suscipiunt aliam deuotioni correspondentem, quam paruuli non habentes proprium motum,suscipere non ualent.

27 *Va ia nomina Gratia.* Et si quæris,in quo differt hæc gratia Sacramentalis à gratia cōmuni,& quid addit super illam?pro responsione notabis,ꝙ gratia communiter dicta,est habitus quidam infusus immediatè à Deo in animam,quo ipsa efficitur particeps imperfectè tamen,Diuinæ bonitatis: & dicitur gratia, quia nullis pręcedentibus meritis donatur;donantur etiam cum ipsa quędam virtutes infusę, & dona potentijs animę,quibus ipsa disponitur, vt promptè,& suauiter moueatur à Deo,ad bonum æternum consequendum: hęc autem gratia,secundum quam plures effectus in nobis operatur,plura nomina sortitur: nam absolutè considerata,dicitur gratia gratum faciens, quia facit hominem gratum, idest Deiformem, & iustum per qualitatem infusam, ut dixi; quę datur ad utilitatem propriam:alio modo dicitur gratis data;quę ordinatur principaliter ad utilitatem aliorum, & non ipsius recipientis.Vnde Apost.ad Corint.12. Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem,scilicet aliorum:& dicitur gratis data, quia conceditur super merita personę recipientis; dicitur quoque gratia operans,in quantum nos sanat,& Deo iustificat: dicitur quoque gratia cooperans, inquātum cum libero arbitrio est principium operis meritorij:quod opus,quo ad substantiam actus,ait Scotus,attribuitur principaliter libero arbitrio; quo verò ad efficaciam attribuitur ipsi gratię. Hoc etiam ordine,dicitur gratia prima,seu pręueniens,in quantum causat in nobis primū effectum,idest iustificationem,& sanitatem animę, & bonum motum uoluntatis, idest electionē boni,relinquendo malum: Dicitur gratia secunda,seu subsequens,inquantū causat secūdos effectus,idest executionem eorum,quę eligimus efficaciter;ac perseuerantiā vsq; ad finē. Dicitur itē gratia Sacramentalis,propter effectum particularem,ad quē ordinatur Sacramentum:& sicut sunt diuersa Sacramenta,ad diuersos effectus ordinata:ita dicitur alia,& alia gratia Sacramentalis.Hinc dicitur,ꝙ effectus proprius baptismi non est gratia gratum faciens absolutè;sed cum hac modificatione, scilicet, ita gratum faciens, ut per ipsam suscipiens baptismum, moriatur peccatis, & renascatur ad nouam uitam, & efficiatur membrum Christi; ac si ipse passus sit,patiente Christo:quod importat remissionem omnis culpę, & omnis pœnę,qui effectus ita est proprius Baptismi, ut nullum aliud Sacramentum id faciat. Item gratia, quę confertur in Sacramento Confirmationis, non est simpliciter gratia gratum faciens, siue sit prima, siue secunda; sed est, quę credentem roborat, ut fortius resistat contra fidei impugnatores: signum huius est, ꝙ si adultus non susceperit Sacramentum Confirmationis patietur multas Dęmonum tentationes contra fidem, cui non sufficit gratia cōis quantumcunq; magna sit, donec dictum Sacramentum suscipiat. Item in Eucharistię sumptione confertur animę spiritualis nutritio, ut effectus particularis gratię: & sic per omnia Sacramenta dicendum est, ut melius inferiùs uidebimus,cum de numero Sacramentorum dicemus. Itaque *Gratia Sacramētalis quid addat gratiæ cōiter dictæ.* gratia Sacramentalis addit super gratiam communiter dictam, & dona quę cum ipsa donantur, aliquod speciale auxilium Diuinum, ad consequendum illum effectum particularē,& finem, ad quem specialiter Sacramentum est ordinatum: quod auxilium, non credo, ꝙ sit habitus gratię diuersus ab habitu communi; ita, ꝙ unumquodque Sacramentum habeat distinctum habitum gratię,& diuersum,per quem operatur suum particularem effectum;quia esset multiplicare habitus sine necessitate,ait Sotus; sed est quidam actualis concursus Dei,per eundem habitum gratię communem,ad causandum particularem effectū talis,uel talis Sacramenti. Vnde dicitur gratia Sacramentalis. Quidquid

aliud

aliud dicendum occurrit de principali effectu Sacramentorum, dictum est supra, quando declarauimus, quomodo Sacramenta caussant gratiam. Verum iste effectus impediri potest in adultis, dum fictè, & malè dispositi accedunt ad Sacramentum.

Secundus effectus Sacramentorum dicitur Character: qui est signum quoddam, quod imprimitur in anima, dum adscribitur militiæ Christianæ, per susceptionem Baptismi, vel alterius Sacramenti, iuxta illud Pauli 2 Corinth. 1. Qui vnxit uos, Deus est, & qui signauit nos. Ratio huius est: nam Sacramenta Nouę Legis ad duo ordinantur, scilicet, ad remedium cōtra peccata (vt dictum est) & ad perficiendum animam, in his, quæ pertinent ad cultum Diuinum: qui enim deputatur ad aliquod officium, uel seruitium, solet insigniri aliquo signo, ut significetur suum officium, & ab aliis discernatur: prout antiquitus circa milites fieri moris erat. Vnde sicut illi, dum adscribebantur ad militiam, quibusdam Characteribus signabantur: ita cum homines, per aliqua Sacramenta deputantur ad aliquod officium spirituale, quod pertinet ad cultum Diuinum, conueniens est, vt aliquo spirituali charactere insigniri intelligantur. Et si quæratur quid sit iste Character? Respondet D. T. tertia parte, q. 63. dicens: Character Sacramentalis est quædam Sacramentalis potestas, spiritualia recipiendi, vel conferendi ea, quæ sunt ordinata ad cultum Diuinum. Et dicitur Character Christi, sub cuius militia militamus; ea ratione, qua Christus est Sacerdos: nam cultus Christianæ religionis à Christi Sacerdotio deriuauit. Cum igitur deriuatur à Christi Sacerdotio, qui est æternus, iuxta propheticum sermonem: Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech; sequitur, ut Character sit æternus, idest indelebilis. Hinc etiam sequitur, quòd in tribus tantum Sacramentis imprimitur character, scilicet in baptismo, per quem homo ingreditur militiam Christianam, & per ipsum accipit facultatem suscipiendi alia Ecclesiastica Sacramenta: Vnde Baptismus dicitur ianua omnium Sacramentorum; nam per eius ingressum homo efficitur habilis ad alia Sacramenta, & ad agendum, quæ pertinent ad Christianam religionem, ut habetur cap. 1. & 3. de presbytero non baptizato. Secundò, in Confirmatione; per quam recipitur robur fidei; quo mediante, homo iam adultus disponitur, & uigoratur, ad resistendum hostibus fidei. Tertiò in Sacramento Ordinis, per quod recipitur potestas ministrandi omnia Sacramenta Ecclesiastica: in reliquis uerò Sacramentis nihil confertur, quod pertineat ad cultum Diuinum, ut in istis tribus, prout in proprijs locis patebit. Quòd autem aliqui dicant, in illis conferri quendam ornatum, nulla auctoritate fundata fulcitur, ideo eorum opinio non approbatur.

28 *Character est secundus effectus.*

Character quid sit, & quare indelebilis.

Character in tribus Sacramentis confertur, et quare.

De causa efficienti Sacramentorum.

PRo intelligentia dicendorum, primo aduerte, quod hic est sermo de Sacramentis Nouæ Legis. Secundò aduerte, quod ista caussalitas de qua loquimur, dupliciter intelligi potest: uel quo ad auctoritatem, & principalitatem operandi effectum Sacramenti: vel quo ad potestatem instituendi. Quantum ad primum dicitur: Vis collatiua gratię, quę est in omnibus Sacramentis, ita principaliter, & auctoritatiuè est in Deo, ut nullus alius ab eo possit illā caussare; quia solus Deus potest illam creare, seu concreare, & animæ infundere; quia solus Deus in animam interius illabi potest. Et hoc ita est proprium Dei, vt nulli creaturę commu-

29 *Causa principalis auctoritatiuè est Deus operandi effectus.*

Causa instrumentalis ministerialiter est in homine.

communicari possit; esset enim alium Deum facere. Ministerialiter tamen potest homo effectum interiorem Sacramentorum operari, eadem ratione, qua Sacramentum est caussa gratiæ, idest vt instrumentum viuum; nam una eademque vis perfecta instrumentalis inuenitur in ministro, & Sacramento; sicut in verbis, & rebus: omnia namque hæc, scilicet minister, materia, & forma, cōcurrunt necessariò ad perficiendum Sacramentum: Itaque sicut Sacramentum, ità & minister virtutem à principali agente, s. Deo, suscipit. Hinc sequitur, quod effectus Sacramentalis, non datur melior a meliori ministro; quia non operatur virtute propria, sed instrumentaliter: vnde per orationum suffragia, quæ Deo fundit, non operatur effectum Sacramenti, sed illum impetrat in forma Ecclesiæ, operandum à Deo, per merita passionis Christi, cuius uirtus operatur in Sacramentis, ut dicemus: Non tamen nego, quin deuotio ministri viri iusti, aliquid operetur, idest augmentum gratiæ communis. Christus autem inquantū Deus, una cum patre, & Spiritusancto operatur interiorem effectum Sacramentorum auctoritatiuè, ut dictum est: Sed inquantū homo, operatur meritoriè, & efficienter, s. instrumentaliter secundum quandam excellentiam: nam Christi passio non solum est caussa meritoria; sed ēt caussa efficientis nostræ salutis, inquantum eius humanitas est instrumentum coniunctū Diuinitati: & ex hoc habet quandam principalitatem caussalitatis, respectu ministrorum extrinsecorum, qui sunt ministri Ecclesiæ. Hæc autem excellentiæ potestas consistit circa quattuor. Primò in hoc, quòd virtus passionis Christi operatur in Sacramentis, vt dictū est; & copulatur nobis per fidem, quā protestamur, nomē eius inuocando. Secundò, quòd per dictam potestatem excellentiæ, effectum Sacramentalem sine exteriori Sacramento conferre potest: vt fecit Magdalenæ, & multis alijs: quod non potest minister Ecclesię. Vnde Papa non potest simpliciter dispensare quantū ad substantiam Sacramentorum. Tertiò ad potestatem excellentiæ, quam Christus habet in Sacramentis, pertinet, ut eius nomine Sacramenta sanctificentur. Quartò ad dictam potestatem pertinet, vt ipse, qui talem virtutem Sacramentis dedit, possit ea instituere. Pro quo nota, quantum ad secundum principale, Sacramenta nouæ legis solus Deus sua propria virtute, & auctoritate instituere potest; ratio huius est: nam solus ille legem, vel statutum aliquod cōdere potest, qui obligandi illi legi, vel statuto vim habet: sed solus Deus potest dare Sacramentis virtutem sanctificandi; quia solus ipse potest gratiam causare, per quam fit sanctificatio, ut dictū est; ergo solus ipse sua propria auctoritate Sacramenta instituere potest: quam potestatem nulli alii committere potest, ratione qua suprà: quod intelligitur de Christo inquātum Deus: sed inquantum homo, habet potestatem excellentiæ instituendi Sacramenta; tanquam instrumentum coniunctum Diuinitati, ut dictum est suprà, de potestate causandi effectum Sacramentorum: quæ potestas sibi congruit iure proprio redemptionis, iuxta illud Matt. 28. Data est mihi omnis potestas in cęlo, & in terra, euntes in mundum, docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. Hanc autem potestatem Excellentiæ quamuis Apostolis dare potuisset, si uoluisset, quantum ad omnia quattuor supradicta, s. vt suo modo Sacramenta instituerent, quæ eandem virtutem haberent sanctificandi (auctoritate Diuina tamen, & non propria, vt dixi) Vel vt sine ritu Sacramentorum, eorum effectū conferrent, sed solo imperio, vt Christus quandoq; faciebat. Vel tandem potestatem alicui, aut pluribus ministris dare potuisset, s. dando illi tantam gratiæ plenitudinem, ut eorum opera accepta fuissent de condigno pro æquiualenti satisfactione totius generis humani: quæ postea operarentur ad effectus Sacramentorum; & ex consequenti illa sanctificarent in nomine ipsius, seu ipsorum, quorum meritis, & virtute operarentur. Sed noluit hoc facere, quia non erat conue-

Passio Christi est causa meritoria, & efficiēs Sacramentorum.

30

Causa principalis instituēdi Sacramenta.

Christus habet potestatē excellētia instituendi.

Potestas instituendi Sacramenta quare non fuerit data Apostolis.

conueniens: tunc enim sequeretur, quòd essent plura capita in hoc mystico Ecclesię corpore, quod inconueniens, quamuis hoc modo adhuc Christus diceretur caput principalius. Neque fuit conueniens hoc facere; ne homines postea spem suam in hominibus ponerent: ac etiam ne diuersa ex diuersis essent Sacramenta, ex quo oriretur diuisio in Ecclesia, dicendo: Ego sum Pauli, ego sum Petri, uel Iacobi, & similia. Itaque magis conueniens est, vt vnum sit Baptisma, vna Ecclesia, & unum Caput. Vnde August. super Ioan. 10. capit. 1. super illis verbis: Hic est, de quo dixi, q post me uenit, qui ante me factus est, qui prior me erat, & ego nesciebam eum. ait, quòd Ioannes Baptista sciebat eum esse agnum immaculatum, qui tollebat peccata mũdi; sed nesciebat, quòd sibi singulariter potestatem baptizandi reseruaret, & aliis ministerium solum committeret: itaque hoc tunc didicit, dum audiuit per columbam descendentem super caput eius: Hic est qui baptizat in spiritu. Vnde dicit August. Potuisset Dominus Iesus Christus, si voluisset, potestatem dare alicui seruo suo, vt Baptismum, tanquam vice sua ille daret; & transferre à se potestatem baptizandi, & constituere in aliquo seruo suo: itaque illa baptizatio translata in seruum, tantam uim daret, quãtam uim habet baptismus datus ab ipso Domino. Dedit ergo ministerium tantum Apostolis, & eorum successoribus, vt in nomine, & virtute Christi baptizarent. Vnde Paulus ad Corinth. 1. obiurgando illos, ait: Nunquid Paulus Crucifixus est pro uobis, aut in nomine Pauli baptizati estis? quia dicitis, ego sum Pauli, &c. quasi dicat non. Hinc sequitur, quod Papa, aut Concilium, non potest instituere, aut remouere aliquod Sacramentum.

Ministerium conferendi, et ministrãdi Sacramenta, solis hominibus quando datũ fuerit.

32 Hanc autem potestatem ministerialem dedit solis hominibus, & non Angelis; non quod non potuisset; nam sicut uirtutem suam non alligauit Sacramentis, quin posset sine illis effectum Sacramentorum conferre; ita etiam talem virtutem non alligauit Ecclesiæ ministris; quin possit etiam, & Angelis hanc virtutem ministrandi Sacramenta tribuere: Sed conueniens fuit, ut per homines ministrarentur, propter eorum conformitatem, vt qui hominem saluare volens, factus est homo similis illi per misterium humanum salus homini applicaretur. Veruntamen, ait D. Thom. 3. p. quæst. 64. artic. 3. si constaret aliquod Sacramentum à bonis Angelis fuisse ministratum; illud pro rato esset habendum, nam cum sint nuncij veritatis, voluntate Diuina illud fecisse, credendum esset: sicut legitur de Michaele Archangelo, dedicasse Ecclesiam in monte Gargano ex Diuina commissione, secus de malo Angelo, qui est spiritus mendacij. Quòd autem ab aliquibus dicitur, aliqua Sacramenta fuisse instituta immediatè à Christo, & aliqua mediatè per Apostolos, scilicet, Confirmatio; & Extrema Vnctio; eo quod non inuenitur expresse in Euangelio, vbi, & quando fuerunt instituta, falsum est: legitur enim Marci 6. quòd discipuli vngebant oleo multos ægros, & sanabantur: & non est credendum, 33
quòd hoc fecissent propria auctoritate, sed instructi à Christo, qui sic instituerat, vt de alijs eius præceptis, prout ibi legitur. Ex quo colligitur, Christum ibi instituisse Sacramentũ Extremę Vnctionis: Et quod habetur in Iacobi Epistola c. 5. scilicet, Infirmatur quis in vobis, induca presbyteros Ecclesię, & orent super eum, vngentes eum oleo, &c. Dicitur, quod ibi Apostolus promulgauit illis gentibus hoc Sacramentum, prout acceperat à Domino. Vnde verbum Magistri, in 4. distin. 23. cap. 2. & Vgonis lib. de Sacram et. intelligi debet de institutione promulgationis. Hoc idem intellige de Sacramento Confirmationis, ut habetur Matt. 16. Si hæc non placent, sufficiat determinatio S. Concil. Trid. Sess. 7. Can. 1. asserentis, sic tenendum esse, sub pœna Anathematis, ipso facto.

De nu-

De Numero Sacramentorum.

34 SAcraméta Nouæ Legis, quòd sint septem, scilicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Vnctio, Ordo, & Matrimonium, nec plura, nec pauciora, vltra Sanctorum patrum testimonia, extat determinatio Sacri Conc. Tridentini, quo suprà. Horum autem sufficientiam docet Richardus in 4. distin. 2. quæst. 1. art. 4. & D. Tho. tertia parte, quæst. 65. artic. primo, vbi poni-
35 tur sic: Sacraméta Nouę Legis sunt instituta contra defectus naturę lapsæ, vt di-
36 ctum est suprà. Defectus est duplex, scilicet culpæ, & pœnæ. Defectus deinde culpæ est triplex, scilicet Originalis, Actualis, & hic vel Mortalis vel Venialis. Contra defectum originalis culpę institutum est principaliter Sacramentum Baptismi: contra defectum culpę actualis mortalis, institutum est Sacramẽtum Pęnitentiæ; contra defectum uenialis culpæ, institutum est Sacramentum Extremæ Vnctionis. Defectus pœnæ est quadruplex, scilicet Ignorantia in Intellectu, Inclinatio, & pronitas ad malum in Volũtate, Infirmitas, & imbecillitas in Irascibili, Motus inordinatus sensualis, in Cõcupiscibili. Cõtra primum est Ordo; contra secundum est Eucharistia; contra tertium est Cõfirmatio; contra quartum est Matrimonium. Vel sufficientia ponatur sic, secundum D. Thom. Sacramenta nouæ legis ex eorum institutione, ad duo sunt ordinata, scilicet, ad remedium contra defectus peccatorum, ut modo dicebamus, & ad cultum Dei pro Christiana religione: utraque ratione conuenienter ponuntur septem Sacramenta; nam vita hominis spiritualis, habet quandam conformitatem cũ vita corporali. Homo autem cum sit animal politicum, & sociabile, duobus perficitur, quantum ad uitam corporalem, scilicet, respectu propriæ personæ, & respectu Reipublicę, cuius est pars. Quantum ad personam, dupliciter perficitur: uno modo per se, scilicet, acquirendo uitæ perfectionem, quod fit tribus modis. Primò, per generationem, seu natiuitatem, per quam incipit esse in mundo, & uiuere. Et huic in uita spirituali correspondet Baptismus, per quem homo incipit esse in Ecclesia membrum Christi, ac per lauacrum regenerationis incipit viuere vita gratiæ, iuxta Christi sententiam Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritusancto, &c. Secundò, homo perficitur per augmentum, crescendo; per quod reducitur ad perfectam personæ quantitatem, & virtutum naturalium robur: Vnde potest perfectè facere opera vitæ. Et huic correspondet Sacramentum Confirmationis, in vita spirituali, per quod datur Spiritussanctus ad robur, pro fidei confessione: Vnde Lucæ ultimo dicitur discipulis, qui erant baptizati: Sedete in Ciuitate, donec induamini virtute ex alto. Tertiò perficitur homo in vita corporali per quotidianum nutrimentum, per quod deperditum restauratur, uita conseruatur, & vires augentur. Et huic correspondet in vita spirituali, Sacramentum SS. Eucharistiæ, per quam restaurantur aliquæ imperfectiones animę, homo conseruatur in uita gratiæ, ac proficit per eius augmentum de virtute in virtutem. Iuxta illud Ioan. 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in uobis. Hęc autem tria homini sufficerent; si tam in vita corporali, quam spirituali, integrè se conseruaret; sed quia propter naturam corruptam labitur in multos defectus, & incurrit multa mala; ideo alio modo homo perficitur per accidens quantum ad vitam corporalem, circa duo, scilicet, remouendo ægritudines, & tunc indiget medicamentis curatiuis; quibus ab infirmitate lauatur. Secundò remouendo alias imperfectiones, & reliquias,

quę ex

quæ ex infirmitate remanere solent: & tunc indiget medicamento restauratiuo per quod restituitur ad pristinam valetudinem. Primo malo correspondet in vita spirituali Sacramentum Pœnitentiæ, contra morbum peccati mortalis, quo anima infirmatur ad mortem. iuxta illud. Ps. Sana animam meam, quia peccaui tibi. Secundo malo correspondet in vita spirituali Sacramentum Extremæ Vnctionis; quę remouet peccatorum reliquias, & venialia peccata, vt homo reddatur paratus, & expeditus ad vitam beatam adipiscendam, iuxta illud Iacobi, Capit. 5. Et si in peccatis sit, dimittentur ei. His igitur quinque Sacramentis homo perficitur, quantum ad propriam personam. Quantum ad secundum principale, scilicet homo etiam perficitur, secundum vitam corporalem respectu Reipublicæ, & humanæ societatis, cuius ipse est pars. Et hoc fit duobus modis, vel vt accipit potestatem administrandę Reipublicæ, & exercendi publicos actus: & huic correspondet Sacramentum Ordinis in spirituali vita, iuxta illud Pauli ad Hæbreos 7. Sacerdotes hostias offerunt non solum pro se, sed etiam pro populo: uel quantum ad prorogationem naturalem: quod accidit tam in uita corporali, quàm spirituali; Matrimonium namque in uita corporali est officium naturę, in quo homines nascuntur filij Iræ: sed in vita spirituali est etiam Sacramentum, in quo homines procreantur, ut postea renascantur filij Dei. Et sic remanet, septem tantum esse Sacramenta. Potest etiã Sacramentorum sufficientia sumi, secundum alios, per comparationem ad tres 37
virtutes Theologales, & quattuor Cardinales, ut ipsis adaptentur, dicendo ad actum Fidei adiuuat Baptismus, ad actum Spei adiuuat Extrema vnctio, ad actum charitatis adiuuat Sanctissima Eucharistia, ad actũ Prudentię, Ordo, ad actum Iustitiæ, Pœnitentia, ad actum Fortitudinis, Confirmatio, ad actum denique Temperantiæ, adiuuat Matrimonium. Inter quæ Sacramenta Sanctissima Eucharistia potissimum obtinet locum excellentiæ, tum, quia in Sacramento Eucharistię continetur Christus substantialiter, qui est auctor gratię: in reliquis autem continetur virtus à Christo participata, & gratia instrumentaliter, ut dictum est, per ipsum Christum danda tanquam auctorem gratię, tũ etiam, quia cetera Sacramenta consistunt tantum in fieri: unde aqua, & oleũ, quæ ad Sacramenta pertinent, Sacramentalia dicuntur: sed Eucharistia cõsistit in facto esse, & permanenti. Vnde dicitur Sacramentum Sacramenti: tum de- 38
nique, quia omnia alia Sacramenta ordinantur ad Eucharistiam, sicut ad finem; & in eo consummuntur, teste Dionys. Areop. lib. de Ecclesiastica Hierarch. cap. 3. Baptismus namque ordinatur ad sumptionem Eucharistiæ; in cuius Baptismi susceptione eius votum, includitur, quod postea in Confirmatione perficitur. Pœnitentia, & Extrema Vnctio ordinantur, vt pręparatoria ad dictam Eucharistiam. Pœnitentia, ut dignè sumatur. Extrema Vnctio, ut expeditè sumatur. Ordo institutus est ad eius consecrationem: sed de Matrimonio dubium est, quomodo ad illam ordinetur: ad quod dicitur, quòd eam attingit saltem sua significatione; quatenus significat coniunctionem Christi cum Ecclesia, iuxta illud Pauli ad Ephesios 5. Sacramentum hoc (scilicet Matrimonij) magnum est, Ego autem dico, in Christo, & Ecclesia.

De necessitate Sacramentorum in particulari.

39 *Necessarium duplex.* SAcramentorum necessitas non est æqualis. Necessarium namque, teste Aristot. 5. Metaphys. respectu finis, ut sunt Sacramenta, duplex est: Vnum, sine quo finis haberi non potest, & hoc, vel simpliciter, uel ex suppositione. Alterũ est, sine quo finis non ita conuenienter, & comodè haberi queat. Secundum primum modum, Baptismus, quo ad singularem personam, est simpliciter necessarius, dicente Christo: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritusancto, non potest introire Regnum Dei. Pœnitentia est necessaria, supposito peccato mortali, dicente Domino: Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis. Eucharistia est necessaria ratione pręcepti, saltem in uoto, his, qui realiter sumere non ualent, iuxta illud Ioan. Nisi manducaueritis carnẽ filij hominis, &c. Ordo est necessarius in Ecclesia; quia sine gubernatore esse non potest. Secundo modo sunt necessaria reliqua Sacramenta: nam Confirmatio non est necessaria ad esse simpliciter; sed ad melius esse; quia perficit baptismum: Ita & Extrema unctio, quę perficit pœnitentiam: Vnde si relinquantur simpliciter, non est mortale: nisi ex contemptu. Matrimonium est ad benè esse, prodest tamẽ Ecclesiæ ad conseruandam multitudinem per propagationem.

De Tempore institutionis.

SEd quæritur, quare hæc Sacramenta tam salutifera pro peccatis non fuerunt instituta statim post hominis lapsum, & ante Christi aduentum? Intelligentia huius quæsiti dependet ex institutionis Sacramentorum ratione. Dictum est supra, in Christo duo considerari debere: Vnum est, ꝙ in Cruce fuit redemptor noster. Alterum est, quod ipse est institutor nostræ Religionis, inquantum est primus, & æternus Sacerdos. Ex his colligitur, in Sacramentis esse duo, his similia, quę virtutem ex eius passione sortita sunt: Vnum, scilicet quod sunt remedia, & medicamenta contra morbum peccati. Alterum est, quòd sunt cęremoniæ nostræ Religionis, quibus Deum colimus. Hinc est, ut dũ illa instituit, fecit, ut essent, & officia, quibus eum coleremus, & beneficia, quibus nos iustificaremur, secundum dicta in principio super historia Samaritani, Lucę 10. Vnde non decuit illa instituisse, nisi prius venisset, & remedia postea applicasset, maximè, cum Sacramenta effluxerint ex latere Christi pendentis in Cruce. Nec uoluit statim uenire: sed uoluit ut prius inde Sacerdos, & Leuita transirent, deinde ipse ueniens, & inueniens hominem semimortuum, applicaret oleum, & uinum; idest voluit, ut prius de lege naturæ, & scripta homo uinceretur, quòd natura eum iuuare non poterat. Nec tamen reliquit eos sine aliquo

40 *Remedia contra originale in lege naturæ.* remedio; nam in lege naturę, ultra quædam Sacramenta, ut dictum est, habuerunt quoddam præceptum diuinum in genere, contra originale peccatum, quo protestabantur fidem. Iuxta illud Pauli ad Hæbreos 11. Sine fide impossibile est placere Deo. Quæ fides erat de Christo mediatore. Hanc fidem ante circuncisionem protestabantur parentes pro filijs paruulis, in remedium

medium peccati originalis, per quendã actum interiorem, eos Deo offerendo; adulti autem pro se ipsis: per aliqua sacrificia, in quibus spiritualiter intelligebant, per quoddam auxilium speciale Diuinum, necessarium esse, hominem per fidem eleuari debere, ad quod naturalis cognitio non sufficiebat. Hanc fidem mediatoris maiores explicitam habebant per reuelationem, ut in suis sacrificiis præsignabant, ut legitur de Patriarchis. Minores autem eam implicitè habebant, sub velamine illorum sacrificiorum. Et si multæ gentes perierint, eo quod tale auxilium protestandę fidei non habuerunt; hoc accidit eis, quia non vixerunt secundum quod iura naturæ iubebant: quòd si iura naturę seruassent, ut fecit Iob, Deus supranaturali auxilio eos adiuuisset, ut salui facti fuissent. A tempore autem Abrahæ, in remedium originalis peccati, viguit Circuncisio vsque ad Christum: per quam Circuncisionem fiebat protestatio fidei, iuxta illud Pauli ad Roma. 4. Abraham accepit Circuncisionem, tamquam signaculum fidei. Hæc autem fuit à Deo præcepta Abrahę, & suæ posteritati tantum, quodam exteriori signo, & particulari cæremonia, scilicet, ut masculi octauo die cultro lapideo in carne præputij circunciderentur. Iuxta illud Gen. 17. Masculus, cuius præputii caro circuncisa non fuerit, anima illius peribit de populo meo. Hæc autem Circuncisio ideò fuit in carne præputij iussa fieri; quia principaliter instituta fuit in remedium originalis peccati, quod trahimus à parentibus, per carnis concupiscentiam, quæ in illa parte magis viget: ideo fuit data in signo expressiori, quàm erat remedium contra originale in lege naturæ: quia (vt suprà diximus) quanto magis homines ab exordio mundi se elongabant, tanto magis peccata crescebant, & erant peiores: & quanto magis ad aduentum Messię appropinquabant, tanto sacramenta debuerunt esse explicatiora. Ideo fuit data Abrahæ, & suæ posteritati Circumcisio, ut populus ab ipso originem trahens, à ceteris gentibus discerneretur: eo quod ipse fuit primus, qui se ab infidelibus segregauit per mandatum Dei, dicentis: Egredere de terra tua, &c. Ipse quoque fuit primus, qui accepit promissionem de Christo venturo, cuius fidem in Circuncisione profitebatur: ac denique per tale mandatum Deo placeret, & per fidem sanctificaretur: quia credidit Deo, se habiturum filium, in quo omnes gentes erant benedicendæ. Ideo etiam fuit data in remedium originalis, quia figurabat baptismum nostrum, per quem fidem de Christo nato, & passo profitemur; & adscribitur congregationi fidelium, sicut ipsi per Circuncisionem profitebantur: eadem enim est fides nostra, & antiquorum; nam quod illi credebant futurum, nos credimus factum esse. Iuxta illud Apost ad Corinth. 3. Habentes eundem spiritum fidei, credimus. Et in quantum erat remedium originalis, erat communis omnibus gentibus uolentibus se circuncidere, iuxta illiud Exodi, 15. cap. Si quis peregrinorum in uestram uoluerit transire coloniam, & facere Phase Domini, circuncidetur prius omne masculinum eius, & tunc ritè celebrauit; eritque sicut indigena terræ. Illi autem populo peculiari erat pręceptum (ut dictum est) propter misterium expectandi Christum: reliquis uerò consilium; nam sufficiebat eis sacrificia, ut suprà. Dabatur tantum uiris; nam fęminæ per fidem parentum, quæ eis, ut antea applicabatur, iustificabantur. Verum dum fuerunt in deserto, qui non circuncidebantur, excusabantur, dummodò illam ex contemptu non prætermittebant: credo tamen, nullum eorum, qui ibi nascebantur, ibi mortuum fuisse, antequam à Iosue fuerunt astricti, ut circunciderentur, Dicente Ps. Non erat in tribubus eorum infirmus: sed tantum, qui antea in Aegypto circuncisi erát, mortui sunt. Verum pueri, qui ante octauum diem moriebatur, credo quod necessitatis causa circuncidebantur, ut fit modo in baptismo. Vel, & melius, applica-

Remediũ contra originale in lege scripta quodnã fuerit.

Circuncisio quare data fuerit & iussa fieri in carne præputij.

bantur

batur fides, ut prius, ante circuncisionis institutionem. Adultis autem, dum circuncidebantur, remittebatur non solum originale, uerum etiam & actualia commissa dimittebantur, ut modo fit per baptismum: non tamen eodem modo: nam in Baptismo simul cum culpa remittitur pœna, ut dicetur: sed in Circuncisione tantũ remittebatur culpa. Item in Circũsione dabatur gratia iustificãs: si enim per Circuncisione iustificabatur, consequẽs est dicere, quod gratia consequebantur; nã iustificatio sine gratia esse nõ potest, iuxta illud Pau ad Rom. 5. Iustificati gratis, per gratiam, &c. Hęc autem gratia dabatur, quantum ad omnes effectus gratiæ, secundum D. Thom. tertia par quæst. septuagesima, artic. vltimo, non tamen eodem modo, ut in baptismo: nam in baptismo gratia confertur uirtute ipsius baptismi, inquantum est instrumentum passionis Christi, vt dictum est; in Circuncisione autem non conferebatur uirtute Circuncisionis, sed uirtute fidei, in Christum passurum, cuius signum tantum Circuncisio erat: ita scilicet, ut qui circũcidebantur, profitebantur, uel per se, si erant adulti, uel in fide parentum, si erant paruuli, se suscepisse talem fidem. Verum in baptismo confertur plenior gratia; quia Sacramentum baptismi est perfectius, & communius: & ideo post Christi aduentum, ipsa circuncisio in baptismum mutata fuit: de quo infrà. Multa alia de Circuncisione, & Sacramentis Antiquę Legis dici possent, quæ cum sint potius ad curiositatem quandam, quam ad utilitatem, pertranseo: Itaque ad Sacramenta Nouæ Legis accedamus.

De Baptismo Ioannis.

34 ET quia legitur Ioannis 1. Ioannem Baptistã baptizasse in Iordane, antequam Christi baptismus institueretur. Quæritur ad quid ille baptismus ordinabatur, & cuius utilitatis erat. Respondet Magister distin. 2. duplici de causa fuit institutus. Primò, ad hoc, ut homines per ipsam assuescerent ad facilius suscipiendum baptismum Christi, qui de proximo erat instituendus. Secundò, ut homines per pœnitentiam, ad suscipiendum Christi baptismum se disponerent: nam, Ioannes baptizans, homines ad pœnitentiam uocabat, & quos baptizabat, pœnitere docebat. Duas alias ponit D. Thom. 4. par. quæst. 35. artic. 1. una est, cum Christus suum baptismum consecrare debebat, opus erat, ut à Ioanne baptizaretur, ut aquas tactu suę mundissimæ carnis sanctificaret. Altera est; ut perinde à Ioanne Baptista manifestaretur, dum turbæ ad eum concurrebant. Vnde ipse Ioannes Baptista, Ioannis 1. dicit, Vt manifestaretur Christus in Israel, propterea ego ueni in aqua baptizans. Et quamuis ritus talis baptismi fuerit à Deo, qui Spiritussancti reuelatione Ioannem ad baptizandum miserat. Dicente ipso: Qui me misit baptizari in aqua, ille mihi dixit, super quem uideris, &c. tamen talis baptismus nihil operabatur in anima suscipientis, ex opere operato; non enim remittebat peccata, nec gratiam conferebat, ut baptismus Christi, sed præparabat ad gratiam, ut dictum est; & ideò qui baptizabantur Baptismo Ioannis, iterum baptizare debuerant. Nec tenendum est, quod ait Magister, scilicet, quod illi, qui baptizabantur baptismo Ioannis, si non posuerant spem in eius baptismo, sed in Patrem, & Filium, & Spiritumsanctũ credebant, non opus erat rebaptizari baptismo Christi, sed tantum recipere Spiritumsanctum per manuum impositionem; quia cum gratiam non conferebat: neque caracterem exprimebat, in eoque deficiebat,

Baptismus Ioan. ad quid seruiebat.

deficiebat, quod erat de essentia baptismi, scilicet non conferebatur in aqua, & Spiritusancto, ut opus erat, dicente Domino Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritusancto, sed tantum dabatur in aqua solum, corpus foris mundans, & non intus animam. Et ideo dicebatur baptismus Ioan. quia operatio Ioannis tantum erat, itaque opus erat baptizari iterum baptismo Christi.

Et si quæratur, erat ne Sacramentum? Dicatur, quòd sic, tamen largo modo, ut Sacrificia ueteris legis: non autem propriè: Suadeo, quia eius forma erat. Ego te baptizo in nomine uenturi. Et sic per eius fidem disponebantur ad Christi uerum baptismum.

Finis primi Capituli.

SVMMARIA SEQVENTIS CAP. II.

1 Baptismus est ianua aliorum Sacramentorum.
2 Baptismi Definitio.
3 Virtus sanctificationis est effectus Baptismi.
4 In Baptismo requiritur, ut dum aqua aspergitur, dicantur verba Sacramentalia.
5 Materia Baptismi est aqua elementalis, pura, & fluida, & quare.
6 Lixinium, & iusculum, an & quando sint materia Baptismi.
7 Forma Baptismi est. Ego te baptizo in nomine Patr. & Fil. & Spir. S.
8 Causa efficiens duplex in Baptismo.
9 Quæ variatio verborum annullet Baptismum, & quæ non.
10 Qui baptizaret sub nomine Christi tantum, peccaret mortaliter, quãuis in primitiua Ecclesia id facerent Apostoli, & rationes de hoc.
11 Opiniones variæ, an sit verus Baptismus, si baptizatus dicat: Ego te baptizo in nomine sanctę Trinitatis, amen.
12 An dicere, in nomine Genitoris, Geniti, & Spirati, sit uera forma baptismi? & negatiuè determinatur.
13 Dicendum est, in nomine, non autem in nominibus, & quid per ly, in noīe intelligatur, & nunquid possit variari per verba idem sonantia.
14 Forma sub qua baptizant Gręci.
15 Quando subtrahitur aliquod verbum essentiale de forma Baptismi, non fit Sacramentum.
16 Quæ verba addita in principio siue in fine formæ, impediunt ne fiat Baptismus, & quæ non.
17 Variatio in terminatione verborũ formę Baptismi, aliquando impedit ne fiat Sacramentum, & aliquando non, & idem de transpositione.
18 Ablutio in Baptismo fit per immensionem, aspersionem, & effusionem.
19 Baptismus potest fieri sub vna, ac sub trina immersione, iuxta locorum consuetudinem.
20 Totum corpus, aut caput in Baptismo perfundi debet; variæ opiniones de alijs membris.
21 Aqua in baptizando debet esse tanta, ut abluat.
22 Vt sit Baptismus, oportet ut aqua tangat carnes baptizandi.
23 Infans existens in utero materno non potest baptizari.
24 Qui moritur accedendo ad baptismum, non est baptizatus; & idem de eo qui proijcitur in flumen aut in puteum.
25 Minister Baptismi est quilibet homo viator.

Soli

26 *Soli Sacerdotes poßunt baptizare sollemniter.*

27 *Minister Ecclesiæ baptizans in peccato mortali, de nouo peccat; attamen Baptismus est bonus, ac valet.*

28 *Baptizatus ab Hæretico, Iudæo, & Pagano, est verè baptizatus, dummodò vtatur forma Ecclesiæ, & intendat, quod intendit Ecclesia, nō autem qui seipsum baptizat.*

29 *Intentio requiritur, tàm ex parte ministrantis, quàm ex parte suscipiētis Baptismum.*

30 *Qui non consentit baptizari, non recipit nec effectum, nec characterem baptismi, qui autem in ipso actu baptizandi non contradicit, recipit characterem, & quid de dormiente, ac de furioso, & stupidis, & mutis, & de ioco suscipientibus Baptismum.*

31 *Vis & coactio, quæ impediat Baptismum, & quæ non.*

32 *Qui fictè accedūt ad baptismū, quādo verè baptizētur, & quādo non.*

33 *Effectus baptismi duo.*

34 *Quanta contritio requiratur in adultis, ad dignè suscipiendum Sacramentum baptismi.*

35 *Contritio est dolor de offensa Dei.*

36 *Baptismus est triplex, Fluminis, Flaminis, & Sanguinis.*

37 *Sine baptismo, aut in re, aut in voto, nemo potest saluari.*

38 *Necessarium, quantum ad baptismum, dicitur dupliciter.*

39 *Vna est fidelium Vniuersalis Ecclesia, extrà quam nemo saluatur.*

40 *Homo potest sine baptismo in re, consequi effectum baptismi, sed non characterem, & quomodo.*

41 *Baptismus flaminis, & baptismus sanguinis, non sunt simpliciter baptismata, sed secundum quid.*

42 *Paruuli si pro Christo occiderentur ab infidelibus, saluarentur, vt innocentes occisi ab Herode.*

43 *An infideles existentes in partibus remotis, saluentur rectè viuendo, sine baptismo.*

44 *Quamuis omni tempore, & in omni ætate Baptismus possit conferri, non tamen est differendum propter imminens periculum.*

45 *Adulti, etsi ad fidem conuersi, non statim debent baptizari, sed differendi ad certum tempus, & quam ob causam.*

46 *Cur sollemnitas baptizandi antiquitus celebraretur potius in Vigilia Paschę, & Pentecostes, quam in Epiphania, in qua Christus Baptismum suscepit.*

47 *Tria considerantur in Sacramentis.*

48 *Paruuli, & etiam adulti accedentes cum recta fide, suscipiunt Sacramentum, & rem.*

49 *Non omnes collationem gratiæ æqualiter recipiunt, sed secundum de-*

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

Cap. II.

1 *Baptismus est ianua aliorum Sacramentorum.*



Dicto de Sacramentis in Communi: superest nunc videre de unoquoque in particulari. Et primo de baptismo, qui est ianua ceterorum Sacramentorum; nemo enim ascribi potest Religioni Christianæ, nisi baptizetur. Unde Paulus: De his, qui foris sunt, idest qui fidem per baptismum non susceperunt, nihil ad nos. Per baptismum incorporamur Christo, & efficimur ipsius corporis mystici membra, ac denique reddimur habiles ad alia Sacramenta suscipienda: nam sine baptismo, quodcunque aliud Sacramentum suscipiatur, nullum est, ac si non esset susceptum. De baptismo, & eius effectu.

De unaquaq; re duo sunt consideranda, ait Philosophus, scilicet unum, quo ad essentiam, alterum quo ad annexa. Duplex itaque de baptismo erit consideratio Primò dicemus de his, quæ pertinent ad eius substantiam: Secundò, quæ ipsi annectuntur. Quantum ad primum quattuor sunt consideranda, secundum quattuor genera causarum: & ut melius res aperiatur, ad eius definitionem curramus, prout Magister dist. tertia definit.

2 *Definitio.* Baptismus est intinctio, idest ablutio corporis, exterius facta, sub forma verborũ præscripta. Et quamuis multa alia necessariò concurrant ad perficiendum Sacramentum Baptismi, quæ Scotus tangit, & in sua definitione adiungit; tñ quia in hac breui definitione intelliguntur; eo quod Magister contentus fuit tangere ea, quę principaliter ad rationem baptismi pertinent; ideo eã per ordinem declarando, non relinquemus omnia alia necessaria declarare. Dicitur (ablutio) idest lauatio quædam, quæ cum fiat in aqua regulariter, iam illam supponit; itaque cum dicatur, Baptismus est ablutio, intelligitur facta in aqua, ut dicitur, ꝙ est ablutio propriè, & non ipsa aqua, ut Ugo dicere videtur: quamuis.n. virtus santificationis, quæ est effectus baptismi, fit in aqua instrumentaliter non tñ permanet in ipsa aqua, ita, ut ipsa propriè dicatur Sacramentum, sed dicta virtus est fluens in hominem, dum aqua applicatur: Unde hoc Sacramentum consistit in fieri, dum homo aquę immergitur: nam antequam homo aqua lauetur, illa aqua non dicitur Sacramentum, sed aliquid Sacramentale, idest res pertinens ad Sacramentum; dum autem postea lotus est, & actio cessat,

3 *Sacramentũ baptismi consistit in fieri.*

ſat neque dicitur amplius Sacramentum) ſed rei Sacramenti, ideſt effectus, qui remanet; itaque Sacramentum dicitur, dum homo propriè aqua foris in corpore lauatur, ſeu abluitur. Ergo Sacramentum eſt ablutio ipſa in corpore exterius facta. Neque hoc ſufficit; ſed requiritur, vt dum aqua aſpergitur, dicantur uerba Sacramentalia, ſignificantia id, quod operatur interius, per ipſam lauationẽ exterius factam: nam aliud eſt ſonus in ipſo uerbo prolato trãſiens, & aliud eſt uirtus intus remanẽs. Hinc Auguſt. ait; Vnde eſt tãta virtus aquę, ut corpus tãgat, & cor abluat, niſi faciẽte verbo, nõ quia dicitur, ſed quia creditur. Et ideo ſubiũgitur, (facta ſub forma verborũ pręſcripta) nã ſi ablutio fieret ſine verborum prolatione, non eſſet Sacramentum, vnde Auguſt. ſubiungit. Detrahe verbum, & quid eſt aqua, niſi aqua? Accedit uerbum ad elementum, & fit Sacramentum. Ex his colligitur, vt cum hoc Sacramentum conſiſtat in fieri, & cõſtet ex elemento aquę, vt ex materia, & uerbis, quę proferuntur, ut ex forma, debent ſimul concurrere, ideſt dum aqua infunditur, uerba proferri debẽt: itaque ſi aliquis ante diceret uerba, deinde aquam infunderet, uel cõtra, prius aquam infunderet, & poſtea verba proferret, non eſſet Sacramentum. *Materia & forma debent ſimul concurrere.*

Dictum fuit notanter (corporis exterius facta) ſed quomodo debeat fieri in corpore exterius, & in qua parte corporis, poſterius dicetur. Cum ergo Baptiſmus conſiſtat in verbo, & elemento, tamquam Forma, & Materia neceſſariò, & eſſentialiter concurrentia, dicendum eſt de ipſis ſigillatim.

De Materia Baptiſmi.

Materia Baptiſmi communiter loquendo, eſt aqua elementalis, pura, & fluida. Dicitur (quòd eſt aqua) ad excludendum omnia miſta humida, & fluida, ut ſunt vinũ, oleũ, lac, urina, & ſimilia. Et quod ſit aqua; patet ex Chriſti inſtitutione, Io. 3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, &c. non quòd in alia materia illud inſtituere non potuiſſet, nam ſicut gratiam donare poteſt, & peccata dimittere abſque Sacramentis, vt dictum eſt: ita gratiam Sacramentalem in quacunque materia conferre potuiſſet. Sed conueniens fuit, hoc Sacramentum in aquæ materia inſtituere; Primò ratione ſuę communitatis: cum enim Sacramentum Baptiſmi ſit ita generale, & cunctis ſimpliciter neceſſarium; conueniens fuit, ipſum habere materiam communem, vniuerſalem, & abundantem, ita, vt ubique, & de facili inuenire poſſit, ſine diſpendio, & labore. Secundò, ratione quadruplicis proprietatis aquę. Prima proprietas eſt, ut ſicut aqua ſua naturali proprietate inter omnia liquida, habet, purgare ſordes corporis: ita baptiſmus purgat animam ab omnibus ſordibus cuiuſcunque peccati; ut patet in adultis; quia, ut in principio dictum eſt, eius rei ſimilitudinem gerit, cuius ſignum eſt. Secunda eſt, ut ſicut natura aquæ eſt refrigerare; ita baptiſmus refrigerat calorem concupiſcentiæ, & reprimit carnis fomitem, vt ceteris partibus, in baptizatis minus viget. Tertia eſt, ut ſicut aqua facit fœcunditatẽ, inquãtum terrã inebriat, & germinare facit, ita baptiſmus facit, vt homo fructus dignos vita æterna producat. Quarta eſt, ut ſicut aqua refocillat corpora noſtra, ita gratia, quæ per baptiſmum datur, refocillat animam. *Quare Baptiſmus in aqua inſtitutus ſit.*

Dixi (elementalis) ad includendum aquam Maris, Fluuiorum, Stagnorum, & ſimilium; quę ſunt verè aquæ eiuſdem ſpeciei ſaltem ſubalterna. Dicitur etiam (elementalis) ad excludendum oẽs alias aquas artificiales, vt ſunt aqua

rosatia,& quæ ex herbis per Alambicum extrahuntur & distillantur,quæ aquæ æquiuocè aquæ appellantur:& ideo in eis Baptismus fieri non potest.

Impuritas aquæ multiplex.

Dixi (pura) pro cuius intelligentia nota : quòd impuritas pluribus modis intelligi potest : Primò,propter mixtionem, per aliquam appositionem : vnde aqua lutosa , arenosa , & terrea, dicitur impura; sed hæc impuritas non aufert quin possit esse materia Baptismi , dummodò aqua remaneat liquida, & fluxilis : si enim esset tã grossa,& spisso luto imbibita,ut non posset faciliter fluere, non esset conueniens materia Baptismi,eo quòd talis contractus non posset dici lotio. Secundò, impuritas intelligi potest , etiam per mixtionem alicuius humoris , seu aliæ rei alterius speciei alterantis aquam : & tunc si quod miscetur in aqua,erit tantæ quantitatis,vt aquam in suam naturam conuertat, non posset esse debita materia baptismi:puta si ponatur vinum in tanta quantitate,vt mutaret,in tantũ,quod potius diceretur vinũ limphatum,quã aqua : vel misceatur aqua rosatia in tanta quantitate , ut aquam elementalem in se conuerteret ; secus si esset parum , propter odorem, ut nobiles facere solent : si autem alteratio facta in aqua non erit tanta,vt speciem mutet,aut eam corrumpat ; sed alteratio erit tantum in qualitatibus : siue fiat per aliquod agens extrinsecum , puta per ignem calefacientem aquam , siue per locum, vt accidit aquis sulfureis,quæ per canalia, & loca sulfurea transeunt: siue per situm , vt accidit aquis,quę suscipiunt loci affectionem,circa saporem,odorem, & colorem;vnde fiunt salsæ,rubeæ,amaræ,male olentes,& similib.qualitatibus pdictę:quæ alterationes,cũ fiant circa qualitates tantũ,& non circa substantiã, nõ impediunt,quin in eis possit fieri Baptismus.Tertiò,impuritas fieri potest, p incorporeitatem , & mistionem alterius rei,ex qua mistione generatur tertium , vt accidit in hidromelle,quod componitur ex aqua,& melle,& in ceruisa,quæ fit ex aqua , & grano , sulso , quod fit ex aqua & sale in igne , vel simile : uel quando fiunt decoctiones, in quibus mixta imposita incorporantur,& consumuntur,ita,vt trahant aquam in aliam speciem,tunc in huiusmodi Baptismus fieri non potest: quamuis enim sint fluida, & ex aqua: tamen aqua non remanet in sua specie. Sed dubium est,de lixiuio,& iusculo an sint materia debita Baptismi?aliqui dicunt,quod sic,alii autem quod non. Verum in illis,& similibus , non apparet ita manifestè , quod species aquę sit mutata, discussio potius pertinet ad Philosophos,& Medicos,quorum est inquirere , quæ alteratio mutet aquam à sua natura , & quæ non , quam ad Theologum,per id,quod à sacra scriptura haberi potest , vel ad Canonistam,per id,quod ex Ecclesiæ ordinatione dicere posset : quoniam in neutro illorum inuenitur, expressum. Verum circa hęc dici potest , si concoctio iusculi non est tanta, quę partes rei coctæ consumpserit, & incorporauerit, vt patet in aspectu , tunc posset cum iusculo fieri Baptismus , quia adhuc remanet aqua. Quomodo autem cognoscemus,quãdo aqua iusculi mutata est in aliam speciem? quando congelatur, ut patet in iusculo carnium,leguminum,& similiũ:quia tunc res cõcoctæ sunt dissolutæ per longã concoctionẽ : secus si esset iusculũ herbarũ,vel similium , ubi non requiritur tãta cõcoctio,& cõsequenter nõ congelatur,qa tunc remanet aqua in sua natura: idem dicendum est de decoctionibus Aromatariorũ. De lixiuio autem dicitur : si est aqua transiens per cineres, cum modica decoctione, vel sine decoctione , potest ad Baptismum deseruire : nam idem iuditium de ea faciendum est,quod de aqua transeunte per mineras sulphureas, in quibus fit alteratio in qualitatibus tantum,& sic intelligit D.Th.si autem incorporatio cinerum est tanta , puta per plures colationes , & magnam decoctionẽ,ut in capitellis,ex quibus fiunt sapones,tũc non esset cõueniẽs materia Baptismi: & sic intelligit Franciscus de Maironis : vbi autem probabiliter du-

6 *Lixiuium,& iusculum , an sint materia Baptismi.*

bitatur

bitatur de his, securius esset, baptismum cum conditione reiterare, quia est Sacramentum necessitatis. Hæc autem dicuntur, non quòd baptizans his rebus uti debeat, dum habet aquam puram; esset enim graue peccatum; sed dicuntur, ut dum accideret nasci aliquem infantem, de cuius uita dubitaretur, propter quod oporteret eum statim baptizare, ita ut tempus non permitteret expectare, dum aqua asportaretur; uel inueniretur in loco, ubi de illa esset inopia, tunc ad huiusmodi res, pro remedio recurrendum esset. Dicitur tandem (fluida) si enim aqua esset congelata, ut nix, grando, ac glacies, non perficeretur Baptismus per eorum contactus, nisi prius ista iterum in aquam conuerterentur, seu resoluerentur. Idem dicendum, si tangeretur spongia in capite, cuius aqua esset in foraminibus; uel pannus in aqua madefactus, nisi exprimerentur. *Admonitio.*

De Forma Baptismi.

7 ET quia dictum est, accedente uerbo ad elementum, fit Sacramentum, quæritur, quod est uerbum istud, quod dicitur forma Baptismi? Respondetur, forma baptismi est. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, amen. Quæ forma est conuenientissima: nam baptismus consecratur per formam, iuxta illud August. lib. de unico baptismo, dicentis: Baptismus verbis Euangelicis consecratur: Cum aũt consecratio à causa efficienti deriuetur; consequens est, ut forma causam efficiẽtem exprimat: Causa efficiens est duplex. s. Principalis, quæ est Sanctiss. Trinitas; & Instrumentalis, quæ est Minister: vtraque hic exprimitur. Dicendo enim: Ego te baptizo, tangitur Minister, qui est causa Instrumentalis, & ministerialis: & quia non baptizat uirtute propria, sed Dei, qui est causa principalis, ideo hæc exprimitur, dum dicitur: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Et quòd hæc sit uera forma à Christo instituta, patet ex Matt. vlt. Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.

8 *Causa efficiẽ duplex in Baptismo.*

Sed hic quæritur, an uerba ista sint forma ita præcisa, ut nullo modo uariari possit sine errore, & quæ uariatio baptismũ annullet? Pro hac difficultate non parua, est aduertendum, propter mulieres & homines ignaros, qui in casu necessitatis baptizare solẽt, ut ait Scotus, dist. 3. q. 2. ꝙ sicut mutatio in natura quadrupliciter fieri põt, teste Phil. 5. Physic. s. secundum Substãtiam, Quantitaté, Qualitatem, & Vbi: ita in istis uerbis formę baptismi, uariatio quadrupliciter fieri potest, scilicet, secundum Substantiam, uerba mutando, secundũ Quantitatem, noua uerba apponendo, uel aliquid de prædictis subtrahendo; secundũ Qualitatem, uerba uariando, quantum ad congruam locutionem, uel terminationem; & denique secundum Vbi, prædicta uerba transponendo: puta, dicendo in principio, quæ posita sunt in fine, uel in medio, & econtra.

9 *Dubium, quæ uariatio in forma, Sacramentum annullet, quantum ad substantiam.*

Quantum ad primum, dupliciter fieri potest: ubi loco alicuius uerbi positi in forma Baptismi apponatur aliquod uerbum extraneum, & differens sensu, & significatu ab illo uerbo, pro quo ponitur: puta qui loco (baptizo) diceret (calefacio) & loco (patris) diceret, (Domini) clarum est, quòd non baptizat. Vel loco illius uerbi apponatur aliquod aliud, quod habet eundem sensum vel idem significatum, quantum ad rem licet, non tamen quantum ad modum: quod multipliciter cõtingere potest: & de omnibus erit specialis quęstio, propter diuersas opiniones.

Pro quibus nota. In hac forma sunt quædam uerba, quæ principaliter pertinent ad eam, ut inuocatio S. Trinitatis; quædam alia non principaliter pertinent ad eam, licet necessariò, ut sunt illa, quæ exprimunt actum ministri, & suscipientem baptismum. Et quantum ad actum baptizandi, & personam suscipientem, opus est ut exprimantur, tanquam simpliciter necessaria; non tamen eodem modo, ut hic ponuntur, videlicet, (Baptizo te) quòd autem sint simpliciter necessaria, colligitur ex uerbis Christi, scilicet, (Baptizantes eos) sed quòd non opus est, ut exprimantur eodem modo, colligitur ex hoc, quòd non utitur eisdemmet uerbis, nec Græci utuntur uerbis nostris; esset tamen peccatum mortale, mutare formam nostram, & vti illa Græcorum. Quantum ergo ad verbum (Baptizo,) dico, quòd loco eius possumus uti, (tingo) vel (abluo) quia sunt uerba æquipollentia, idem significantia, & exprimentia eundem actum, & effectum; nam Christus ordinauit formam baptismi uerbis Hebraicis: Græci traduxerunt ea in eorum linguam: & hoc nomen (Baptizo) est nomen Græcum, quod Ecclesia Latina sibi retinuit; quia multum appropriatè hunc sacrum effectum significat. Vnde sicut licitum fuit Græcis tradere formam uerbis Græcis, traducendo Hebraica uerba, ita nobis licitum foret traducere alia uerba Græca in Latinum. Itaq; non esset scrupulosum uti hoc uerbo (Lauo) pro (Baptizo) ut facere solent seculares, in extrema necessitate, iuxta doctrinam Pauli ad Ephesios, vocantis baptismum, lauacrum aquæ: non tamen licitum esset uti hoc uerbo (balneo, uel immergo) secundum Innocentium, cap. 1. de Baptismo. Glos. de Consecrat. Cān. Mult. & Alexand. de Ales, quarta parte, quæst. 13. quia non sunt sinonima, & idem significantia, cum hoc uerbo (Baptizo.) Verum, qui uellet uti his uerbis æquipollentibus, & intenderet nouum ritum introducere contra ordinationem Ecclesiæ, non baptizaret; quia deficeret intentio Ecclesiæ, cui tenentur conformari; Si aut has mutationes simpliciter faceret, non uitiaret Sacramentum, quia idem significant.

Quantum autem ad uerba principalia, scilicet in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, an possint uariari, est maior difficultas, pro cuius rei intellīgētia

10 *Dubium, dicendo in nomine Christi, an baptizaret.*

Dubitatur Primò, An loco istorū uerborū, s. in noīe P. & F. & SS. dici possit, in nomine Christi tm̄, sine expressione aliarum personarum? Pro responsione huius quęsiti aduerte, unum esse clarum, s. si quis baptizaret in nomine Christi, peccaret mortaliter, quia faceret contra Ecclesiæ ordinationē. Verum, si hoc attentatum fuerit, an esset uerus baptismus, dubium est: Aliqui autē dicunt, si

11 *Prima opinio.*

Apostoli baptizauerunt sub hac forma, ut legitur Actuū 2. 10. 19. & nō sub illa à Christo instituta, ut dictū est, hoc fuit nō auctoritate propria, sed ex dispensatione Diuina, & Christi reuelatione, qui uirtutē Sacramentorum uerbis illis præcisè non alligauit, occasione sumpta primo ex hoc, q illis tēporibus, nomē Christi erat odiosum, ideò ita baptizabant, ut ob id eius nomen amabile, & amicabile redderetur. Secūdò, quia circa baptizatos insurrexerat error, ut quisquā uirtutē baptismi suo ministro attribuebat baptizāri Vnde & dicebāt: Ego sum Pauli, Ego sum Cephæ, &c. imò aliqui ita erant affecti baptismo Ioānis, ut renuerent baptizari postea Baptismo Christi: Vnde Apostoli, ut ostenderent, oēs debere baptizari baptismo Christi, & q oēs qui ita baptizabantur, in Christi uirtute saluabantur, dicente Paulo ad Corinth. Quotquot baptizati estis, in Christo Iesu baptizati estis, itaq; ex hoc baptizabant sub hac forma, scilicet Baptizo te in nomine Christi, Amen, vt per hoc diuulgaretur nomen Christi. Quod credo, eos nō fecisse in partibus remotis, quia ibi nō opus erat. Qua oc-

Secunda opinio.

casione transacta, non amplius fuit licitum. Vnde qui postea taliter baptizarent, dicunt illi, baptismum non perficerent. huius opinionis est D. Th. tertia

parte,

parte,q.66.& tota Schola Theologorum,præter Caietanum. Alij,& maximè Canoniſtæ,non inuenientes ubi fuerit facta talis diſpenſatio, & poſtea reuocatio,dicunt: Si quis in nomine Chriſti baptizaret,verè baptizaret,licet peccarét mortaliter. Apoſtoli namq; uſi ſunt hoc uerbo,non diſpenſatione, ſed auctoritate propria;quia æquipollet S.Trinitati.Vnde D.Ambroſ.ita illud exponit:Cum Chriſtum dixeris,filium,qui vnctus eſt,& patrem,à quo vnctus eſt,& Spiritum ſanctum,per quem vnctus eſt, intelliges. Confirmant hanc opinionem auctoritate Nicolai Papæ,ut habetur de Conſecra.diſtinct.4.Can. A quodam, vbi habentur hæc verba: Si in nomine ſanctæ Trinitatis, vel tantum in Chriſti nomine, ſicut in Actis Apoſtolorum legimus, baptizati ſunt, vnum quippe,idemque eſt,ut S.Ambroſ.exponit, conſtat eos non eſſe denuo baptizandos. Vbi conſtat,multo poſt tempus Apoſtolorum,hunc vſum baptizandi Papam approbaſſe.

Ratio prima opinionis.

His auctoritatibus ſuffulti Gloſſatores Canonum,& aliqui Theologi, gloſſant etiam Can Si re uera,& Canon.Multi ſunt,ſecundum eorum opinionem. Opinio prima fundatur ſuper verbo Chriſti dicentis Matth.28. Euntes autem, docete omnes gentes,baptizantes eos in nomine Patris,& Filij,& Spiritus ſancti. Quæ forma,ut uarietur,fieri non poteſt,niſi diſpenſatione Diuina, ut dixi. Ratio huius eſt:nam cum Sacramentum Baptiſmi ſit Sacramentum fidei,opus eſt, ut in illo integra fides confiteatur : ad fidem autem non ſolum eſt neceſſarium confiteri tres perſonas eſſe; verùm etiam eo ordine diſtingui, vt ſint Pater,Filius, & Spiritusſanctus: Vnde ſequitur,vt ſicut dicendo in nomine Trinitatis,non conficitur Baptiſmus,vt inferius probabimus,nunc autem ſupponimus;ita,& dicendo,in nomine Chriſti; ſub quibus verbis, perſonæ implicitè,& confusè intelliguntur;quod non ſufficit,ſed expreſsè,& explicitè nominari debent,ut dicemus. Ad auctoritates in contrarium dici poſſet, & primò ad D.Ambroſium,q eius dictum ſaluari non poteſt, quamuis Richardus, & D.Thoeum ſano modo interpretentur,propter eius reuerentiam: Ad Cano. Nicolai Papę dicitur,quòd licet dictus Pontifex arbitratus ſit tempore ſuo ualuiſſe baptiſmum factum in nomine Chriſti,motus auctoritate Ambroſij,non tamen hoc decreuit,tanquam articulum fidei, ait Sotus, diſt.3.q.1.artic.5.ſed ſolum tanquam opinionem,ſequendo ſententiam Ambroſij:& ideo magis adhærendum eſt opinioni contrariæ,fundatę in uerbis Euangelij, & auctoritate multorum Summorũ Pontificum. Nam Can. Si re uera ſuprà citatus,facit pro nobis:nam Pelagius Papa ſcribens Gaudentio Epiſcopo,dicit,Baptizatos in nomine Domini,eſſe baptizandos in nomine ſanctę Trinitatis, explicitè tamen, ſcilicet P.& F.& S.S. Vbi ly,(Domini)de more intelligitur,pro ly,(Chriſti)vt habetur Actuum 8 q Glo.non aduertit. Et in Can.Multi ſunt,Papa expreſſius loquitur, non deberi baptizari in nomine Chriſti:ubi habentur hęc verba:Multi ſunt,qui in nomine ſolũmodo Chriſti una et immerſione, ſe aſſerunt baptizare:Euangelicum verò pręceptum,ipſo Deo, & Domino ſaluatore noſtro Ieſu Chriſto tradente,nos admonet,in nomine Trinitatis, trina etiam merſione ſanctum baptiſma vnicuique tribuere,dicente Domino diſcipulis ſuis: Ite baptizate oẽs gentes,in nomine Patris,& Filii, & Spiritus ſancti,ſed Gloſ. hunc Can.intelligit Pontificem hic reprehendere eos, non quia baptizabant in nomine Chriſti,ſed una merſione tantum, mota ex uerbis Nicolai Papę, vt ſuprà dixi. Quæ intelligentia Can.non conuenit, tum quia verba aliud ſonant,tum etiam,quia res de qua loquitur,aliud expoſcit: baptizare namque una,vel trina immerſione parum refert,ut infrà videbimus;baptizare aũt in nomine Chriſti,vel Trinitatis,multum refert pp difficultatẽ moram; & ideo rationabilius eſt dicere,q loquitur de illo, q multum refert. Itaq; vndiq; nobis ſunt anguſtiæ

Ratio ſecũda opinionis.

Ad rationem primæ opinionis.



3 *Opinio Auctoris.* ſtiæ. Ego autem videns has, & multas alias rationes, pro, & contra, & auctoritates magnorum virorum adductas: & in eis nullam euidentiã, ſed aliquas coniecturas aſpexerim; dicerem, ſecurius eſſe, ſic baptizatum ſub conditione baptizari forma communi. Vnde Magiſt. diſt. 3 titubans de ſententia D. Ambroſ. dicit: tutius eſt, tres perſonas nominare, ſcilicet Pat. & Fil. & Spir. San.

Dubium, dicendo in nomine Trinitatis an efficax fiat baptiſmus. Dubitatur ſecundò, An dicere, in nomine Trinitatis amen, ſic abſolutè, valeat baptiſmus? Reſpondet Caietanus ſuper D. Tho. loco ſuprà allegato; quod ſic, relinquendo D. Tho. in hoc caſu. Ratio eius eſt talis: Chriſti inſtitutio, quo ad formam Baptiſmi non coarctatur quo ad voces, ſed quo ad ſignificata. Vnde ſatis eſt, ut tres perſonæ ſignificentur implicitè, & confusè; dicendo, in nomine Trinitatis, ſicut dicendo in nomine Chriſti, vt ſuprà dictum eſt. Et quãuis quæſtio de nomine Chriſti ſit perplexa, ut vidiſtis: eo quod ita vſi ſunt Apoſtoli, & neſcitur qua ratione, tamen hæc de nomine Trinitatis eſt magis clara, *Opinio Caietani.* quod fieri non poſſit. Ratio D. Thom. eſt, quia Chriſtus ſic inſtituit, ut nomina perſonarum expreſsè, & ſingillatim nominentur: & per earum relationes, quibus conſtituuntur: quam opinionem ſequuntur non ſolum Theologi, *Alia opinio D. Thomæ.* ſed confirmatur auctoritate Iuris Canonici: nam ubicunque legitur de Conſecrat. diſtinct. 4. In nomine Trinitatis, intelligitur expreſsè, & diſtinctè perſonas nominare, ut ibi eſt uidere: & præſertim Canon. In Synodo, & Can. Multi ſunt, vbi expreſsè declarantur à Summo Pontifice. Et ideò, qui baptizaret in nomine Trinitatis tantum, non modo mortaliter peccaret, ſed baptiſmum etiam reiterare deberet.

12 *Dubium dicendo in nomine Genitoris, Geniti, et Spirati.* Quæritur tertiò. An dicere in nomine Genitoris, Geniti, & Spirati, eſſet vera forma Baptiſmi? Et videtur, quòd ſic: quia hoc modo perſonæ diſtinctè exprimuntur, vt ſuprà exigi probatum eſt. Vnde Hoſtienſis, & Glo. ſuper Can. Multi ſunt, reſpondent affirmatiuè, nihil enim refert, ſi perſonæ exprimantur per verba æquipollentia. Argum. ff De verborum oblig. l. Quæ extrinſecus, & l. certum, ff. ſi certum petatur. Idem affirmat Caietanus dicens: Multo magis valet baptiſmus, ſi perſonæ explicentur, per iſta nomina prædicta, quam ſi dicantur implicitè, ſub nomine Chriſti, vel Trinitatis. Contraria opinio eſt magis uera, & communis: rationem aſſignat D. Thom. quo ſuprà. Forma Sacramenti virtutem ex Chriſti habet inſtitutione: Chriſtus autem illam inſtituit in illis uerbis peculiariter, quæ perſonarum hypoſtaſes ſignificant: & quia Hypoſtaſes conſtituuntur per relationes, quas important iſta nomina, Pater, Filius, & Spiritusſanctus: vt probat D. Thom. prima par. queſt. 40. art. 2. & non per actus notionales, quos important iſta nomina Genitor, Genitus, & Spiritus. Itaque hæc nomina Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, habentur pro nominibus proprijs puta, prima perſona in Trinitate ita uocatur Pater, ſicut hic homo vocatur Petrus: & ſecunda, ita vocem filij habet, ut ille homo habet nomen Ioannes: & tertia ita nominatur Spiritus ſanctus, ut alius homo, uocatur Andreas: ideo per iſta conficeretur Baptiſmus, & non per illa. Ad rationem Caietani, ſcilicet, quia ſunt nomina æquipollentia, dicitur, non ſufficit vti nominibus, quæ idem ſonant quantum ad ſignificatum materiale tantum, vt ſunt Genitor, Genitus, & Spiratus: ſed requiritur, vt idem ſonent quantum ad ſignificatum formale, tunc enim ſunt nomina verè Synonima: Hinc etiam ſequitur, quòd loco Patris, in hac forma non poſſumus dicere, in nomine Innaſcibilis, & loco filij, non poſſumus dicere, Verbi, & loco Spiritusſancti, dicere, Paracleti, amoris, uel nexus, & ſimilia: quæ licet materialiter idem ſignificent, non tamen formaliter, ut ſynonima dici poſſent. Ad rationem Hoſtienſ. & Glo. dicitur, quòd habet locum in ſtatutis, de quibus ibi loquitur, & non in Sacramentis, ubi forma uerborum eſt operatiua. Quæritur quartò. An illa dictio, (in nomine

mine (eſt ita eſſentialis, ut non poſſit variari ſine corruptione formæ? Primo dicitur: qui loco eius diceret in nominibus, non baptizaret: rationem aſſignat D. Thom. 3. par. q. 66. artic. 5. ad 6. argum. nam illa dictio (in nomine) ſtat eſſentialiter, pro eſſentia Diuina, in cuius virtute baptiſmus operatur. Et quia opera Trinitatis ad extrà, ſunt indiuiſa, quidquid attribuatur eſſentiæ Diuinæ, ſingulariter attribuetur: ideo dicendum eſt (in nomine) in ſingulari, denotando eſſentiam, in cuius auctoritate confertur Baptiſmus; & non (in nominibus) in plurali, denotando perſonas diſtinctè: quia eſſet multiplicare eſſentiam. Hęc quidem ſententia confirmatur auctoritate D. Hieronymi, & habetur de Conſecratione, diſtinct. 4. Can. Eodē modo. Poſſet tamen dici, in nomine Patris; in nomine Filij: in nomine Spiritus ſancti: quia vt ſic, non eſſent plura nomina: ſicut dicendo, in nominibus: ſed vnum, & idem nomen eſſentiale Dei, tribus perſonis replicatum: ſicut quando dicitur, Deus pater, Deus filius, Deus Spiritus ſanctus, & tamen vnus eſt Deus. 13 *Dubium de ly. (In nomine)*

Sed hic quęritur vlterius, quid intelligatur per ly. (in nomine) Reſpondet Magiſt. diſt. 3. in nomine, ideſt in inuocatione, & confeſſione: Et quia hoc ipſum, quod dicitur (in nomine) eſt ipſa propriè inuocatio, & confeſſio: ſi pro inuocatione ſtaret, ſequeretur, quòd eſſet inuocatio inuocationis, & confeſſio cō feſſionis; ideò non placet. Vgo autem lib. de Sacramentis, dicit, idem eſt dicere, in nomine, quod in fide; quod conſonat: quia Baptiſmus eſt Sacramentum fidei: confirmatur etiam hoc dicto Euangelij, ſcilicet: Qui crediderit, & baptizatus fuerit. Verum melius dici poteſt cum D. T. & Soto, in 4. diſt. 3. quæſtio. vnica, artic. quinto, in nomine, ideſt in poteſtate, auctoritate, & virtute, patris, &c. Sicut enim Prætor, dum facit aliquid in nomine Regis, illud dicitur facere eius auctoritate, & poteſtate: ita in propoſito. Hoc etiam modo intelligimus illud Pſal. Hi in curribus, & hi in equis, nos autē in nomine Domini Dei noſtri inuocabimus. Et aliud: Deus in nomine tuo ſaluum me fac, & in virtute tua libera me. Itaque in hac confeſſione, non ſolum perſonarum Trinitatem confitemur: ſed etiam eius virtute, poteſtate, & fauore conſequi fatemur, quod per baptiſmum nobis confertur. *Dubium.*

Dubitatur, & ulterius, cum hæc dictio (nomen) ſonet idem quod fides, auctoritas, virtus, &c. licebit ne dicere, in fide aut in virtute, patris, &c. Reſpondet Innocent. cap. 1. de baptiſmo, cui adhæret Sotus quo ſuprà, quòd non: quamuis enim nomen, ſonet omnia illa; non tamen, vnumquodque illorum ſigillatim dicit totum, quod nomen; ideſt fides, virtus, poteſtas, &c. ſigillatim, & ſeorſum ſumpta non ęquipollent cum hac dictione (nomen), vt hic ſumitur: Vnde ultra quòd peccaret, Sacramentum non eſſet tutum, ſed cum conditione reiterandum. *Dubium.*

Quantum ad ſecundum principale, i. de uariatione ſecundum quantitatem, dupliciter fieri poteſt. Vel ſubtrahendo aliquam dictionem de forma: vel addendo ipſi formæ aliquam aliam dictionem. De primo dicitur. Si in forma prolata deficit aliquid, quod non eſt de eſſentia formæ: puta, (ego,) vel (amen) nō vitiatur Sacramentum: & in hoc non eſt controuerſia: quòd enim miniſter aliquo uerbo exprimatur non eſt ſimpliciter neceſſarium; Vnde hoc pronomen, ego, ſi relinquatur, non redditur forma defectuoſa, nec eſſet lethalis culpa: partim, quia nō eſt in verbis Chriſti, partim ēt, quia dicendo, baptizo te, ſubintelligitur, ego. Vnde Gręci baptizant ſub hac forma. Baptizetur ſeruus Chriſti, ſine expreſſione miniſtri; quod faceret ad euitandum errorem eorum, qui uirtutem baptiſmi miniſtris attribuebant, dicentes. Ego ſum Pauli, Ego ſum Cæphæ, Ego autem Apollo. Qui error inſurrexerat in Eccleſia Oriētali, & non Occidentali: ideo Latini non curauerunt de hoc. Si autem ſubtrahatur aliquod *De variatione ſecundum quantitatem.* 14 *Forma Græcorum.* 15

uerbum

verbum de principalibus, & essentialibus, puta verbum, per quod explicatur actus baptizandi, videlicet, baptizo, uel persona, quę baptizatur, videlicet, te, non fit sacramentũ, Cap. 1. de Baptismo, & eius effectu. Neque erit baptismus si in prolatione formæ deficeret aliqua personarum Trinitatis: puta Patris, vel
16 Filij, vel Spiritus sancti: quia quodlibet prædictorum est necessarium ad formam, ut habetur de Consecratione dist. 4. Can. In Synodo. De secundo dicitur: addendo aliquod uerbum extraneum, hoc multipliciter fieri potest. Primò, prę mittendo aliquid in principio; & tunc si non repugnat verbis formæ, fit baptismus, uerbi gratia dicendo: Precibus, & meritis Beatæ Mariæ, & omnium sanctorum, ego te baptizo, in nomine, &c. quia sunt uerba deprecatiua, quæ potius conferunt ad formam. Vel dicendo: Arma virumque cano. Ego te baptizo, & cætera: quę, etsi sunt inutilia, & nihil conferentia, non tamen destruunt; sed si essent contraria, & destructiua formę. puta dicendo, non ego te baptizo, &c. Vel in uirtute Diaboli, uel similia, ego te baptizo ĩ nomine Patris, & Filii, & Spiritussancti, & quod dicitur de istis, intelligendum est de quocunque alio uerbo formæ præponendo. Idem quoque intelligendum est, si talia, & similia uerba dicantur post completam formam, scilicet, si non destruunt, aut uitiant sensum formæ, ualet baptismus; si autem contrariantur, puta, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: nec non Beatæ Virginis, & omnium sanctorum; intelligendo, quòd ita baptizat in uirtute, & auctoritate Beatæ Virginis, & sanctorum, sicut, &c. S. Trinitatis, esset error repugnans formæ; & consequenter, non esset Baptismus. Can. Si non, de consecrat. dist. 4. secus, si hæc, & similia adderentur ob deuotionem. Et multo magis impediretur effectus baptismi, si uerba adiuncta post formam, essent de se contraria, & aduersa formæ. Tertiò, uel interponendo verba in medio, & tunc dico, illa uerba si non repugnant uerbis formæ, nec illam destruunt, non vitiatur Baptismus. Verbi gratia, dicendo. Ego Ioannes baptizo te Petrum, in nomine Dei Patris, & Iesu Christi filii eius, & Spiritus sancti paracliti. Vel dicendo, in nomine Patris genitoris, & filii geniti. &c uel qd simile: quia hęc non destruunt, sed adiuuant sensũ. Si autẽ verba interposita repugnarent, vel errorem inducerent, non esset vera forma Baptismi: puta, dicendo: In nomine Patris maioris, & filii minoris: Vel dicendo in nomine Patris geniti, & Filij genitoris, vel simile. Si uerò verbum interpositum unitatem formę disiungeret, uel rumperet, tunc forma non haberet effectum, puta: Ego baptizo te, & non, in nomine Patris, &c. quia ly, non, destruit sensum; vel dicendo: Ego baptizo te, Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina, vel alia uerba longi sermonis interponendo, deinde subiungendo, in nomine patris, &c. quia vt sic disiungeretur unitas sensus formę, secus si uerba interposita talem effectum non facerẽt; sed humano iudicio, continuatio sensus uerborum formæ maneret, quamuis illa essent verba extranea. Verbi gratia, dicendo, Ego te baptizo, subiungeret; tacete, uel recedite, deinde sequeretur, in nomine patris, &c. Vel dicendo, ego te baptizo, Deus est, in nomine, & cetera, quæ sequuntur. idem dicendũ si inter loquendum, seu proferendum formam, tussim faceret aliquãtum, vel spueret. Et quamuis Hostiens. dicat, nihil esse addendum, uel subtrahẽdum, alias forma vitiatur: hoc non est uniuersaliter uerum, nec loca à se allegata faciunt pro se: sed quod dictum est, rationabile est. Quartò uel adiungẽdo cum formã aliquã conditionem, quę non existit: & tunc forma non ualet, puta, dicendo, si ego sum Episcopus te Baptizo, in nomine Patris, &c. uel dicendo, ego baptizo te, si tu es Græcus, uel quid simile: nam si talis conditio non existit, forma est falsa.

17 Quantum ad tertium principale, scilicet, de variatione secundum qualita-
De varia- tem, id est terminationes uerborũ, quæ pertinẽt ad congruitatẽ, dicitur breuiter. Si

ter. Si verborum terminatio ita incongrua erit, ut non corrumpat penitus sensum verborum, sed benè possit capi conceptus significatus per illa uerba: vt accidere solet quibusdam Clericis imperitis, & illiteratis: qui etsi quandoque loquantur incongruè, malè terminantes dictiones, tamen ab audientibus concipiuntur, quę dicere volunt: uerbi gratia dicendo: In nomine Patria, & Filia, & Spirituisancta, uel simile, si loquātur simpliciter, & bona fide, ut loquuntur idiotæ, & mulieres, tunc baptismus erit uerus. Si autem corruptio erit talis, & tanta, ut sensus uerborum cōiter percipi non possit, tunc forma non ualeret, & consequenter non esset baptismus. Et multo magis, si per talia uerba, & similia intenderet inducere errorem, & alium ritum, contra usum Ecclesiæ. Quod patet per Can. Retulerunt, de Consecratio. distinct. 4. Vbi Zacharias Papa respondens Bonifacio Episcopo, volenti rebaptizare eos, qui baptizati erant à quodam sacerdote ignaro, dicente, in nomine Patria, & Filia, & Spiritui sancta, consulenti respondit, per hęc uerba: Si Sacerdos ille, qui baptizauit, non errorem ibtroducens, aut hęresim, sed pro sola ignorantia Romanæ locutionis, infringendo linguam, ut suprà præfati sumus, non possumus consentire, ut de nouo baptizentur. *tione scdm qualitatem.*

Quantum ad quartum principale, scilicet de variatione secundum Vbi, idest transponendo uerba, dicitur: Si transpositio facta in solis uerbis formæ, uariaret sententiam, ut uerus sensus haberi non posset, puta, dicendo: Ego patris, baptizo te in nomine Filij, & Spiritus sancti, uel simile, tunc non baptizaret: quia vt sic aufert conceptum orationis, prout instituta est. Si autem transpositio non est talis, sed permittit, ut uerba transposita eundem sensum teneant, uerbi gratia dicendo, te baptizo ego, in nomine Patris, &c. quia nomina transposita idem significant, ait Arist. ad hunc sensum. Vel dicendo, Ego te baptizo in nomine Filij, Patris, & Spiritussancti: tunc non impedit, vt sit uerus baptismus, nam si congruum esset seruare ordinem personarum, secundum, quod originantur tamen quantum attinet ad veritatem Sacramenti, non est ita necessarium, ut si casu non seruetur, forma esset per hoc uitiata. (nisi per hanc transpositionem proferens errorem inducere uellet. Can. Hi verò, de consecrat. distinct. 4. nam personæ in hac forma, quocunque ordine nominentur (si ordo non inducit errorem) inuocantur, tanquam vnum efficiens principale, in cuius uirtute Sacramentū confertur. Et hoc modo intellectę opiniones relatę a Glos. super Can. si non sanctificantur, dist. 4. quæ uidentur contrariæ, conciliantur. Quæ dicta sunt de forma baptismi, rationabilius sentienda sunt, secundum Richardum, D. Th. Scotum, Franciscum de Maironis, Ioannem Bacchonum, & Sotum, Cęteri, autem, qui de hoc loquuntur, non sunt in omnibus audiendi. *De variatione scdm Vbi.*

De Immersione.

Dicto de Materia, & forma Baptismi quantum opus erat pro parochis, nūc conueniens est dicere aliquid de Immersione antequam ad vlteriora procedamus. Pro cuius rei intelligentia, nota, quod hic duo ueniunt consideranda. Vnum quod est essentiale: Alterum, quod est accidentale Baptismo. Essentiale huic Sacramento est, ut fiat ablutio in corpore, ad significandum ablutionem interiorem in anima, & ideo assumitur aqua pro materia baptismi, ut dictum est suprà. Accidentale est, modus abluendi, de quo 8

Quęritur, Primò, an ablutio fieri debeat per modum immersionis, an aspersionis, *De immersione Dubium.*

sionis,uel effusionis? Ad hoc respondens D.Th.3.par.q.66.art.7. dicit. Quamuis tutius esset baptizare per modum immersionis, ita enim habet vsus antiquus ordinarius, dum baptizabantur adulti, & qui commodè immergi poterant: tamen fieri potest per modum aspersionis, & hoc propter necessitatem, cum multitudo copiosa esset baptizanda: ita legitur Actuum 2. & 4. vbi in vna die fuerunt baptizati tria millia, & in alia quinque millia: quod fieri non poterat, nisi aspergendo, iuxta illud Pauli ad Hebræos 10. Accedamus cum vero corde ad plenitudine fidei, mundi cordibus, sine consciẽtia mala, & abluti corpus aqua mundi. Potest etiam fieri per modum effusionis; iuxta illud Ezechiæ, cap. 26. Effundam super vos aquam mundam; & hoc uel propter paucitatem aquæ, uel propter imbecillitatem ministri, non potentis baptizandum sustinere, uel propter debilitatem baptizandi, ut accidit infantibus, quibus periculum immineret mortis, si immergerentur: ideò communiter hodie fit ablutio per effusionem aquæ in capite, cum quadam ampulla, uel alio uase delicato; qui modus est ualde commodus baptizanti, & baptizando, propter fontem ubi aqua benedicta ad hunc effectum conseruatur; uerum quia in hoc non est controuersia, standum est consuetudini loci.

19 *Dubium de trina immersione.* Dubitatur secundo. An debeat fieri trina immersio, seu effusio, an una tantum? Respondet D.Th. quo suprà, art. 8. quantum ad necessitatem Sacramenti, hæc se habent per accidens; potest enim fieri baptismus per unam, uel tres effusiones, ut habetur de Consecr. dist. 4. Can. De trina, & vtrunque fit mysterio, nam per unicam mersionem significatur vnitas essentiæ Diuinę, in cuius uirtute fit baptismus: per trinam autem significatur Trinitas personarum, quæ illic distinctè inuocantur. Vel dicamus, quòd per unicam effusionem significatur vnitas mortis Christi; per trinam autem, triduum mortis, & sepulturæ eius, vt ait August. in quadam homilia. Et habetur Can. Postquam, ead. dist. Verum Ecclesia diuersis de causis, diuersis temporibus, diuersimodè fieri ordinauit: in primatiua namque Ecclesia, ex eo, ꝙ aliquid de S.Trinitate malè sentiebant, & Christum purum hominem existimabant; filium aũt Dei dicebant, eo, quod per eius mortem, tale sibi nomen meruit: unde in talium commemoratione, unica immersione baptizabant: Quem errorem Ecclesia uolens extirpare, ordinauit, vt baptizarentur trina immersione, vt habetur Can. Si quis presbyter, ead. dist. Deinde successit alius error quorundam Scismaticorum, & Hæreticorum, qui rebaptizabant homines sub quodam errore, in cuius erroris detestationem, in Concilio Toletano fuit statutum, Baptismum fieri vnica immersione, ut habetur cap. propter scandalum, ead. dist. Sed temporibus nostris, in quibus hæc omnia cessauerunt, ait Magist. quo suprà, obseruanda est consuetudo loci; unde in partibus nostris, ubi ordo, & consuetudo Rom. Eccl. est, ut ter aqua effundatur, qui aliter obseruaret, peccaret mortaliter, ait D. Thom. sed baptismus tenet. Quod intelligendum est in baptismo sollemni; nam in casu necessitatis, & periculi mortis instantaneæ, secluso scandalo, non esset mortale, semel aquam effundere.

20 *Dubium de membro baptizando.* Quæritur tertiò, in quo membro fieri debeat affusio aquæ? Respondet D. T. quò suprà, si totum corpus commodè perfundi non potest propter supradictas causas, debet caput perfundi, in quo principium uitæ manifestatur, & hic est ritus Eccl. Rom. itaque qui ex professio, sine causa legitima, baptizaret in alio membro, quàm in capite, peccaret mortaliter. Sed an esset uerus baptismus dubitatur. Verum pro cõiori, & tutiori parte, ut nõ omnes citemus, qui de hac materia loquuntur, dicitur: Primò, qui intingeret pectus, uel tibias sine capite, verè baptizaret; sed peccaret mortaliter, si hoc sine necessitate attentaret. Secũdò, qui intingeret manum, uel pedem tantum, ut accidit in fœminis, quę habent

bent difficultatem partus, uel dum infantes nascuntur ex transuerso, & dubitatur, an uiui exeant ex utero, an sit baptizanda illa pars apparens, & sufficiat? alij dicunt, quòd sic, alij autem quòd non: sed media uia est tutior, cum D. Tho. q. 68 art. 11. Landulpho, Richardo, & multis alijs, s. si nullum periculum mortis imminet, expectanda est tota infantis natiuitas (unde aberrat Obstetrices, dum occurrit quælibet parua occasio, statim puerum, ubi possunt, baptizant) si autem caput tantum apparuerit, & imminet periculum mortis, potest in illo baptizari; & si postea totus egressus fuerit, non debet sub conditione rebaptizari; quia baptizatum est membrum in quo uigent omnes sensus; & in hoc non dubitandum; quidquid dicant aliqui. Si uerò apparuerit tãtum pes, uel manus, aut brachium, & urget periculum mortis, quòd non exierit uiuus, baptizetur illa pars apparens; quia in qualibet parte est anima; Verum quia in talibus partibus non uigent sensus, neque residet principium uitæ, ut in capite, & in pectore, vbi baptismus esset uerus, ut dictum est, dubitatur, an in dictis partibus sit etiam baptismus; itaque si contingeret perfectè nasci uiuum, melius est, ut cum conditione rebaptizetur, & in tuto ponatur.

Quæritur quarto, quanta debeat esse aqua, quæ effunditur, uel aspergitur, dum celebratur Baptismus? Respondetur, siue aqua sit multa, siue pauca, non est de necessitate Sacramenti: necessarium tamen est; ut sit tanta, quæ sufficiat, ad iudicandum hoc, scilicet, ut baptizatus dicatur ablutus esse: Vnde si quis aspergeretur cum tribus, uel quattuor guttis aquæ, nõ esset Sacramentum; quia tam exigua aqua non iudicaretur ablutio; dictum est enim suprà, quod Sacramentum est signum rei sacræ, res sacra hic est mundatio animæ, significata per mundatione exteriorem; mundatio exterior non potest iudicari in quattuor guttis aquæ: itaque in re dubia Baptismus esset reiterandus sub conditione. 31 *Dubium de quantitate aqua.*

Quæritur quinto. An opus sit ut aqua, dũ infunditur, tãgat carnes, baptizãdi uel solũ aspergatur? Ad hoc dicitur cum D. T. q sic: ait. n. Aug. Quæ est illa uirtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat? Ex quibus colligitur, si aqua non tangit corpus, non dicetur abluere. Vnde sequitur, si aqua aspersa tangeret solum uestes, nõ esset Baptismus; neque si effunderetur super homine undequaque cõtecto; puta capite cooperto, facie laruata, uel simile, ita ut aqua non attingeret carnes: nec etiam, ut ait Gabriel, si immergeretur inclusus in utre, uel simili, ita ut aqua non penetraret ad carnes. Esset bene baptismus, si immergeretur coopertus linteo, uel alio panno lineo, quia ut sic, aqua penetraret ad carnes, & sufficeret. Syluest. Verbo; baptismus; 4. §. 2. adiungit, si infans natus esset cum pelle secundina, baptizari posset: quod esset uerum, si pellis talis esset porosa ita, ut aqua attingeret carnes, aliàs non: quia non est pars eius. Sed dubium est, si aqua effusa attingeret capillos tantum; & non cutim. Sotus dist. 3. affirmat, talem esse baptismum, eò quòd capilli sunt partes capitis; & uiuunt anima uegetatiua: uerum hoc asserit cum formidine, aduertens, quod capilli sunt superfluitates: ideò dicendum, ut talis rebaptizetur cum conditione; nam si aspersus super pede, uel manu, ubi uiget anima sensitiua, nõ est tutus, sed cum conditione rebaptizandus: multo magis intinctus super capillis, qui carent omni sensu: nec ualet dicere, quòd sunt partes capitis; quia sunt superfluitates, & excrementa tantum, sine sensu. Et si aliquis instaret, adducendo Acta Apostolorum cap. 2. & 4. ubi tot millia hominum in una die baptizati fuere, quod fieri non poterat, nisi per aspersionem: in quo casu datur intelligi, paucis guttis aquæ, unumquemque lotum fuisse; & forsan illas non attigisse, nisi usque ad uestes, & capillos tantum. Respõdeo, non esse credendum Apost. ita temerè illos baptizasse, sed forsan transibant coram ministris, quia erant plures baptizantes, 32 *Dubium de tactu carnis per aquam.* *Dubitatio.* *Respon.*

ptizantes, bini, uel terni, ut super singulorum capita, certo ictu, & effusionē sufficienti, aqua caderet, dicendo, Ego uos baptizo, &c.

23 *Dubium de baptismo facto in utero.*

Quæritur sexto, an baptizari possit infans in utero materno? Respondet D.Th. quòd non, quia ut dictum est suprà, de essentia Baptismi est ut aqua tangat corpus baptizandi. Et si diceretur cum Iuliano Apostata, si baptizaretur mater prægnans, baptizatus esset & fœtus in utero; quia est aliquid eius antequam nascatur. Respondet August. hoc non esse uerum, non enim omne quod est in homine, baptizatur cum homine: & anima pueri est distincta ab anima matris, Can. si quid est in homine, de consecra. dist. 4. ideo dicendū est cum Sylu. quo suprà: Si propter difficultatem partus, uel alterius causę, mulier pręgnans esset certò moritura, ad cuius mortem moreretur & fœtus, non liceret matrem interficere, & aperire, ut fœtus saluetur, quia non sunt facienda mala, ut eueniant bona, sed postquam mortua esset, illam aperire liceret; & fœtum uiuum extrahere, & baptizare. Si autem periculum curreret ex parte fœtus, ut non nasceretur uiuus; si baptizaretur in utero, nō esset uerè baptizatus, ut postea posset in cæmiterio sepeliri, sicut illi, qui habuerunt aliquod uerum signum baptismi, quia nondū natus erat mundo, ideo non potest renasci Ecclesiæ, ait. Isidorus, & habetur Can. qui in maternis, ead. dist. Quòd autem dicunt aliqui, in tali casu debere baptizari ut potest, & relinqui misericordiæ Dei, qui uirtutem suam Sacramentis non alligauit, hoc pium est, & non legitimum. Et multo minus ualet, quod dicit Caietanus super D.Th. loco allegato, contra communem opinionem, & legem Dei ordinariam, suprà quam sine speciali reuelatione, non possumus iudicare.

24 *Dubium de illo, qui moritur antequā ad fontem accessit.*

Quæritur septimò, quid dicendum de illo, qui accessit ad fontem baptismi & antequam deuenit ad actum baptizandi, moritur, uel etiam dum infunditur aqua, antequam finiatur forma à ministro? dicunt aliqui, de quorum numero est Syluester, quo suprà, tenēdum est, illum esse baptizatum, quia quod defuit, supplet summus Sacerdos. Dictum hoc est uoluntarium, & sine fundamento, vnde si hæc ratio ualeret, militaret etiam in multis alijs casibus suprà recitatis, in quibus definitum est, non esse uerum baptismum: & quamuis Dei misecordia infinita sit non tamen sic de facili reccurrendum est ad pietatem, ubi nulla reuelatio diuinæ uoluntatis habetur, contra legem ordinariam, ut dicemus de baptismo sanguinis, & flaminis. Sed quòd puer ille amittat paradisum, pro tam parua occasione, in his, & similibus casibus, magnificatur iustitia, & misericordia Dei sic disponentis.

Dubiū de infante proiecto in flumē, uel puteum.

Quæritur octauò, si puer nondum baptizatus, inciperet mori, an propter inopiam aquæ, posset baptizans eum deiicere in flumen, vel in puteum, dicendo formam Baptismi? Panormitanus cum multis aliis Canonistis ait, hoc modo est verè baptizatus, quia adest materia, & forma. Sed oppositum est magis verum: nam vltra quòd esset homicida, nec esset baptismus, quia tali modo non est immersio, vt requiritur, sed summersio, & suffocatio. Posset bene si haberetur funis, pannum in flumen, vel in puteum demittere, & de illo aquam exprimere, vel illum ligare, & aquæ immergere dicendo formam, deinde emergere, & tunc haberet modum ablutionis, vt requiritur, & quamuis Panormit. dicat, quòd immersio non est necessaria, oppositum est verum, eleuatio enim à fonte, significat resurrectionem Christi à mortuis; dicente Paulo: Consepulti sumus cum Christo in mortem eius.

De

De miniſtro Baptiſmi.

CVm ſacramentum baptiſmi ſit Sacramentum neceſſitatis, ſine quo nemo ſaluatur, iuxta ſententiam Domini Nicodemo patefactam: Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, &c. & habetur de conſec. diſt.. Can. 1. Et certè ſine ipſo in re, pueris ſubueniri non poteſt. Can. Nulla, ead. diſt. Adultis autem, quamuis ſine ipſo in re, ſubueniri poſſit, dum ſcilicet homo illud haberet in deſiderio, & copia baptiſmi negaretur, ut inferius dicetur, non tamen ſine ipſo in re, adulti ſemper habent plenam remiſſionem peccatorum, quo ad pœnam tempolarem, ait D. Th. 3. p. q. 67. artic. 2. quod ideo dicitur, quia adulti non ſemper habent perfectam contritionem, quæ ſufficit ad euacuandam pœnam, quæ contritio non eſt neceſſaria in adultis ſuſcipientibus illud in re, ad habendum plenarium effectum Vnde Deus optimus maximus, qui diues eſt in miſericordia, & omnes homines uult ſaluos fieri, ut de facili homo remedium inueniret, decreuit, ut ſicut pro eius materia eſſet aqua ele mentum commune, & uniuerſale, quod de facili ubique inuenitur, ita etiam 25
uoluit, ut eius miniſter eſſet uniuerſalis; ſcilicet quilibet homo uiator, ne propter baptiſmi defectum, aliquis ſalutis ſuę diſpendium pateretur, quod fuit conueniens ita eſſe: nam Sacramenti generaliſſimi, ut eſt baptiſmus, cauſa debet eſſe generaliſſima. Verum ſecundum quãdam conuenientiam, & ſollemnitatem, hoc Baptiſmi officium pertinere debet ad ſolos presbyteros. Can. Conſtant, ead. diſt. Ipſi enim, ut ait D. Th. quo ſuprà, ad hoc conſecrantur, ut Corpus Chriſti conficiant, quod eſt Sacramentum Eccleſię unitatis. Iuxta illud Pauli ad Corint. 10. Vnus panis, & unum corpus ſumus omnes, qui de vno calice participamus, & quia homo per baptiſmum efficitur particeps unitatis Eccleſiæ, & accipit ius ad menſam Domini, hinc fit, ut ſicut ad Sacerdotem pertinet Euchariſtiam conſecrare, ita etiam ad ipſum conueniens eſt, pertinere baptiſmum miniſtrare, eiuſdem enim uidetur eſſe, totum operari, & partem ad totum diſponere. Ad Diaconos autem non pertinet ex officio, hoc Sacra- 26
mentum miniſtrare, ſed maioribus miniſtrantibus ſeruitium præbere. Can. Diaconos, diſt. 93. Itáque quicunque non Sacerdos ſollemniter baptizaret, efficeretur irregularis. Cap. 1. de clerico non ordinato. Nec Sacerdotes ſine peccato indifferenter miniſtrare poſſunt, niſi parochi, unuſquiſque in ſua parochia, uel aliqui priuilegiati, vel ex licentia parochi, in ſua parochia. In caſu autem neceſſitatis quiſque baptizare poteſt, non exiſtente copia Sacerdotis. Can. Eodem, & Can. In neceſſitate, de conſecr. diſt. 4. Hoc tamen ordine. Mulier præſente Maſculo baptizare non debet. Can. Mulier. ead. diſt. niſi vir ille eſſet pater infantis, uel ita ignarus, vt neſciret proferre formam baptiſmi, uel quando infans eſſet baptizandus, antequam totus exiret ex utero, cauſa honeſtatis. Secularis pręſente clerico in ſacris, baptizare non debet: & Leuita omnibus præferri debet: aliàs peccarent; ſed eſt veniale.

Baptizare ſollemniter pertinet ad ſolos Sacerdotes.

Et quãuis miniſter Eccleſiæ hoc Sacramentũ miniſtrans in peccato mortali, 27
de nouo peccet. Dicente Aug. lib. 4. de Baptiſmo: Ego dico, & nos dicimus omnes, quia iuſtos oportet eſſe, p quos baptizatur: tamen ſi miniſter malus fuerit, non per hoc ſequitur malum eſſe Baptiſmum: quia baptizans miniſterium tantum habet, & non poteſtatem, & virtutem baptiſmi; ille namque poteſtatem ſibi retinuit; de quo Spiritus Sanctus dicit: Hic eſt, qui baptizat: Itaque nõ minus datur à malo, q̃ à bono miniſtro; nec melior à meliori. Vnde Aug. quo ſu

prà. Baptiſmus talis eſt, qualis ille, in cuius poteſtate datur; & non qualis ille, per cuius miniſterium datur. Can. Si inter, & duobus ſequentibus, de conſecratio. diſt. 4. Et conſequenter æquale munus, & donum datur ipſi baptizato in ſacramento, ſi à malo miniſtro datur, ſicut ſi à bono: non enim eſt munus hominis, ſed Dei.

28 *Dubiũ de baptizatis ab hæreticis.* Quęritur hic, an baptizatus ad hæretico ſit uerè baptizatus? Dicitur, quòd ſic: ſi vſus eſt uera forma Eccleſiæ intendens, quòd Eccleſia intendit. Can. Sice hæreticus, ead. diſt. Verum adulti, ſi baptizantur extra Eccleſiam, ſuſcipiunt baptiſmum, ſed non effectum baptiſmi, donec ad Eccleſiam redierint. Can oſtenditur, ead. diſt. Vnde Auguſtinus, & habetur Can. Eccleſia, ead. diſt. ait: Extra Eccleſiam baptiſmus accipi poteſt, ſed non prodeſt.

Dubiũ de baptizato à pagano, vel Iudæo. Quæritur Secundò. An baptiſmus datus à Pagano, uel Iudæo, ualeat? Dicitur ſi omnes iſti intendat facere quod facit Eccleſia in illo actu, proferendo debitam formam, uerè baptizabant. Can. Romanus, & Can. A quodam Iudæo. ea. diſt.

Dubiũ de baptizante ſe ipſum. Quęritur Tertiò. An baptizans ſeipſum, dicatur baptizatus? Dicitur, quòd non: nam inter baptizantem, & baptizatum debet eſſe diſcretio: dicente Domino Apoſtolis: Ite baptizantes eos, &c. Vnde ſicut in generatione carnali, nemo à ſeipſo oritur; ſed differt generans, à generato: ita, & in ſpirituali: & habetur Cap. Debitum, de Baptiſmo, & eius effectu. Qui autem, neceſſitate ductus, hoc faceret, ſi tunc moreretur, ſaluus quidem eſſet, non propter baptiſmum fluminis, ſed flaminis, ſcilicet propter cõtritione, & deſiderium baptiſmi, ut ibi legitur de quodam Iudæo, qui in mortis articulo, inopia baptizantis, ſeipſum baptizauit, immergendo ſe in aquam.

De cauſa Finali, ideſt intentione.

29 *Intentio ex parte miniſtri neceſſaria.* SIcut in alijs Sacramentis requiritur tamquam de eſſentia intentio, ita & in iſto, ſaltem uirtuali, ait D. Th. in quarto Sentent. diſt. 6. q. 1. ad 3. argum. Itaque quantumcunque aliquis proferat uerba formę, niſi intendat facere quòd facit Eccleſia, non baptizat. Et quantum ex parte miniſtri, clarum eſt per Cano citatos, & præſertim per Can. Retulerunt, ead. diſtinct. 4. Sed dubitatur, an baptizatus à non habẽte intentionem baptizandi, ſaluabitur? Dicitur, quòd ſic, ſi credebat ſe eſſe baptizatum Cap. Apoſtolica, de Presbytero non baptizato: quia intentio miniſtri, non niſi per Deum, qui corda ſcrutatur, ſciri poteſt. Verum ſi miniſter bona fide notificaret, ſe non habuiſſe intentionem baptizãdi; tunc uerisimiliter dubitari poteſt: & ad cautelam baptiſmum cum conditione reiterare debet. Sed quid dicendum de illo, qui baptizaret ioco) Auguſtinus non audet definire, ut habetur in Can. Solet, diſt. 4 ſed Gloſ. in dicto Can. & Magiſt. Sent. diſt. 6. ſequentes ſententiam ſapientum, cum Ioanne Baccone. diſt. 6. quæſt. 1. dicunt; non eſſe talem baptizatum: ſi nil aliud intendebat, niſi iocare, & irridire, & aliquid aliud ad baptiſmum impertinens facere. Si autem iocando, habuit intentionem Eccleſiæ: nec aliud contrarium ipſi actui baptiſmi fecit, uerè baptizauit. Et ſic intelligendum eſt dictum Hoſtienſis. Et ubi reſolutio uera in talibus haberi non poteſt, baptizandus eſt ſub conditione. Can. Si nulla, ead. diſt.

De baptizante ioco.

Intentio ex parte ſuſcipientis baptiſmum neceſſaria. Sed de intentione ſuſcipientis baptiſmũ, quid dicẽdum ſi adultus eſt? neceſſariò requiritur uoluntas propria ſuſcipiendi baptiſmum: rationem aſſignat D. Thom.

D. Thom. tertia p. q. 68. ar. 7. dicens, Homo per baptiſmum moritur ueteri uitę; & incipit vitæ nouitatem. Iuxta illud Pauli ad Rom. 6. Conſepulti ſumus Chriſto, per baptiſmum in mortem; ut quomodo Chriſtus ſurrexit à mortis per gloriam patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. Vnde ſicut, ut homo moriatur veteri vitæ, requiritur uoluntas, qua ueteris uitæ pęniteat; ita requiritur uoluntas, qua nouam intendit, cuius uitæ nouæ principium eſt ſuſceptio baptiſmi. Hoc autem accidere poteſt pluribus modis; & ideò multipliciter dubitatur. 30

Dubium de nō conſentiente in baptiſmo.

Quęritur Primò An qui non conſentit baptizari, ſit rebaptizandus, ad hoc ut ſaluetur? Reſpondetur. Si antequam baptizaretur ſemper contradixit; & in actu baptiſmi etiam contradicit, iſte non ſolum non recipit effectum baptiſmi, immò nec characterem: unde, ſi poſtea conuertitur, debet de nouo baptizari. Si autem antea non conſenſit, & poſtea in actu baptiſmi non contradicit tunc, etſi non ſuſcipiat baptiſmi effectum tamen ſuſcipit characterem, qui ſufficit, ut non ſit opus rebaptizari: ait, enim Gottfred. Et ſi numquam voluit baptizari, nunquam tamen uoluit non baptizari: Vnde in tali caſu ſufficit, ut pęniteat, ad ſuſcipiendum effectum plenarium.

Dubium de dormiente.

Sed quid dicendum, ſi baptizetur dormiens? Dicitur, ſi antequam dormiret in contradictione ſtetit: ſi baptizatur poſtea, dum dormit, non confertur baptiſmus: nec ſuſcipit characterem: ſi autem antea habuit intentionem ſuſcipiendi baptiſmum: puta erat cathecuminus, deinde dormiens currit mortis periculum poteſt baptizari, & ſaluabitur.

Dubium de furioſo baptizādo.

Quid dicendum, ſi baptizaretur furioſus, & amens? Dicitur: ſi eſt amens à natiuitate, nulla habens lucida interualla, ita ut non intelligat, quid de eo ſit, reputandus eſt, ut infans, & baptizandus in fide offerentium, uel Eccleſiæ, quę eſt mater omnium. Si autem demens à natiuitate habet quandoque lucida interualla, & poteſt uti rectâ ratione; tunc ſi dum ſanam mentem habuit, placuit baptizari, currente poſtea periculo mortis, baptizari poteſt: & ſi non currit mortis periculum, melius eſt, ut expectetur, donec ratio redeat; ut deuotius Sacramentum ſuſcipiat. Et ſi numquam conſentit, non eſt baptizandus. Si uerò factus eſt demens ex infirmitate; tunc iudicandus eſt, ſecundum uoluntatem, quam habebat antequam inſaniret, ſcilicet ſi dum ſanus erat contradicebat; non eſt baptizandus, & ſi baptizatur, non ſuſcipit baptiſmum; quia ſupponitur, in contradictione permanere.

Dubium de ſtupidis.

Quid dicendum de Stupidis, qui non ſunt omninò ſanę mentis? Si utuntur, ratione ita, ut ualeant de ſua ſalute cogitare: tunc de talibus idem iudicium faciendum eſt, ut de illis, qui ſunt ſanę mentis; qui uolentes, & non inuiti baptizari debent. Si autem ſunt ita ſtupidi, ut non cognoſcant, quid faciant; ſunt iudicandi, ut amentes ſuprà nominati, ita ait D. Thom. q. 68. art. 12. & habetur cap. Maiores, de Baptiſmo, & eius effectu.

Dubium de infirmis, & de mutis.

Quid de infirmis, qui non poſſunt loqui? Si per ſignum oſtendunt uelle baptizari; uel antea manifeſtauerant ſuam uoluntatem, baptizentur, quia aliorum teſtimonium pro eis valet. Ita quoque de mutis dicendum eſt, Can. Paruuli; & Can. Aegrotantes, de conſecr. diſt. 4.

Dubium de ſuſcipientibus ioco.

Quid dicendum de ſuſcipientibus baptiſmum ioco? quod de furentibus, & miniſtrantibus ioco ſuprà dictum eſt.

Dubium de baptizato uiolenter. 31

Quid dicendum de his, qui ui, uel timore baptiſmum ſuſcipiunt? Rñdetur, qđ duplex eſt uis, & coactio, ut notat Gl. in Can. Eos, quos, de Conſecr. diſt. 4. Vna ſimpliciter; Altera ſecundum quid; Quantum ad primam, dicitur, ſi ſimpliciter coactus, & inuitus, id eſt ſemper contradicendo, & ſigna negatiua oſtendēdo, baptizatur, iſte nec rem, nec characterem ſuſcipit ſacramenti. Quantum ad ſecundam, ſi coactè, ſecundum quid, id eſt ſi quis nolens quantum eſt ex ſe, tñ

inclinatur ad baptismum minis, terroribus, uel timore alicuius cruciatus in persona, uel metu amittendi bona, uel quid simile, tunc suscipit characterem: quãuis enim secundum se non uelit baptismum: vult tamen illum conditionaliter quod sufficit: ait enim Arist. 3. Ethicorum. Voluntas conditionata, voluntas est, & dat exemplum de mercatore proijciente merces in mare tempore naufragij. Et August. ait: Voluntas coacta, voluntas est. Vnde fit, vt tales sint cogendi, ad obseruantiam fidei, ne nomen Dei blasphemetur, & fides, quam susceperunt, vilis, & contemptibilis habeatur, Cap Maiores, de Bapt. & eius effectu.

32 *Dubium de ficti accedente ad baptismũ.* Quid dicendum de ficte accedentibus? Hic nota, quòd fictio simulationem sonat, dum scilicet homo talem se esse fingit, qualis reuera non est. Tunc igitur aliquis ad baptismum fictè accedere dicitur: quando eius voluntas contradicit, vel ipsomet baptismo, uel eius effectui. Hoc autem quattuor modis accidere potest, ait Aug. Primò, dum ad baptismum accedit, ei non credens, ut Infidelis. Secundò, dum illum contemnit, habens omninò contrariam uoluntatẽ; quamuis illũ suscipere fingat. Et tunc in his duobus casibus nõ suscipit baptismum: quia simpliciter deest intentio, sine qua non perficitur Sacramentum, vt dictum est suprà, Cap. tua nos, de sponsalibus, vbi refertur, non esse Matrimonium quo ad Deum, illius Ioannis Eremitæ, qui consensit in copulam carnalem, & non in matrimonium. Tertio modo, fictio est, dum quis accedit ad baptismum, non seruans ritum Ecclesiæ. Quartò, dum quis accedit indeuotè, idest cum conscientia peccati mortalis: & tunc suscipit Baptismum, idest characterem, & fidem informem, sed non effectum plenarium, idest remissionem peccatorum, & gratiæ infusionem: vnde dicitur Sapient. 1. Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum. Verumtamen recedente tali fictione, quæ obest gratiæ, per contritionem, baptismus incipit valere, quo ad plenarium effectum. Can. Tunc valere, de Consecrat. dist. 3. Nec asserendum est, quod aliqui dicunt, & præsertim Gabriel in 4. dist. 32. Conclusione 2. scilicet accedenti cum peccato mortali, ualere Baptismum saltem quo ad remissionem originalis, sicut paruulis, qui non habent uoluntatem propriam: nam Deus, qui totum hominem sanum fecit, non ex parte, sed ex toto peccata dimittit, ait Innocentius III. & habetur cap. Maiores, §. sed adhuc, de Baptismo, & eius effectu.

33 *Baptismus duos effectus facit.* Nota, pro intelligentia supradictorum, ex D. Thom. quo suprà, quæst. 68 art. 8. Duo efficiuntur in anima per hoc Sacramentum, vt infrà exactius dicetur. Vnum est character, qui indelebiliter in animam imprimitur; Alterũ est Gratia Sacramentalis, quæ per ipsum confertur. Ad hæc habenda, necessariò requiritur fides aliqua: uerum tamen ad habendam gratiam, & peccatorum remissionem, requiritur recta fides: sed ad habendum characterem tantum, non est necessaria recta fides: sicut non est etiam necessaria in baptizante; dummodò tamen adsint cetera, quę sunt de necessitate Sacramẽti, nempe Materia, Forma, & Intentio, ut suprà dictum est: quoniam baptismus non perficitur per iustitiam conferentis ministri, uel suscipientis baptismum, sed per virtutem Dei, Can. Baptismus, de Consecr. dist. 4. Itaque, quãdo Christus dicit Matt vltimo: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit; intelligitur de fide recta: quæ necessariò requiritur ad salutem. Ex hoc Ecclesia intendens oẽs à culpa mundare, & gratiam conferre, mediante baptismo, eos interrogat, circa articulos fidei, si uerè credunt: quo facto, eos absolutè baptizat; supponens, eos fidem rectam habere, ut profitentur: aliàs non baptizaret: uerumtamen, si circa articulos fidei in corde rectam fidem non habent; dummodò circa ipsum Baptismum fidem habeant, suscipiunt ipsum Sacramentum. Immò dico, etiam si non rectè sentiant circa tale Sacramentum, habeant tamen intentionem suscipiendi ipsum, vt Christus instituit, & Ecclesia ordinat: si eis conferatur,

suscipiunt

ſuſcipiunt quidem ipſum, ſed non ad ſalutem; quod eſt dicere, Characterem ita ſuſcipiunt, ut non teneantur rebaptizari: ſed gratiam iuſtificantem non ſuſcipiunt. Verum recedente tali fictione, gratia recuperatur non ex ui tantum contritionis, & charitatis, excludendo uirtutem Sacramenti, vt vult Gl. ſuper Can. Tunc ualere; quã opinionẽ ſequũtur ẽt multi Canoniſtæ: ſed uirtute Sacramenti, ideſt, Characteris remanẽtis in ficto baptizato: nã ſine ipſo, in tali ſubiecto cõtritio ſola nõ ſufficeret iuſtificare hominẽ: ſicut nõ ualet in his, q̃ characterẽ nõ ſuſcipiunt propter infidelitatẽ. Huius ſententiæ eſt D. T. q. 69. art. 10. Durandus, Caietanus, & Sotus ſuper dicto loco. Nec ualet, quod dicũt Canoniſtæ; ſcilicet, Auguſt. in Can. prædicto loqui contra Donatiſtas, de effectu penitentiæ, ſed loquitur de effectu baptiſmi: unde contritioni attribuit hunc effectũ, ſ. auferre obicem Sacramento & collationẽ gratiæ. Itaque obice ablato, per nouam contritionem, baptiſmus ſtatim confert gratiam, & aufert culpam, ex ui Characteris ante impreſſi; & ita collatio gratiæ attribuitur Baptiſmo, & non contritioni.

Et quia ex dictis colligitur, peccatorem debere contritum accedere, & uerè pęnitentẽ ad hoc, ut dignè hoc Sacramentũ ſuſcipiat, iuxta illud Actuũ 2. Pęnitẽtiã agite, & baptizet unuſquiſq; ueſtrũ in remiſſionẽ peccatorũ. Ideo quæritur, quanta, & qualis contritio requiratur? Pro reſponſione huius quæſiti, primo ſuppono, quod dicendum eſt de contritione in materia de Pœnitentia, ſcilicet, q̃ dolor de peccatis quandoq; dicitur cõtritio perfecta; & eſt, quando homo habet ſufficientem dolorem de peccatis, propter offenſam Dei, & hæc contritio à Deo donatur. Quandoque dolor dicitur contritio imperfecta: & eſt quando dolor, etſi ſit propter Deum, eſt tamen imperfectus, quia initium habet à uiribus naturæ. Quandoq; dolor de peccatis dicitur attritio: & hęc eſt duplex, uel dicitur attritio putata contritio, & eſt, qundo dolet ſufficienter de peccatis, non tamen propter Deum, ſed propter pœnas Inferni: & uocatur putata contritio, quia habens talem dolorem, putat ſe perfectè dolere, ut decet, & hic dolor eſt etiam donum Dei. Vel dicitur Attritio nota, & manifeſta, & eſt, quando homo dolet de peccatis, ſed non propriè, propter peccata, ſed propter pœnam peccatis annexam. Vnde quantum eſt de ſe, magis uellet pœnas non inueniri, quam peccata deſerere.

34 *Quanta contritio requiratur ad ſuſcipiendum effectum Baptiſmi in adultis.*

His ſtantibus, dico. Ad dignè ſuſcipiendum baptiſmum ſufficit non opponere obicem gratiæ: ſed ad tollendum iſtum obicem, nõ ſufficit ex parte pęnitẽtis actus priuatiuus tantũ, ſcilicet, non habere amplius complacentiã peccatorũ mortaliũ, dicẽdo, nolo amplius peccare, ſed req̃ritur aliquis actus poſitiuus penitẽtiæ mortalium, ſ. ut propriè doleat, & cõterat de peccatis p̃teritis; quod conſtat ex illo Actuum citato c. 2. Pęnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſq;. Hic aũt actus pęnitentiæ, & dolor de præteritis, ſufficit, ut ſit in uniuerſali, abſque ut ad memoriã peccata in ſpecie reuocent, nec opus eſt, illa cõfiteri, aliàs nõ differret à pœnitentiæ Sacramento, ut dicemus, ubi requiritur & particularis peccatorũ deteſtatio, & eorundẽ confeſſio: nam Sacramentũ Baptiſmi, cum ſit Sacramentum regenerationis, faciens ut homo moriatur peccato, & uiuat Chriſto, habet ex ui ſuæ inſtitutionis, ut non ſolum deleat originale peccatum, ſed ẽt omnia actualia præterita, quæ in baptizato inueniuntur. Itaquè ad hoc ſufficit dolor in uniuerſali. Verum hic dolor nõ dẽt eſſe attritio nota, & manifeſta, ſed cõtritio, uel ad minus attritio, putata contritio, ut dictum eſt; & ſi adeſſet perfecta contritio, quę eſt dolor de offenſa Dei, cum uoto Baptiſmi, ſufficeret ad deletionem originalis, & actualis culpæ, ſine etiam baptiſmo in re, in caſu, quo ipſius copia haberi nõ poſſet, q̃ dolor, & contritio uocatur baptiſmus flaminis, i. pęnitentiæ, ſed realiter baptiſmum ſuſcipienti, talis perfecta con-

cta contritio nō est necessaria, sed illa, vt dixi; aliàs sequeretur, quod Baptismus nunquam deleret actualia mortalia in adultis: quia vt sic, semper per talē cōtritionē inueniret ea ablata: nec faceret ex attrito contritum, quod est proprium Sacramētorum. Hęc omnia suprà dicta intelliguntur de adultis. Quātū autem ad pueros, hęc non sunt necessaria: nam cum puer contrahat peccatum originale non propria uoluntate, ita fidem profiteri pōtest non sua uoluntate, sed offerentium eum ad Baptismum, Can. Illud, de cōnse. dist. 4. Vnde quando interrogatur de articulis fidei, au credat; respondet alius pro eo, profitens fidem in persona paruuli, qui per se respondere non ualet. Secus de adultis respondere ualentibus; quia illos alterius professio non iuuaret. Can. Cum pro, ead. dist. Itaque offerentium fides paruulos facit fideles. Cano. Paruuli fideles, ea. dist. Nam ut ait Apost. ad Roman. 5. Sicut per unum hominem mors regnauit in mundo, cui pueri sunt subiecti, sine propria culpa: ita per unum hominē, idest Iesum Christum, multo magis regnabunt in uita, ex abundantia gratiæ, sine proprijs meritis. Valet igitur intentio, & fides offerentium paruulos, pro ipsis: nam, vt ait August. contra Donatistas, libro de unico baptismo, & habetur Can. Baptismi uicē, ead. distin. Et quamuis ad baptismum duo sint necessaria, scilicet Sacramentum, & fides; tamen si unum deficit ex impotentia, alterum sufficere potest. Vnde sicut in adulto sola fides sufficit cum contritione, ut dictum est, & desiderium Baptismi, vbi copia ministri, & aquæ Baptismum excludit: ita in pueris, aquæ Baptismus sufficit, vbi ætatis imperfectio propriam fidem excludit. Et quamuis parentes, seu offerentes pueros ad Baptismum, fidem non haberent, vt dictum est suprà de Paganis, & Iudeis baptizantibus; tamen eorum infidelitas, uel malitia pueris non noceret, ait August. & habetur Can. Non illud te moueat, ead. dist. nam in casu intelliguntur offerri ab Ecclesia, in cuius fide, & intentione baptizantur, vt ipsa ordinauit, circa regiones infidelium. Itaque non deficit intentio omninò.

36 *Triplex Baptismus, fluminis, flaminis, & sanguinis.*

Hinc habemus, triplicē esse Baptismum, scilicet Fluminis, qui fit in aqua, ex Christi institutione; Flaminis, idest pęnitentię, ut suprà audistis, & Sanguinis, idest Martirii: in quibus duobus ultimis sufficit fides, & votum suscipiēdi illum in aqua; vbi necessitas illum excludit. Et de baptismo pęnitentiæ dictum. De baptismo martirij, ait August. Quicunque, non præcepto regenerationis lauacro pro confessione Christi moriuntur; tantū eis ualet, ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte baptismi.

De Baptizandis.

37 *Sine Baptismo aut in re aut in uoto, salus haberi non potest.*

IN hoc capite multa veniunt dicenda. Et Primò, an quilibet ita teneatur ad suscipiendū Baptismum; vt sine ipso, saltem vno de tribus modis pdictis, nemo saluari possit? Ad quod respōdet D. T. q. 68. art. 1. Baptismus est ita necessarius ad salutē, vt sine ipso salus haberi nequeat. Probatur; Ad illud homines tenētur, ut salui fiāt; sine quo salus haberi nō pōt Baptismus est talis, ergo, &c. Probatur Minor. Manifestum est, ꝙ salus haberi nō pōt, nisi per Christū, iuxta illud Apostoli ad Romanos 5. sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem: ita per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem uitę: sed Christus instituit, ut salus nō habeatur sine baptismo: ergo baptismus est simpliciter necessarius. Probatur hæc Minor testimonio Ioānis 3. Nisi qs renatus fuerit ex aqua, & Spiritusancto, non pōt introire in Regnum Dei: homo

namque

namque per baptismum regeneratus, incorporatur Christo, & efficitur eius membrum, iuxta illud ad Galatas 3. Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Vnde fit dignus uita æterna: ergò Baptismus est simpliciter necessarius ad salutem. Sed quia necessarium, quantum ad pręsens spectat, du- 38
pliciter dicitur, scilicet unum necessitate finis, alterum necessitate præcepti. Necessarium necessitate finis illud dicitur, sine quo finis haberi nō potest; quo spreto, ad nil tenetur, nisi quòd priuatur illo fine, idest dum aliqua operatio ordinatur ad aliquem finem, sine qua finis nequit attingi: si illa contemnitur, nō committitur per hoc nouum peccatum, sed non consequitur finis. Patet hoc in paruulis, qui ante usum rationis, non tenentur baptismum suscipere sub pęna noui peccati; sed priuantur gratia Sacramētali, nec remissionem originalis peccati consequuntur. Necessariū necessitate præcepti est, dum aliquid simpliciter præcipitur, quod, dum urget tempus præcepti, necessariò adimplendum est: etiā si adimplens illo fine, ad quod ordinatur non indigeat. Exemplū de obseruantia Festorū, & audiendi Missam in die Festi: quę sunt necessaria necessitate præcepti, & non finis: nam finis, ad quem ista sunt ordinata, quandoque sine ipsis haberi pōt: ut est gratia, charitas, & remissio peccatorū, quo ad culpam, & partem pęnæ. Sed dum pręceptum vrget illa adimplendi, si non adimplentur, non solum amittitur gratia, & charitas; sed de nouo peccatum committitur.

Necessarium duplex, unum necessitate finis.

Necessarium aliud necessitate præcepti.

Quæritur modo, qua necessitate baptismus necessarius est? Respondetur, vtraque necessitate. Quod probatur; & primo quo ad necessitatem finis manifestum est, per auctoritatem Ioan. suprà allegatam: cum enim Christus Nicodemo loqueretur, ait: Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest uidere Regnū Dei; idest sicut nemo uita corporali viuere potest, nisi ex Adam nascatur: ita neq; spirituali uita, nisi ex me renascatur, qui sum secundus Adam, iuxta illud Pauli 1 Corinth. 15. Et interroganti Nicodemo, quomodo possunt hęc fieri, vt homo cum sit senex, renascatur? Respondit Christus. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritusancto, non potest introire in Regnum Dei: quasi diceret, sicut ego in uentre matris meæ Spiritussancti operatione conceptus sum; ita & nos in aqua, quæ gerit uicem matris, virtute Spiritussancti, filij Dei renascemini. Hęc ueritas, cum sit per Concil. Trident. Sess. 7. Can. 5. confirmata, hęc pauca sufficiant. Quantum autem ad necessitatem pręcepti; idest, quòd cum homo ad ętatem perfectam uenerit, obligetur sub reatu noui peccati, ad baptismum suscipiendum, probatur: Si baptismus non esset necessarius necessitate pręcepti, sed finis tantum, sequeretur, quòd Cathecumeni, baptizati baptismo flaminis, quando habent facultatem suscipiendi illum in re, nec non sanctificati in utero non tenerentur ad baptismum aquę suscipiendum: quod est falsum; ergò, &c. Probatur sequela: quod ordinatur, ut medium ad aliquem finem, si finis habeatur alia uia, medium illud non est necessarium amplius: sed existentes in gratia, quę est finis baptismi, tenent baptizari, signū ergo est, quòd sit necessarius ex ui pręcepti Diuini. Quòd autem existentes in gratia ad hoc teneantur, probatur Matth. 28. Euntes in mundum, docere omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Quod edictum non solum fertur ad discipulos, dando eis per hoc iurisdictionem, vt possent docere Christi legem, & eos baptizare, sed ad uniuersas gentes, ut teneantur legem acceptare, & Baptismum suscipere: prout de alio pręcepto dicitur Ioan. 20. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, &c. ubi non solum datur potestas Apostolis remittendi peccata, sed etiam populis confitendi sua peccata, vt Ecclesia interpretatur. Potest hæc veritas alia ratione defendi. Vniuersus mundus tenetur Christo credere, & suam legem suscipere, & colere, ut fiat unum ouile, & unus pastor. Ioan. 10. Quia una est fidelium 39

Dubium de necessitate baptismi.

D 4 vniuer-

vniuersalis Ecclesia, extra quam nullus saluatur. De summa Trinitate, & Fide Catholica, sed baptismus est ianua, per quam pater ingressus in corpus Ecclesiæ, & efficimur membra Christi, & admittimur ad alia Sacramenta percipienda, sequitur, ut eodem præcepto quo tenemur legem acceptare, tenemur & baptismum suscipere, vnde sequitur, ut ait Richardus in 4. dist. 4. artic. 1. q. 3. D. Thom. quo suprà, artic. 1. ad 3. arg. Scotus dist. 4. q. 6. & Sylu. verbo, bapt. 4. §. primo. Omnes existentes in gratia, etiam sanctificati in vtero, tenentur suscipere baptismum, & si non ad receptionem gratię, quia iustificati, vel deletionē originalis, quia sanctificati in utero, ad quæ principaliter fuerat institutus: tamen, ut fideles ab infidelibus distinguerentur hoc signo exteriori, quantum ad iudicium Ecclesiæ militantis, & signo characteris baptismalis quantum ad iudicium Ecclesiæ triumphantis, & ultra hæc, vt ait Scotus, quantum ad augmentum gratiæ, quæ omnia fiunt per susceptionem Baptismi. Vnde sequitur, aiunt præfati Doctores: Ioannem Baptistam fuisse baptizatum, iuxta illud Ioan. primo. Ego debeo à te baptizari, & Beatam Virginem Mariam ac etiā S. Apostolos, ut Glos. interpretatur, super illa uerba. Qui lotus est, &c. quamuis non legatur, ubi, & quando. Confirmantur prædicta per testimonia sanctorum. August. lib. 4. de baptismo contra Donatistas. Nemo debet in quolibet pronectu contemnere Sacramentum, quod ministrorum opere corporaliter adhibetur. Idem dicit lib. 4. de peccatorum meritis, qui est de Baptismo paruulorum, cap. 10. Hieronymus super Matth. Docete omnes gentes, ait: Christus iussit Apostolis, ut gentes ad fidei ac baptismi obseruationē cogerent, illum q; eis præciperent. Et D. Bernard. Epist. 7. tenet hoc esse vnum de præcipuis præceptis.

Et quamuis conclusum sit, hoc uniuersale præceptum omnes comprehendere: obligatio tamen intelligi debet, uel in re, uel in uoto: potest enim homo
40 sine baptismo in re, consequi effectum Baptismi, præter tamen characterem: dummodò habeat illum in uoto, quod accidit adultis, dum s. habent desiderium Baptismi, nec habent, qui eis illum ministrent, uel cathecuminis morte præuentis, antequam eis ministretur. Vnde D. Ambros. loquendo de Valentiniano, qui erat cathecumenus, & sine baptismo è vita decesserat, ait: Quem regeneraturus eram, amisi; veruntamen gratiam, quam poposcit, non amisit; Deus enim qui suam virtutem Sacramentis non alligauit, ad illum bonum motum gratiam infundit, quia uoluntas pro facto habetur. Qui motus dicitur baptismus flaminis. Hoc dicit & dicendum esse de martyrio, quod uocant Baptis-
41 mum sanguinis: Martyrium enim supplet vicem Baptismi: Hinc tria sunt Baptismata, ut suprà dictum est: uerum hæc duo non sunt simpliciter baptismata, sed secundum quid: pro quanto eius desiderium supplet vicem baptismi, quando eius copia haberi non potest: nam si cathecumenus differret baptismū culpa sua, & postea morte præoccuparetur, non haberetur pro saluo: Et martyr postquam mortuus esset, si miraculosè ut uiator ad uitam reuocaretur, adhuc teneretur sacra mergi vnda: dum autem ad cęlum euolaret, ab hac obligatione liberaretur. In pueris verò, qui non habent usum rationis, nec propriam uoluntatem, non sufficit uotum parentum, si antequam baptismum in re susciperent, morte præoccuparentur: etiam si omnia essent pręparata pro baptismo suscipiendo, & multo minus si copia eorum, quæ necessariò ad baptismum requiruntur, non adessent; scilicet aqua, uel qui formam baptismi proferre sciret.

Baptismus flaminis, Baptismus sanguinis.

Quòd aūt Caiet. dicat, ubi facultas baptismi in pueris nō adest, si per parentes, signo crucis, cū inuocatione S. Trinitatis, muniretur, sufficeret ad eorū salutē, hæc sua opinio nō acceptatur: nā de cōi lege Dei, ut ait D. T. Quodli. 4. nusquam legitur apud Patres, aliud, q̄ pęnitentia, & martyrium posse vicem baptismi

ptiſmi ſupplere, vt ſuprà tetigimus. Et habetur de conſec. diſt. 4. Can. Baptiſmi vicem. Cum ergo paruuli proprium motum habere non poſſint, baptiſmum flaminis habere non valent, ſed benè ſanguinis, ſi pro Chriſti amore interficerentur: puta, ſi infidelis, uel Turca eos interficeret, deſpectu religionis Chriſtianæ, antequam ad baptiſmum accederent, ut accidit Innocentibus, ſaluarentur, vt illi.

42 *Paruuli quādo ſine baptiſmo ſaluētur.*

Sed dubium eſt de illis, qui ſunt in partibus extremè remotis, vbi nulla de lege Chriſti habetur notitia, an teneantur ad hoc præceptum? Et videtur, q non: Dicit enim Paulus ad Roman. 10. Quomodo credent, niſi audiant, quomodo audient ſine prędicante? Et ſi diceretur, quòd Apoſtoli per omnes mundi partes Euangelium ſeminauerunt: dico, & ſi culpabiles fuerint, qui in obliuione Chriſti legem tradiderant: tamen, qui poſt tot annos de tali lege in oblationem tradita, cognitionem non habent, excuſantur, ac ſi nunquam illic talis lex promulgata fuiſſet: & quia lex non obligat, niſi promulgata fuerit, & quæ promulgata eſt, niſi in notitiam uenerit: ſequitur, q iſti non tenentur pręcepto baptiſmi, ſummodò illam ignorauerint ſine eorum culpa. Ad hoc dicit D. Th. Duplex eſt infidelitas, una negatiua, altera contraria. Infidelitas contraria eſt, quando habetur notitia de fide, ſed ei contradicitur, ut accidit Turcis, & Sarracenis, & hęc non excuſat. Negatiua eſt, quando de fide notitia nulla habetur, ut in caſu, & iſta non eſt culpabilis Et ſi tales infideles non ſaluantur, eſt propter alia peccata, quę committunt. Sed eſto, quòd aliquis uiueret ſecundum legem naturę, ſine aliquo mortali, an ſaluaretur ſine baptiſmo? Dicunt aliqui, quòd dānaretur propter peccatum originale, nam poſt promulgationem Euangelii, nō remanet aliud remedium contra originale, niſi quod dictum eſt. Sed melius dicendum cum D. Tho. 2. 2. q. 10. art. 4. ad argum. & in quęſt. diſputatis. Qui uiueret ſecundum legem naturę, ſupponendum eſt, q ſe conuerteret ad Deum, per aliquod auxilium ſpeciale, ſine quo nemo ſe conuertere poteſt, iuxta illud. Conuerte me Domine, & conuertar, nam per negatiuam infidelitatem, nō corrumpitur ratio naturalis, ut homo non poſſit ſe conuertere ad Deum, & cognoſcere verum, & quod in ſe bonum: Vnde Deus, qui diues eſt in omnes, oſtenderet ei modum, quo ſaluari poſſet, ut de Cornelio legitur Actuum 10. & de Eunucho baptizato à Philippo cap. 8.

43 *Dubium exiſtētibus in partibus remotis, an ſaluari poſſint ſine baptiſmo.*

Infidelitas duplex.

De tempore baptizandi.

Et quia præceptum hoc eſt affirmatiuum, quod etſi obliget ſemper, non tamen pro ſemper, ideſt non omnis mora imputatur ad peccatum: ideo diſtinguendum eſt de tempore, quo tenetur homo baptiſmum ſuſcipere. Primò, quantum ad pueros, ait D. Th. 3. p. q. 68. art. 3. Pueris non eſt baptiſmus differendus, tū quia non ſunt capaces inſtructionis, ut feruentius conuertantur, quemadmodum fit in adultis; tum etiam, quia nullo alio remedio (vt dictum eſt) ſalutem obtinere poſſunt: Vnde in illis tpſ differre uanū eſt, & q̄nque ipſa dilatio periculū eſſet, moriendi ſine baptiſmo. Itaq; illud differre ſinę cauſa legitima, non eſt ſine peccato differentium. Tempus autē, quo pueri baptizari debeant hodie ſtatutum eſt à Sacro Concil. Trid. Seſſ. 7. vbi dr, Omni tēpore, & in omni ętate baptizari poſſe; Verumtamen congruum eſſet, ut non differatur pluſquā tres dies, poſt natiuitatē pueri, ne temporis dilatione periculum amittendi baptiſmum incurrat. Differre autem duos, uel tres dies ultra moram, ueniale

De tempore ſuſcipiēdi baptiſmum.

ueniale esset, sed si procrastinaretur, & diutius sine causa tempus prolongaretur, non esset sine mortali, & ratio est: qui enim pueri curam habent, sicut eos alere, & educare, & instruere tenentur: ita eos in viam salutis dirigere obligati sunt; & consequenter, quam citius fieri potest, statim illos baptizari facere, sine quo salutem ipsi habere non possunt. Secundò quantum ad adultos, non statim, ut conuersi sint, ad fontem baptismi admittendi sunt; sed usque ad certum tempus differendi sunt; partim, ut Ecclesia certificetur, ne ficte accedant, iuxta illud Ioannis 1 cap. 4. Non est omni spiritui credendum, sed probandi sunt spiritus, an ex Deo sint, partim etiam, ut interim instruantur de articulis fidei, & lege Euangelica, ut habetur cap. de Catechismo: Cum autem satis instructi fuerint, & illum petunt, non est sine causa differendus propter mortis, vel naufragii, uel similium periculum, ut habetur Can. Hi qui, de Consecrat. dist. 4. Quando verò ista non timentur, bonum est, propter Sacramenti reuerentiam, expectare tempora ab Ecclesia solenniter instituta; Scilicet Sabbathum Sanctum, Pascha Resurrectionis, & Pentecosten, vt deuotius illum suscipiant. Pro qua re aduerte; quòd in primitiua Ecclesia consuetum erat baptizari Neophytos, tam ex Gentilibus, quam ex Iudęis in ętate adulta: Qui dum baptizari uolebant, se præsentabant, & nomina sua dabant: deinde ad scholam Cathecuminorum pro tempore destinabantur, & de fide instruebantur, ut suprà dictum est: deinde in uigilia Paschatis Resurrectionis, & Pentecostes sollemniter baptizabantur, ut habetur Can. Duo tempora, de Consec. d. 4. Postea, Dominica in Albis ipsi baptizati ex ordine in Ecclesiam ibant, induti stolis albis, innocentiam, quam baptismus illis ministrabat, significantibus; & in manibus cæreos accensos gestabant, lumen fidei significantes, quod habebant: & in eorũ introitu canebatur illud graduale, I. Quasi modo geniti infantes lac concupiscite. In aliis uerò temporibus non poterant baptizari, nisi necessitate currente, Can. Venerabilis, ea. distinct. Cum autem successu temporis pauci adulti baptizarentur, eo quòd paruuli, qui Catechismis non egent, quocunque tempore baptizabantur, & indiscriminatim; cessauit ille ritus: Est tamen modo usitatũ in Ecclesia, ut illis duabus uigiliis aqua fontis benedicat, Litaniæ cãtentur, & in collecta Missæ dicatur, (scilicet ibi. Hanc igitur oblationem) adiungatur, pro his quoque, quos regenerare dignatus es, &c. Si fortè ordinatione Pręlati, ipsi adulti tempus prędictum expectante, repentina morte præoccuparentur, antequam baptismus eis ministrari posset; saluabuntur suo desiderio, ut dictum est suprà; Si autem hoc malum accidisset post tempus à Prælato præfixum, sed dilatum culpa eorum, non essent securi de sua salute. Qui timore, ne post susceptum baptismum lethaliter peccaret, ex industria differret baptizari usq; ad finem uitæ, ut moriens postea sine ullo peccato, ad cęlum statim euolaret, ut quidam antiquitus faciebant; talis mora sibi pro mortali ascriberetur: sed per baptismum postea deleretur, cum cæteris aliis peccatis, si de hoc pœniteret: tamen magno periculo se exponeret: nam si cum tali malitia morte præuentus esset, sine baptismo in re damnaretur; nec uoluntas suscipiendi eũ, suffragaretur ei; cum baptismus defecerit sua culpa propter moram.

46 *Sollemnitas celebrãdi Baptismum in Sabbatho Sancto quare potius in usu posita, quam in Epiphania fuerit apud antiquos.*

Et si quęratur, quare hæc sollemnitas baptizandi potius celebretur in prędictis duabus sollemnitatibus, quam in Epiphania, quando Christus baptizatus fuit, & aquas sanctificauit? Respondet Leo Papa, Can. Propriè, ead. dist. 4. triplici de causa Sacramentum hoc in Paschate Resurrectionis celebrabatur. Prima sumitur ex plenitudine potestatis Christi, datæ per eius mortem, & resurrectionem, instituendi hoc Sacramentum potens ad uitam Spiritualem renouandam. Dicente ipso post resurrectionem Matth. 28. Data est mihi omnis potestas in cęlo, & in terra, &c.

Secunda

Secũda ſumitur,ex ſimilitudine ſignificationis baptiſmi: in ipſo namque repræſentatur mors,& reſurrectio Chriſti;dicẽte Paulo ad Romanos 6. An ignoratis,quia quicunq; baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus?conſepulti enim ſumus cum illo in mortem,per baptiſmum,ut quomodo ſurrexit Chriſtus à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus, & cetera. Tertia ſumitur,ex baptiſmi inſtitutione: nam poſt reſurrectionem ſtatim tradidit diſcipulis formam baptizandi; & gentes baptizari præcepit. Dicente ipſo Matt.28. Euntes ergò, docete omnes gentes, baptizantes eos,in nomine Patris, & Filij,& Spiritusſancti.Et quia non omnes in dicta vigilia Reſurrectionis baptizari poterant,ex aliquibus impedimentis:qui reſidui erant in uigilia Pentecoſtes baptizabantur; tum quia die Pentecoſtes Spiritus ſanctus ad Apoſtolos uenit,ſicut baptizatos, tum etiam quia ſollemnitas hæc ex reſurrectionis feſtiuitate dependet:& ideo ſemper die Dominico celebratur;tũ deniqúe ut in hac ſollẽnitate beatus Petrus immitaretur, qui eodẽ die,quo Spiritusſanctus ad diſcipulos uenit, tria millia hominum baptizauit,quos ſua prædicatione conuerterat,habetur Actuum 2. Quod autem die Epiphaniæ Chriſtus ſit baptizatus,non ex hoc ſequitur,nos illo die debere ſollẽniter baptizare:nam ille Baptiſmus Ioan non fuit ad remiſſionem peccatorum,ut Baptiſmus Chriſti: nec Chriſtus tũc baptizari voluit,vt ſibi aliquid remitteretur; quia tali non indigebat;ſed ut aquas ſuæ mundiſſimæ carnis tactu ſanctificaret: potentiam autem regenerandi tunc aquis dedit,quando de eius latere exiuit ſanguis,& aqua:ſanguis dico redemptionis,& aqua Baptiſmatis. His itaque rationibus,merito Eccleſia hos dies præcipuè elegit.

De effectibus Baptiſmi.

47 Et quoniam in ſuperioribus de effectibus Baptiſmi uerba fecimus,merito in conſequẽti de eis ex profeſſio tractandũ reſtat. Pro quo notandũ eſt,tria conſiderari in Sacramentis,Vnum,quod eſt Sacramentum tantũ; Alterũ,quod eſt res,& ſacramentum; Aliud,quod eſt res tantũ.In propoſito Sacramẽtum tantũ eſt,ipſa ablutio exterius facta;quæ ſignificat mundationẽ tantũ interius in animã factam,& nõ ſignificatur. Res tantum,quę ſignificatur,& non ſignificat,eſt Sacramentalis gratia; per quam anima mundatur à peccatis. Sacramentum,& res ſimul,eſt character, qui indelebilis eſt in anima. Dicitur poſt res,quia per illam externã ablutionẽ ſignificatur,vt effectus Sacramenti: Dicitur etiam Sacramentũ,in quantum eſt ſignum internę gratię:ſenſibile tamen non per ſe,ſed per ipſum Sacramentum,ideſt ablutionem. Dico(non per ſe)quia re uera, non eſt propriè Sacramentum, ſed res, quia eius effectus eſt: ſed dicitur ſignum per quandam ſimilitudinem,eſt enim impreſſum in anima, ad figurandum animam redemptam ſuo redẽptori,& Chriſtianam factam ſuo Chriſto capiti,cuius membrum efficitur:& ideo eſt ſignum diſtinctiuum ab alijs,qui non ſunt Chriſti mẽbra.Hinc fit vt Magiſter ait in 4.Sent.diſt.4. Aliqui ſuſcipiunt Sacramentum tantum,& non rem,ideſt ſuſcipiunt characterem per exteriorem ablutionem,ſed non gratiam Sacramentalem,quæ eſt interior mundatio ſignificata per exteriorem:& iſti ſunt,qui fictè,& ſine recta fide accedũt, vt dictum eſt ſuprà Aliqui ſuſcipiunt rem tantum,& non Sacramentũ,ut ſunt qui baptizantur baptiſmo flaminis, & ſanguinis;quia in tali caſu remittuntur eis peccata, & gratiam ſuſcipiunt, ſed non characterem,vt dictum eſt ſuprà.

Sacramentũ tantum quid ſit.

Res tantum.

Sacramentũ & res.

Aliqui ſuſcipiunt Sacramentum & non rem.

Aliqui ſuſcipiunt rẽ tantum.

48 Alij suscipiunt Rē, & Sacramentum.

Alij sunt qui suscipiunt Sacramentum simul & rem: & isti sunt omnes paruuli, qui in baptismo mundantur ab originali: nam ait Augustinus; illo peccato moriuntur renascendo, quod nascendo contraxerunt. Adulti quoque, qui ad baptismum accedunt cum recta fide, suscipiunt Sacramentum, & rem Sacramenti, idest charactérem, remissionem peccati originalis, & actualium: Cau. Regenerante, de conse. dist. 4. nam per baptismum homo moritur uetustati peccati, & incipit uiuere nouitati gratiæ: iuxta illud ad Roma. 6. Ita uos existimate mortuos esse peccato, uiuentes autē Deo, in Christo Iesu Domino nostro. Et quia per Baptismum homo incorporatur Christo, tanquam membrum eius, à quo tanquam à capite deriuatur plenitudo gratiarum, & uirtutum ad sua membra: consequens est, ut tam adulti cum recta fide accedentes, quā paruuli in fide Ecclesiæ, accipiunt gratiam Sacramentalem, & uirtutes; iuxta illud Ioan. De plenitudine eius omnes accepimus. Veruntamen paruuli consequuntur uirtutes, quantum ad habitum tantum, pro tunc propter ætatis impedimentum, & operandi impotentiam, qui effectus ab omnibus æqualiter suscipitur: quia cum accedant in fide Ecclesię, & non propria; æqualiter se habent ad ipsum baptismū, & consequenter ad omnes eius effectus. Adulti uerò quantum ad remissionem peccatorum omnes æqualiter mundātur: quamuis quibusdam plura, quibusdam pauciora mittantur, propter diuersitatem subiectorum: quia in quolibet soluit, & mundat, quod inuenit: Sed quantum ad collationem
49 gratiæ, non æqualiter recipiunt, sed secundum quantitatem deuotionis, cum qua ad Sacramentum accedunt: Et quia per Baptismum homo incorporatur etiam passioni, & morti Christi, iuxta illud ad Roman. 6. Si mortui sumus cum Christo, credamus, quia simul cum eo etiam uiuemus. Vnde pœna passionis Christi communicatur baptizato, inquantum fit membrum eius: ac si ipse baptizatus, propriè passus, & mortuus esset. Hinc fit, quòd per baptismū homo liberatur ad omni pœna, pro peccatis debita: ac si ipsemet satisfecisset pro omnibus peccatis suis: nam passio Christi est sufficiens pro peccatis totius mūdi. Hinc sequitur, quòd baptizatis aperitur ianua Regni cælorum inquantum per Baptismum aufertur impedimentum, quod est peccatum, quantum ad culpam, & pęnam. Itaque moriens antequam de nono delinquat, statim ad cælum euolabit. Per baptismum etiam tolluntur omnes pœnalitates, quas incurrimus propter Adæ peccatum: hoc autem fiet in uniuersali resurrectione iustorū: in præsenti uerò vita conueniens fuit, illas non auferri ex toto: primo propter exercitium spirituale, ſ. vt pugnemus contra concupiscentiam, & alias passiones, ut coronam uictorię accipiamus: Dico (non auferri ex toto) nam, etsi dictæ passiones non extinguantur, uires tamen amittunt, ut non tantum obsint, Can. Per baptismum, de consecrat. dist. 4.

De suscipientibus Baptizatum de Fonte.

50 Patrinus in baptismo quare requiratur

Vltra Ministrum baptizantem requiritur aliquis qui baptizatum de fonte leuet, dū immergitur, uel teneat, dum infunditur, seu aspergitur; qui vulgariter Patrinus dicitur: qui etsi nō concurrat tam absolutè necessarius ad baptismum, est tamen de cōgruentia, & sollemnitate baptismi; ex more, & iure Ecclesiæ sollēnitas hæc introducta: ut per multos Can. manifestatur in dicta dist. 4. & in 30. q. 1. & in Titulo de cognatione spirituali. Hęc autem cōgruētia probatur per Dionysium Areop. in lib. de Ecclesiastica Hierarchia, ratione

tione similitudinis, nam spiritualis regeneratio, quæ fit in baptismo, assimilatur generationi carnali; Iuxta illud Petri in Epist. 1. c. 2. Sicut modo geniti infantes lac concupiscite, &c. Sed in carnali generatione paruulus iam natus indiget nutrice, & pedagogo: ergò nuper baptizato assignandus est etiam aliquis, qui officium nutricis, & pedagogi faciat, accipiendo ipsum in suam tutelam, ut de necessariis ad salutem instruat, & informet. Vnde dictus Dionysius, quo suprà sic monet: Diuinis nostris ducibus, idest Apostolis, ad mentem uenit, & uisum est, suscipere infantes, secundum illum sanctum modum, quo naturales pueri parentes tradunt puerum cuidam docto in diuinis pedagogo: vt reliquum sub ipso puer agat, sicut sub diuino patre, & saluationis sanctæ susceptore: Qui susceptor, & patrinus tenetur habere curã illius pueri, quem suscepit: ut de religione instruat, dum necessitas id postulat. Dico (necessitas) puta si susciperet aliquem baptizatum inter infideles, uel etiam inter fideles, tamen puer ille non haberet parentes, uel si haberet, essent ignari omninò, tunc omninò sub pœna peccati tenetur. Si autem puer natus esset inter fideles, & à parentibus fidelibus, qui eum instruere scirent, & possent, ac ei in necessariis fidei prouidere, susceptor tunc excusatur. Itaque hæc obligatio consideranda est secundum tempus, & locum. Hinc prohibetur his, qui non sunt baptizati, ut nõ possint aliquẽ de fonte leuare, uel in Confirmatione tenere. Can. in baptismate, ead. dist. non ꝙ Sacramentum per hoc impediretur, sed quia, cum patrinus paruulum de fidei symbolo instruere teneatur, ut dictum est: qui non est instructus in fide; quõ alium instruere poterit? Et licet baptizare possint in casu necessitatis, ut dictũ est supra; hæc tamen necessitas non currit in suscipiente à fonte: Si autem prędicta facere attentauerint, an contrahant cognationem spiritualem, dubium est, sed hoc in materia de Matrimonio. Abbatibus, & Monachis non cõuenit hoc officium exercere, & commatres habere, Can. Non liceret, ead. dist. nam ita inclusi manere debent, vt undequaque commertia mulierum fugere possint. Et quamuis essentiæ baptismi non repugnet, ut sint plures patrini, qui puerum è fonte leuent, uel teneant, dum baptizatur qui omnes contraherent cognationem spiritualem, tamen prohibitum est per Can. Non plures, ead. dist in. 4. ubi præcipitur, unus, uel una puerum de fonte leuet: quod cum in dissuetudinem uenisset successu temporis, ex quo multi errores in Matrimoniis fiebant, propter compatrum multitudinem: nam ista talis cognatio Matrimonium faciendum impedit, & factum dirimit: renouatum est per Sacrum Concil. Triden. Sess. 24. c. 2. ut ad plus sit Vnus, & Vna, qui infantem de fonte leuent, & isti non debent esse coniuges. Can. quod autem, 30. q. 4. Si secus factum fuerit, omnes quidem contrahunt spiritualem cognationem, sed mortaliter peccant; reliqui verò, qui in baptismo adsunt, seruiunt, respondent, associantur, uel auriculam tangunt, aut linteum tenent, uel aliam cæremoniam exercẽt, secundum diuersitatem locorum, talem cognationem non contrahunt, immò nec obstetrices, nisi quando infantes ipsęmet de fonte leuant. uel baptizant. Reliqua, quæ de hac spirituali affinitate dici possent, in materia de Matrimonio dicentur: vbi de impedimentis Matrimonij tractabimus.

51 *Officium patrini quodnã sit.*

52 *Qui non possint esse patrini.*

53

54 *Vnus patrinus esse debet.*

55 *Qui contrahunt cognationem spiritualem in baptismo.*

De cæremoniis, quæ celebrantur in Baptiſmo.

IN hoc ultimo capite opere pretium eſt loqui de cęremoniis, quæ celebrantur in Baptiſmo: pro quo eſt notandum, quòd antequam homo, uel infans ad fontem accedit, Catechiſmus, & Exorciſmus præcedere debent. non ꝙ hæc neceſſaria ſimpliciter ſint, ad dictum Sacramentum, poteſt enim eſſe uerus Baptiſmus ſine ipſis, neque iſta debent uocari ſufficientes diſpoſitiones: quia diſpoſitio ſufficiens ad Baptiſmum, eſt intentio ſuſcipiendi ipſum, ſcilicet propria in adultis, & eccleſiæ in pueris, ut dictum eſt: Sed ſunt quædam ſollemnitates ab Eccleſia ordinatę quæ extra caſum neceſſitatis prætermitti nō poſſunt ſine peccato mortali; tam in adultis, quam in paruulis. Can. ſiue paruuli, de cō ſecr. diſtin. 4. Vndè, quando propter neceſſitatem currentem prætermittuntur, tranſacto poſtea periculo, debent ſuppleri: tum, ut ſeruetur ubique una ſimilitudo baptiſmi: tum etiam, ne Dæmones effectum baptiſmi impediant, ſicut enim poſſunt effectum baptiſmi impedire antequam conferatur, ne fiat; vt in adultis accidit, ita etiam poſt factum, ne duret, & creſcat, ut accidit in paruulis de qua re expertus ſum, nam accidit non exorcizari quendam paruulum, propter quod, dum incipiebat habere cognitionem boni, & mali, patiebatur quandam uexationem de nocte à Dæmone, re cognita, & ſuppleto exorciſmo, amplius vexationem non ſenſit: Nec per hoc dicenda ſunt Sacramentum, ſed potius Sacramentalia, ut ait Magiſter, diſtin. 6. Primò igitur debet pręcedere Ca-
56 *Catechiſmus quid ſit, & quare fiat.* techiſmus, quod eſt nomen Gręcum, Latinè dicitur inſtructio: Vnde catechizare, idem eſt, quod inſtruere, & erudire baptizandos in fide Chriſti, quam fidem profiteri debent, iuxta illud Euangelij: Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. vbi Chriſtus præcepit, ut prius docerent populos pertinentia ad fidem: deinde, ut baptizarent eos. Et merito ita fit, ut ait Rabanus, de inſtitutione Clericorum, & habetur cap. ante baptiſmum, ead. diſtin. 4. Nam cum baptiſmus ſit fidei Sacramentum, ac exinde eiuſdem fidei Chriſtianæ profeſſio, & catechiſmus eiuſdem fidei eruditio: conſequens eſt, ut baptiſmum antecedere debeat. Hinc mos in eccleſia inſurrexit, quod quando adulti erant baptizandi, erant per aliquos dies inſtruendi circa Symbolum Apoſtolicum, Can. Ante uiginti dies. Vnde Cathecumini dicebantur. Et quamuis pueri non poſſint ſuam fidem per ſeipſos profiteri, nec capaces ſint, ut doceantur, tamen ille qui pro puero reſpondet, (credo, &c.) profitetur fidem Eccleſiæ in perſona pueri, cui eadem fides per Sacramentum communicatur: cui fidei puer poſtea obligatus remanet. Nec eſt inconueniens, ut in his, quæ ad ſalutem ſpectant, unus pro alio obligetur, ut ſicut procurat eius ſalutem, quā ſecurè adipiſceretur ſi moreretur in puerili ætate; ita deueniendo ad ætatem perfectam teneatur ad id, pro quo patrinus in perſona ſui obligatur. Itaque Catechiſmus eſt ſignum obligationis, quæ fit in Baptiſmo.

De Exorciſmo.

57 POſt Catechiſmum ſequitur Exorciſmus in adultis, ut ab eo, qui iā in fide ꝑ Catechiſmum inſtructus eſt, per ipſum Exorciſmū virtus Diaboli expellatur.

tur. Dixi (in adultis) nã in pueris, qui propter ætatis imperfectionem non valet instrui, inter exorcizandũ dicitur simbolum fidei, & postea interrogentur pro quibus respondent offerentes, ut dictum est suprà. Exorcismus Grçcè, Latinè dicitur adiuratio. Vnde Aug. de Symbolo, & habetur de consec. dist. 4 Can. Sicut nostis. Paruuli exsufflantur, & exorcizantur, ut ab eis pellatur potestas Diaboli inimica, ne contendat eos subuertere, ne Baptismum consequantur. Et rationabiliter hoc fit, ait enim D.T. q. 71. art. 2. Sicut qui prudenter aliquod opus facere intendit, prius studet auferre omnia impedimenta sui operis, ut introducat formam artificialem: ita Ecclesia volens homines ascribere militiæ Christianæ, in qua professionem facere debent, studet, ut homo renunciet Diabolo, & pompis eius: unde adiurat ipsum Diabolum hostem humani generis, qui propter peccatum originale, & actuale, aliquam potestatem in hominem habet, eum expellendo, ut recedat ab homine, ne impediat eius salutem: quã expulsionem significat exsufflatio, cum orationibus congruentibus. Vnde ait Rabanus de institutione Clericorum, & habetur Cano. Postquam, ead. distin. Postquam se baptizandus per confessionem veram fidei, in alterius commendauerit dominium, & per abrenunciationem à prioris possessoris alienauerit seruitio, exsufflatur ab eo sæua potestas, ut per pium Sacerdotis ministerium, spiritui sancto cedat fugiens spiritus malignus. Post hæc imponitur manus super caput, Dæmonem adiurando; per quæ præcluditur uia diabolo, iam expulso, ne redire possit. Ponitur sal in os baptizandi: sputum, & saliua in aures, & nares; quod significat doctrinam fidei; nam per saliuam Sacerdotis, & tactum digitorum, dicendo (effeta) quod est adaperire, & aperiuntur aures ad recipiendam sapientiam fidei, & mandata Dei, aperiuntur nares ad accipiendum odorem notitiæ Dei, per approbationem: ideo ponitur sal in os, ut confiteatur fidem, & sapientiam Dei. Deinde omnibus istis iniungitur, ut sacrum baptismũ cum fide accepta, custodiat, nam iniungitur prius pectus cum oleo Sancto, ne ullæ reliquæ latentis inimici remaneant; unguntur & scapulæ, ut undique muniatur, & ad Dei opera facienda, ut Christi Athleta roboretur: Deinde eleuato de fonte, ungitur in cerebro Chrismate; quia ut ait Rabanus: sensus sapientis in capite eius. Caueat Sacerdos, ne baptizatum in fronte ungat, quia hoc pertinet ad Episcopum in Confirmatione. Can. Presbyteris, ead. dist. ut suo loco dicetur. Nec audet baptizatum ungere Chrismate ueteri; nisi quando infans præoccuparetur à more & nouem haberi non posset; aliàs graue scelus committeret. Can. Si quis, el 2. ead. dist. Deinde traditur ei uestis candida, ad significandum innocentiam, & puritatem Christianam. Hinc adulti, dum baptizantur, uestiuntur ueste alba. Denique datur ei in manus candela accensa, ut in die Iudicij possit occurrere suo sponso cum lampade ardente, quod significat custodiam mandatorum, & integritatem baptismi. Itaque quidquid cçremoniæ fit in hoc Sacramẽto, habet aliquid significare. Verum, cum omnia hæc pertinentia ad cçremonias, & solemnitates baptismi, non sint de essentia, non est mirum, si in uariis locis uariè fiant, quantum ad uariationem ordinis habendi, & diuersitatem orationum: sed omnia quomodocunque dicantur, tendunt ad idem.

Exorcismus quid sit, & quare fiat.

58 *Cæremoniæ baptismi quid significent.*

Quare insufflatur.

Imponitur manus.

Ponitur sal in ore.

Sputum in aures.

Inũgitur pectus, & scapula.

Vngitur cerebrum.

Caueat sacerdos, ne ungat in fronte baptizatũ crismate ueteri.

Vestis candida.

Candela accensa.

Hæc autem adiuratio quç in exorcismo fit, non tantum significat prædicta, uerum etiam efficit aliquid: nam Ecclesia in exorcizando utitur uerbis imperatiuis, dum dicit: Exi ab eo Spiritus immunde, &c. Ergo maledicte Diabole recognosce sententiam tuam, da honorem Deo. Recede ab hoc famulo Dei; &c. ad expellendum Dçmonis potestatem. Verumtamen differenter a baptismo aliquid efficit exorcismus: dictum est enim supra, quod baptismus efficit grati am, & plenariam peccatorum remissionem. Exorcismus aũt excludit

Adiuratio qd significet.

excludit duplex impedimentum ipsius gratiæ, unum extrinsecum, quod est, nē Dęmones impediant hominis salutem, quantum ad hoc, scilicet, ne impedimentum ponant suscipienti Sacramentum: & hoc fit per exsufflationes (quamuis cum hoc Dęmonis potestas in exorcizato maneat, quo ad maculam, & reatum peccati, donec per baptismum tollatur.) Aliud impedimentum est intrinsecum, scilicet, quòd homo ex peccati originalis infectione habet sensus præclusos ad percipienda salutis misteria: & hoc impedimentum tollitur per saliuam Sacerdotis, tangendo aures, & nares, ut suprà dictum est: Et quemadmodum ista prędicta non sunt necessaria absolutè (ut dixi) sed utilia; ita nec sine reali ablutione in aqua facta, sufficiunt pueris baptizandis, eo quòd non habent propriam voluntatem. Itaque omnibus istis exorcismis ministratis, si puer moreretur, antequam aqua affunderetur, & in fonte ablueretur, non saluaretur. Dixi (pueris) nam si hoc accideret alicui adulto bene contrito, in tali casu adhuc saluaretur, per suam contritionem, eo quod habet propriam voluntatem, & puer minimè, ut toties dictum est.

Insufflatio quid efficiat.

Saliua quid efficiat.

Finis secundi Capituli.

SVM-

SVMMARIA SEQVENTIS CAP. III.

1 *Sacramentum Confirmationis datur ad robur & augmentum fidei. & nu. 18.*
2 *Soli Episcopi sunt ministri Sacramenti Confirmationis. & nu. 15.*
3 *Confirmationis Sacramentum Definitur.*
4 *Confirmationis Sacramentum est verè vnum de septem Sacramentis Ecclesię; & de eius triplici materia.*
5 *Sacramenta id interius efficiunt, quod exterius significant.*
6 *Qui non est baptizatus, non potest confirmari.*
7 *Anima cum sit immortalis, nec puer, nec senex est.*
8 *Omnis fidelis potest confirmari.*
9 *Pueri non debent confirmari ante vsum rationis.*
10 *Unctio Confirmationis fit in fronte, & quare.*
11 *Materia Sacramenti Confirmationis est oleum mixtum Balsamo, & benedictum ab Episcopo.*
12 *Multa fiunt in Ecclesia, per traditionem accepta.*
13 *Oleum oliuarum est propria & necessaria materia huius Sacramenti.*
14 *Balsamum in Sacramento Confirmationis non est de essentia necessitatis, sed de necessitate praecepti.*
15 *Minister huius Sacramenti regulariter est Episcopus.*
16 *Forma Sacramenti Confirmationis est, signo te, &c.*
17 *Christus instituit Sacramentum Confirmationis.*
18 *Spiritus Sancti septem dona cum omni plenitudine gratiae conferuntur beneficio huius Sacramenti.*
19 *Ritus huius Sacramenti qui sint.*
20 *Cognatio eadem contrahitur à patrino in Confirmatione, quae in Baptismo.*
21 *Sacramentum Confirmationis non iteratur.*
22 *Plurimis modis peccatur in collatione huius Sacramenti.*

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

Cap. III.

De ordine dicendorum.



1 POst Sacramentum Baptismi sequitur Sacramentum Confirmationis,& merito;nam vt in c.de sufficientia Sacramentorum suprà dicebamus,post hominis natiuitatē sequitur augmentum, & hoc Sacramentum,cū detur ad robur, & augmentum fidei his,qui in fide nouella per Baptismum renati sunt, iurę merito secundùm in ordine post illum poni debet. Et si instetur, rationem istam potius suffragari Sacramento Eucharistiæ, Eucharistia namque est nutrimentum spirituale,& per nutrimentum fit augmentatio,ergo Eucharistia præcedere deberet, vt causa suum effectum: hinc Dionysius Areop.lib. de Ecclesiastica hierarchia,secundo loco posuit Sacramentum Eucharistię. Respondetur; nutrimentum posse dupliciter cōsiderari,vel vt antecedit augmētationem, vt causa suum effectum, per nutrimentum enim augetur homo; & hunc ordinem obseruauit Dionysius: vel vt subsequitur augmentationem tanquam conseruans hominem in quantitate,& virtute,& hunc ordinem obseruauit Magister in 4 dist.2. quem sequuntur fere omnes. Alia se offert ratio: nam in primitiua Ecclesia Eucharistia dabatur Baptizatis antequam confirmabantur,immò dabatur paruulis,vt suo loco dicemus, nunc autem fit oppositum, ideo quilibet illorum sequutus est ordinem, quo dispensabantur Sacramenta tempore suo.

2 Huius Sacramenti cum soli Episcopi ex officio ministri sint, parum, aut nihil ad ipsos Parochos de ipso tractare pertinet? verum quia ars perfecta, omnia tangere cogit, ideò pro artis complemento de ipso dicemus succinctè tamen.

An Confirmatio sit Sacramentum Nouæ Legis.

ET quamuis difficultas oriri possit, Sacramentum Confirmationis non esse verè Sacramentum Nouę Legis à Christo institutum,eo quod non ita clarè, & expresse ut cetera alia in Euangelio inuenitur, vbi illud instituerit;quia tamen extat decretum in primis Melchiadis Papæ ad Episcopus Hispaniæ, ut habetur de Consecrat.dist.5.Can.De his,& vltimo,decretum S.Conc.Tri. sess. 7.Can.1.de Confirmatione,sub anathematis pœna, ideò nobis qui fideles sumus,

mus, standum est auctoritati S. Romanæ Ecclesiæ, reiecta quæst. si autem curiositate quadam pulsaueris; posset ne assignari locus in quo Christus hoc Sacramentum instituerit, posterius dicetur.

Vt autem per ordinem sciamus omnia, quæ de hoc Sacramento dici possunt cum breuitate, præmitto hanc Sacramenti descriptionem, prout Scotus in 4. dist. 7. qui perpulchrè recitat, qua examinata, habebimus intentum.

Confirmatio est Sacramentum unctionis hominis uiatoris, baptizati, aliqualiter consentientis, uel liberum arbitrium nondum habentis, factę in fronte; cum Chrismate sanctificato: & hoc à ministro idoneo, simul cum intentione debita ungente, & uerba certa proferente; significans efficaciter ex institutione Diuina unctionem animæ, per gratiā roborantem, ad confitendum cū constantia fidem Christi. 3 *Definitio.*

Dictum est (Sacramentum) pro genere; quia collocatur in numero uerorum Sacramentorum.

De caussa Materiali Confirmationis.

DIctum est (unctionis hominis uiatoris baptizati, aliqualiter consentientis, uel liberum arbitrium nondum habentis, factæ in fronte cū Chrismate sanctificatio) pro materia, pro quo aduerte, quòd omnia prędicta concurrunt pro materia, sed diuersimodè, nam de materia distingui potest. Vnctio namque facta in fronte cum Chrismate, idest tota illa actio, scilicet applicatio uisibilis materiæ in passum, dicitur materia proxima, perficitur enim hoc Sacramentum per dictam unctionem; dictum est quidem suprà, Sacramenta id interius efficiunt, quod exterius figurant; cum autem Athletæ ad pugnam antiquitus ingrediebantur, oleo ungebantur, ut robustiores redderentur, est .n. oleum liquor confortans, & roborans membra, & Sacramentum Confirmationis cum sit institutum ad roborandam fidelis animam, ut fortiter resistere posit impugnanti Diabolo, & mundi Tyrannis in publica fidei Confessione, conuenienter per olei vnctionem significatur; itaque in unctione perficitur: hinc dicitur Confirmatio, quia per hoc Sacramentum homo in fide confirmatur. Materia remota, qua utimur in vnctione, est Chrisma, idest oleum oliuæ balsamo mixtum, ut in Concilio Florentino definitum est: Vnde Christus à Chrismate, quo unctus est, dicitur, & à Christo Christiani, qui etiā vncti sunt. Quòd autem hoc unguentum constaret ex oleo, & balsamo, decens fuit, nam per hoc Sacramentum confertur plenitudo Spiritussancti ad robur spirituale, hæc autem plenitudo aptissimè per oleum significatur, quòd suæ pinguedinis exuberantia in alios defluit, iuxta illud Psal. 132. Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aron. Balsamum uerò hac ratione miscetur, scilicet ex odoris fragrantia, quæ in alios redundat; & quamuis sint alia multa odorifera, Balsamum tamen, auctore Plinio, omnibus præfertur; unde, & incorruptionem præstat: hinc cadauera Balsamo condiuntur ut praeseruentur. Materia circa quam, idest subiectum circa q supradicta operantur, est homo uiator, resuscitatus namque non amplius moriturus confirmari non debet. Dixi etiam (baptizatus) aliàs non posset confirmari: quia illum supponit; est enim baptismus ianua omnium Sacramentorum, sine quo nullum aliud habet effectum suum. Sicut puer, ita & senex confirmari potest; anima enim nec puer, nec senex est, cum sit immortalis, & ideò

Materia proxima.

5

Materia remota.

Materia circa quam, idest qui confirmari debeant. 6. & 7.

E 2 sicut

ſicut renaſci poteſt in ſenectute per Baptiſmum, ita augeri per Confirmationem: tam maſculus, quam fęmina, ac item monſtruoſus, & hermophrodita; ait enim Paulus ad Galat. 3. in Chriſto neque eſt maſculus, neque fęmina. Et con-
8 firmantur ſupradicta per Vrbanum Papam, vt habetur de Conſecratione Diſt. 1. Can. Omnes fideles: Et ſi tunc eſſent morituri ad huc poſſent confirmari; per illam enim adulti haberent maiorem uim reſiſtendi inſultis Diaboli in tranſitu. Et quid ſi eſſet puer abſque uſu rationis? Reſpondetur cum Alexandro de Ales, 4. parte, & Bonàuentura, & Soto, in 4. Sentent. & D. Tho. 3. part. quæſtio 72. Si puer nuper baptizatus confirmaretur, eſſet uerum Sacramentũ, & ſi tunc eſſet moriturus, cui non opus eſt ut pugnet? Dico, & ſi non prodeſſet ad pugnam, iuuaret tamen ad maiorem gloriam obtinendam, corre-
9 ſpondentem maiori gratiæ ſusceptæ in Sacramento Confirmationis, ut ait Melchiades. Verumtamen ante uſum rationis pueros confirmare non licet, ait Petrus de Palude, in 4. diſtinct. 7. quæſtio 4. Vnde uſum habet Eccleſia, pueros non confirmare ante ſeptimum annum, ut cognoſcantur quid faciant, & cuius gratia alapa ipſis detur, ut recordentur: & ideo additum eſt (aliqualiter con ſentientis) requiritur enim conſenſus ex parte ſuſcipientis, ut de Baptiſmo dictum eſt, ſaltem patrini tenentes eum, ſi puer eſt ſine rationis vſu; ſed quid dicendum de mutis, ſurdis, & amentibus? cum enim non habeant organa, quibus publicam fidei confeſſionem faciant, non eſt cur debeant confirmari.

Quando confirmare liceat

Reſpondetur, de mutis, & ſurdis non eſt difficultas, quòd poſſint confirmari: habent enim iudicium, ut poſſint cognoſcere fidei dignitatem, pro qua vitam exponere poſſent, & permanere in veræ fidei confeſſione: idem dicendum de amentibus lucida interualla habentibus, unde poſſunt confirmari, etiam dum actualiter ſunt in amentia, niſi prius contradixiſſent: tunc enim expectari debet conſenſus ſi redeunt ad ſenſum; ſed de perpetua amentia laborantibus, dicendum, ſi confirmentur, verum eſſe Sacramentum, iuuat enim ad augmentum gratiæ, ut de infantibus pręmaturè morientibus, dicebat Mechiades: ſed de hoc ſtandum eſt vſui Eccleſię: ideo adiunctum eſt (uel liberum arbitrium nunquam habentis.)

10 Dictum eſt (facta in fronte) ut oſtenderet locum determinatum; non enim licet vngere in alio loco, ut habetur de conſecratione diſtinctione quinta. Canone. Nouiſsimè: hanc congruentiam probat D. Thomas quo ſuprà articulo 9. cum enim hoc ſacramentum ſit inſtitutum ad conferendam Spiritus ſancti plenitudinem, ad roborandam animam fidelem, vt fidem publicè defendere poſsit coram Tyrannis, & vitam pro Chriſto exponere, tanquam fidelis, & fortis eius miles: ergo inſigniri debet ad inſtar militum, quo ſigno diſcernatur à cęteris: milites autem dum ſuſcipiunt ſignum Ducis, illud ſuſcipiunt, & ferunt in loco manifeſto, ut à cunctis uideatur: inter omnes corporis partes maximè manifeſta eſt frons: ideò Chriſti vexillum, & pugnæ ſignum in fronte datur, & datur in figura Crucis, propter formam Trinitatis, quæ exprimitur in forma verborum, ut dicemus.

11 Dictum eſt (cum Chriſmate ſanctificato) h[oc] eſt unguento ex oleo oliuarum & balſamo confecto, ut habetur de Conſecr. diſt. 4. Can. Presbyteri, el 1. Hu[iu]s materiæ conuenientia ſuprà tacta eſt. Additum eſt (ſanctificato) ad differentiã aquæ baptiſmalis, quæ licet benedicatur, illa tamen benedictio nõ eſt de eſſentia, & neceſsitate Sacramenti: poteſt enim Baptiſmus conferri cum aqua ſimplici, quia eſt Sacramentum neceſsitatis ſimpliciter, ſed niſi Chriſma ab Epiſcopo ſanctificetur, non eſſet uerè Sacramentum, vt benè probat D. Tho. quo ſuprà art. 3. quem ſequuntur omnes Theologi, & Nauar. c. 22. num. 8.

Quęritur

Quęritur primò, pro maiori declaratione suprà dictorum, an unctio prædicta sit de essentia Sacramenti? Et uidetur quòd non: non enim legitur vbi fuerit instituta nec habetur in Sacra Scriptura, quòd Apostolica usi sint: confirmabant enim per solam manuum impositionem; & sic dabatur Spiritus sanctus, ut legitur Actuum 8. Quod autem aliqui dicant, hunc ritum vngendi Chrismate, institutum esse in Concilio Meldensi, uel Aurelianensi, vel quod Apostoli illum posteris tradiderunt, non habet fundamentum: nam Sacramenta, & ea quæ sunt de eorum essentia, instituere nemo potest, nisi Christus, qui habet auctoritatem excellentiæ, nec talem auctoritatem Ecclesię tradidit, ut in principio disputauimus. Alij dicunt, quod fuit institutus à Christo Matth. 19. dum pueris manus imponebat, ut reciperent Spiritum sanctum; per quod docuit Apostolos, ut post Baptismum, baptizatis manus imponerent in augmentum gratiæ. Contra hoc instat Scotus quo suprà, dicens, ꝙ Confirmatio datur baptizatis; sed nusquam legitur, tales pueros fuisse baptizatos, ergò, &c. Ad hoc dici potest, quod hęc instantia non procedit; multa enim fiunt in Ecclesia, quæ non reperiuntur scripta in Euangelio, sed per traditionem posteri acceperunt: unde melius dici potest cum Ioanne Baccone dist. 7. quòd fuerint baptizati; dixit enim Christus: Sinite paruulos uenire ad me, talium enim est Regnum Cælorum: qui nisi baptizati fuissent talia non dixisset; baptizatorum enim est Regnum Cælorum: sed quidquid sit de hoc, melius dicamus cum D. Thoma q. 72. art. 1. s. quod Christus instituit hoc Sacramentum in Cœna, non exhibendo, sed promittendo, secundum illud Ioannis 6. Si non abiero, Paracletus non ueniet ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos: & hoc ideò, quia in hoc Sacramento datur plenitudo Spiritus sancti, quæ danda non erat ante Christi Resurrectionem, & Ascensionem, secundum illud Ioannis 7. Nondum erat spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus. Si autem quæris, quando Chrisma institutũ fuerit, Respondet Fabianus Papa in quadam Epistola ad Episcopos Orientales, ut habetur de Consecrat. distinct. 5 Can. Litteris. In Cœna Domini, ut à Sanctis Apostolis, & eorum successoribus se id accepisse fertur: & ita illis in tali die consecrari mandauit: & ad illud, quòd obijcitur, scilicet, non legitur Apostolos vnctione vsos fuisse, Respondet D. Tho. eadem quæst. artic. 2. quòd Christus propter auctoritatem excellentiæ, quæ non est alligata Sacramentis, contulit Apostolis, ut possent per solam manuum impositionem hoc Sacramẽtum perficere: in quo Sacramento, loco vnctionis, aliud sensibile signum tunc exhibebatur, ad significandum, quod dabatur plenitudo Spiritus sancti, s. descendebant super confirmatos linguæ ignis, sic enim expediebat illis primis temporibus, quando Ecclesia plantabatur, & incipiebat crescere. Itaque per solam manuum impositionem uisibiliter dabant Spiritum sanctum, sicut ad eos descenderat die Pentecostes, ut habetur Actuum. 2. qua die dicitur eosdem confirmatos esse, ubi enim per illam manuum impositionem diuina miracula uisibiliter ostendebantur, non opus erat aliud signum in confirmatione adhibere; ubi autem postea talia signa uisibiliter amplius non apparuerunt, tunc usi sunt unctione Chrismatis, iuxta Dionysij sententiam, libro de Ecclesiastica Hierarchia: quod etiam confirmatur per Can. Litteris, suprà citatum.

Dubium de necessitate unctionis.

11

Consequenter quæritur, an ista vnctio necessariò debeat fieri in frõte, ita ut sit de essentia Sacramenti? Dicitur quòd sic, ut etiam accidit in Sacramẽto Extremæ Vnctionis, quod patet per Can. Nouissimè, de Consecrat. distinct. 5. vbi Vrbanus Papa distinguit inter vnctionem faciendam à Presbytero in uertice capitis, dum baptizat, & unctionem faciendam in fronte ab Episcopo, dum confirmat,

Dubium de unction e in fronte.

confirmat,ut significetur in Confirmatione descendere Spiritumsanctum cum omni plenitudine sanctitatis,scientiæ,& uirtutis in confirmatum.Ratio quare in fronte fieri debuit,dicta est suprà.

De unctione per modum Crucis.

Tertiò quæritur, an illa unctio in frõte ita fieri debeat per modũ Crucis, ut tale signum sit de essentia?In hoc unum pro certo habetur.s.omnia Sacramenta,quæ unctione perficiũt,ut in Cõfirmatione,& Extrema Vnctione;imò,& Sacramẽtalia,ut unctio,quæ fit in Baptismo,& in Ordine Sacerdotali, signo Crucis fiunt,ut habetur de Consecrat.dist.5.Can.Nunquid.Sed glos ibi dicit, hæc esse de præcepto,non de essentia,nihil tangendo de Cõfirmatione;Scotus aũt idem confirmat in 4.dist.7.q unica, ar.4 & 9.exceptuando tñ Sacramentũ Cõfirmationis,in quo signum Crucis,in ungẽdo,dicit esse de essentia,propter figuram Crucis, quæ in forma uerborum exprimitur, dicendo: Signo te signo Crucis;quod non inuenitur in ceteris prædictis.

Dubium de necessitate Chrismatis.

Quarto dubitatur, an Chrisma sit materia ita necessaria, ut sine ipsa non sit Sacramentum?Et primo quantum ad oleum, quæritur. An oleum nucum amygdalarum, uel simile,sufficiat pro materia; ubi casu oleum oliuarum haberi non posset?Respondet D. Thom.quo suprà art.2.in responsione ad tertium argumentum, ceteri liquores præter oliuarum oleum, impropriè dicuntur olea: & si in cibis utamur quandoque loco olei hoc fit propter necessitatem:ita-

13 *Significatio olei oliuarũ.*

que propria,& necessaria materia debet esse oleum uerum,idest oliuarum, & hoc rationabiliter; nam proprietates olei quibus significatur Spiritus sanctus, magis inueniuntur in isto oleo, quam in alijs liquoribus, ut suprà tactum est: oliua namque semper frondibus uiret, significans uirorem misericordię Spiritus sancti; est & signum victoriæ, significans uictoriam Confessionis fidei; significat item plenitudinem gratiarum, & uirtutem Spiritus sancti, quas infundit in Confirmatum mediante illa unctione. Secundò quantum ad balsa-

14 *Balsamum an sit de essentia materia.*

mum, multi dicunt esse de essentia: sed melius dicit Caiet. super D. Thom. 3.par.q.72.artic 2. cui subscribit Scotus in 4.distin.7.q vnica, artic. 2. & Nauar.capit.22.num.8.& rationabiliter; nam materię Sacramentorum sunt quid commune, quod facilè ubique inueniri potest, quod patet de alijs Sacramentis; & quamuis alicubi non inueniatur oleum, tamen facilè asportari potest, maximè cũ eo non opus sit in magna quantitate; sed balsamum cũ magna difficultate haberi potest,& quod maius est,balsamum,teste Plinio,multoties adulteratur, ita ut cum difficultate cognosci possit; unde sequeretur semper suspitio,an Sacramentum uerum sit:itaque non facilè concedendum est,Sacramentum Ecclesiæ debere ex tã multis periculis pendere:unde multũ credibile est, in primatiua Ecclesia, ait Sotus, Episcopos existentes pauperes non habuisse balsamum, & quòd hæc balsami admistio fuerit in vsu priscis temporibus:hinc sequitur balsamum esse quidem de necessitate pręcepti, ita ut omittens illud sine rationabili caussa,peccet mortaliter: sed non de essentia Sacramenti.Et confirmatur per Innocentium III. Cap.Pastoralis,de Sacramẽtis non iterandis, qui consultus, an Sacramentum Cõfirmationis iterari deberet, ubi per errorẽ quis unctus fuisset oleo,& Chrismate,hoc est oleo sine balsamo,respondit Papa, quod in talibus non est aliquid iterandum, sed cautè supplendum,quod incautè fuerat pręrermissum: ex quo sequitur,illam unctionem sine balsamo fuisse uerum Sacramentum,aliàs non dixisset,non est iterandum: sed tantum supplenda illa cæremonia ab Ecclesia ordinata, quæ prætermissa fuit: quando enim in talibus, propter aliquem defectum, Sacramentum non confertur,iteratur,ut de Baptismo uidistis.Et ubi legitur apud Dionysiũ,Apostolos vsos fuisse Chrismate, Chrismatis nomen apud eum, significat unctionem,cui oleum sufficit.

Quintò,

Quintò,& ultimò dubitatur in hac prima parte; an Chrisma sanctificari, & cõsecrari possit à simplici Sacerdote?quia dictũ est suprà,sanctificationẽ Chrismatis esse de essentia Sacramenti?Respondet Caietanus super ar.3.affirmatiuè: ratio eius est: sicut enim simplex Sacerdos ex commissione Papæ (ut inferiùs dicemus)hoc Sacramentum conferre potest, sine cuius commissione esset nullum,ita ex eiusdem Papæ commissione posset etiam Chrisma consecrare, cum sit minus consecrare Chrisma, quàm Sacramentum conferre: quam rationem Sotus laudat,non tamen definire audet. Vgo apud Ioannem Bacchonium dist. 7.tenet negatiuam partem;& ideo ego indecisum relinquo. *Dubium de benedictione Chrismatis.*

De caußa efficienti, idest ministro Confirmationis.

Dictum est(& hoc à ministro idoneo) hic tangitur minister,qui hoc Sacramentum ministrare debet, qui regulariter est Episcopus, ut habetur de Consecrat.dist.4.Can. Presbyteris,& dist.5.per totam. Itaque, si ab alio quam ab Episcopo consecrato quis vnctus fuerit,non erit Sacramentum.Hoc idem dicit Innoc.III.cap.Quanto,extrà,de Consuetudine. Vnde Philippus,qui erat vnus de septem Diaconis, baptizauit Sammaritanos,& postea Apostoli eos cõfirmauerunt. Actuum 6. illis enim solis hoc officium incumbebat,quibus succedunt Episcopi. 15

Dictum est(cum intentione debita in ungente) requiritur enim ex parte ministri intentio recta conferendi Sacramentum, eo modo, & forma,ut de Baptismo dictum est.

Dubitatur in ista secunda parte,an alius quàm Episcopus possit confirmare? quidam tenent indifferenter partem affirmatiuam, quos pertranseo, eo quòd eorum rationes uanæ sunt. Alij ex diametro tenent partem negatiuam, dicentes,quòd hoc Sacramentum conferre ita pertinet ad Episcopum, ut si quomodocunque per alium attentatum fuerit,Sacramentũ sit nullum;de quorũ numero est Bonauen.dist.7.Franciscus de Maironis,ead distin.Durandus,q.3.& 4. & Adrianus,q.de Confirmatione,art.3.Tertia opinio magis probabilis medio modo se habet,tenet enim ex officio munus hoc competere Episcopis, ex commissione Papæ posse competere simplicibus Sacerdotibus, & non aliter. Huius opinionis patroni sunt Alex.de Ales,quarta parte,q.28.Richardus,distin.7.D. Tho.3.par.q.72.art.2.Sot.in 4.dist.7.art.11.Sylu.Verbo,Cõfirmatio, Nau. cap. 22.num.8. & Scotus dist.7.q.1. qui subiungit unum præ ceteris; scilicet,quod pro tanto simplices Sacerdotes hoc possunt, pro quanto Papa facit eos Episcopos,quo ad hoc solùm,sed ceteri concedunt hoc simpliciter. *Dubium,an alius quã Episcopus possit cõfirmare.*

De causa formali huius Sacramenti.

Dictum est (& uerba certa proferente) requiritur enim ex parte ministri si multas faciendi utrumq; actum,s.vnctionis,& prolationis uerborũ,cũ debita intẽtione faciendi quod mandat Ecclesia,prout latius in Sacramento Baptis-

16 mi dictum est. Forma autem huius Sacramenti est. Signo, vel cōsigno te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen. quidam loco (salutis) dicunt (sanctificationis) quod idem significat; & breuiter quidquid dictū est circa mutationē uerborum formæ Sacramenti Baptismi, possunt & hic adaptari. Quòd autem hæc forma sit conueniens, probatur auctoritate Ecclesiæ, quæ illa utitur; nec caret ratione: continet enim quidquid ad Sacramenti speciem attinet. Tria hic tanguntur, quæ sunt necessaria, ut per formam explicentur. Primum est signum characteris, quod datur militi Christi, per quod discernitur ab alijs, sicut accidit militiæ terrenę, pro quo dicitur: Consigno te signo Crucis, in quo Rex noster triumphauit: vt ait Paulus ad Colossen 2. & ideò necessarium est, ut vnctio fiat in modum Crucis, ut dictum est. Secundum est, robur spirituale gratiæ, per quam homo fit magis animosus ad confitendum, & defendendum Christi fidem; & propterea dicitur: confirmo te Chrismate salutis. Tertium est caussa conferens hoc robur spirituale, scilicet, s. Trinitas, in cuius virtute datur gratiæ plenitudo; & ideò subiungitur: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Et quamuis in omnibus Sacramentis fiat inuocatio Sanctissimę Trinitatis, in cuius auctoritate illa conferuntur; tamen in duobus tantum explicatio sanctæ Trinitatis est de essentia formæ, scilicet in Baptismo, & Confirmatione, quia sunt Sacramenta fidei, in Confirmatione namque eadem fides, quæ in Baptismo profitetur, roboratur, & perficitur.

Huius sacramenti forma qua sit.

Explicatio S. Trinitatis necessaria in duobus Sacramentis.

Dictum est (significans efficaciter) ad denotandum causalitatem Sacramenti in causando gratiam, instrumentalem tamen, vt suprà expositum est, dum de caussalitate Sacramentorum in communi disputatum est.

Dictum est (ex institutione diuina) ad denotandum, quòd solus Christus illud instituit: dictum est enim suprà, neminem posse Ecclesiæ Sacramenta instituere, nisi sit Deus, & cum hoc sit unum de septem Sacramentis; ergò à Deo institutum est, ut probatum est suprà.

Dubium de institutione forma.

Sed hic dubitatur de forma huius Sacramenti, à quo fuerit instituta, cum non inueniatur in Euangelio ubi Christus illam instituerit, sicut de forma Baptismi inuenitur, nec appareat, ubi Apostoli illa usi sint. Ad hoc Respondet D. Thom. quo suprà, art. 4. quòd multa seruabant Apostoli in Sacramentorum collatione, quæ in scriptis non sunt tradita, nec expressa: Vnde Dionysius in libro Ecclesiasticæ Hierarchiæ, in fine, dicit hæc uerba: Consumatiuas inuocationes, idest uerba quibus perficiuntur Sacramenta, non est iustum scripturas interpretantibus, neque mysticum earum, aut in ipsis operatas à Deo uirtutes, ex occulto ad commune adducere, sed nostra sacra traditio sine pompa, idest occultè eas edocet. Itaque non opus fuit omnia, quæ ex institutione Christi Apostoli faciebant, scripto mandare; multa enim per traditionem uiua uoce ab ipsis ad nos peruenerunt.

Vnde Paulus ad Corinth. 11. ait: Cetera, cum uenero, disponam. & ad Thess. 2. Tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per Epistolas, quibus Sancta Mater Ecclesia per successionem temporis edocta, eas seruare mandat, cuius auctoritas sufficit.

Ad secundum dicitur, quòd Apostoli quandoque dabant effectum huius Sacramenti quibusdam visibilibus signis miraculosè à Deo operatis, per suam virtutem, Sacramentis non alligatam, ut suprà dictum est; & ideò ea non utebantur; quandoque autem tanquam ministri huius Sacramenti, utebantur materia, & forma à Christo accepta, prout posteros docuerunt, ut dixi, ideò non est mirum.

De

De caussa finali, id est, de effectu Confirmationis.

DIctum est (vnctionem animæ per gratiam corroborantem ad confitendum 18
cum constantia fidem Christi) per hæc uerba designantur effectus huius Sacramenti; de quibus multa tetigimus in progressu narrationis: verum reassumendo breuiter omnia, dicitur: Per hoc Sacramentum. Primò dantur septem dona Spiritus sancti cum omni plenitudine, & per consequens, gratia gratum faciens, ut habetur de Consecratione, distinctione quinta. Can. Nouissimè. Secundò confirmatur ad pugnam contra inuisibiles hostes, armaturque contra Tyrannos huius mundi: per Baptismum enim homo fit Christianus, sed tenerrimus, ut ait Petrus: Quasi modo geniti infantes, lac concupiscite: sed per hoc Sacramentum confirmatur, & consolidatur in fide: ac insuper animatur ad prædicandum aliis. Tertiò imprimitur character indelebilis, sicut in Baptismo, per quem discernitur à non confirmatis, tanquam miles insignitus uexillo Christi.

De ritu celebrandi hoc Sacramentum.

DIcto de his, quæ pertinent ad substantiam huius Sacramenti: nunc autem 19
de Ritu, quem Ecclesia obseruat pro eius honore, & dignitate, dicamus.

Primò minister ordinarius est Episcopus consecratus, ut dictum est, qui põt tantum suos subditos confirmare: alienos autem non, nisi cum licentia eorum ordinarij; Imò nec Archiepiscopus potest Suffraganeos confirmare, nisi in sancta Visitatione. 16. q. 2. c. Interdicimus, potestque dari extra Ecclesiam honesto loco, Sylu. verbo, Confirmatio. *De loco.*

Secundò tempus conferendi hoc Sacramentum non est determinatum, sed semper conferri potest. *De tempore.*

Tertiò, ut tam conferens, quam suscipiens sint ieiuni, propter excellentiam huius Sacramenti. de Consecr. dist. 5 Can. ut Ieiuni, & ut Episcopi. Sed hodie propter multitudinem fidelium, qui non possunt omnes breui tempore expediri, id non est in usu. *Minister ut & suscipiens debent esse ieiuni.*

Quartò, requiritur aliquis qui suscipiat confirmandum, tanquam in pugna spirituali erudiendum, ut accidit in Baptismo; qui non debet esse nisi unus, & in casu necessitatis illemet, qui baptizatum de fonte leuauit, eundem in Confirmatione tenere potest. Can. In cathecumeno, de Consecr. dist. 4. qui eandem 20
cognationem spiritualem contrahit, sicut suscipiens baptizatum: quæ cognatio contrahitur solum inter confirmantem, & confirmatum, suscipientem, & confirmati parentes, ut habetur in Concil. Trid Sess. 24. cap. 11. de reformatione; quę cognatio impedit Matrimonium fiendum, & factum dirimit; impedit quoque ne maritus possit petere debitum ab uxore, si scienter tenuit in Confirmatione filium uxoris uiduę ex alio marito susceptum, secùs si ignoranter hoc fecerit, etiam ignorantia iuris, scilicet, ex simplicitate, credens fieri posse, 30. quæst. 1. *Suscipiens cõfirmandum.* *Cognatio quæ hic contrahatur.*

Quintò, offertur Cæreus, propter quandam religionem.

Sextò, datur alapa, ut confirmatus semper sit memor Sacramenti, ubi admonetur, illud suscipere ad pugnam contra inimicos fidei; sed omittere ista, est ueniale. *Cæreus & alapa quid significent.*

Septi-

Septimò, tempore interdicti conferri potest, sicut Baptismus. de Sentent. ex commun. cap. Responso.

11 *De pœna iterantium hoc Sacramentũ.* Octauò, nó debet reiterari, quia imprimit characterem sicut Baptismus, qui est effectus indelebilis. Can. Dictum est, de consec dist. 5. Sed nunquid reiterans illud, incurrat pœnam irregularitatis, sicut in Baptismo? Aliqui dicunt, quòd sic, arguendo à simili de Baptismo. Sed contrarium est uerum: tum quia pœnæ sunt restringendæ, tum etiam, quia nunquam intelligitur incurri pœnam irregularitatis pro aliquo facto, nisi in iure sit expressum; sed de hoc nihil in iure inuenitur expressum, nam in Can. Dictum est, suprà citato, Papa prohibet hoc Sacramentum reiterari, sine ulla pœna, nisi quòd mandat, ut talis in habitu clericali religiosè famuletur: peccaret tamen mortaliter, qui scienter hoc attentaret. Huic sententiæ subscribunt Paludanus, Scotus, & Sotus locis suprà citatis.

De tempore cõsecrationis Chrismatis. Nonò, licet omni tempore Chrisma confici possit, vt de Consec. dist. 4. Can. Omni tempore, tamen propter sollemnitatem huius Sacramenti, congruens fuit ordinare, ut in die Cęnæ Domini celebretur; ut suprà ostensum est Can. Litteris, de Consecr. dist. 3. Tum, quia Christus tunc illud instituit, tum etiam, quia in Sabbatho Sancto proximo solenne Baptisma erat celebrandum, ubi nouo Chrismate opus erat, vnde Fabianus Papa ordinauit, tunc nouum Chrisma confici, & eo uti in Baptismo, & Confirmatione, vetus autem in Sanctis Ecclesijs cremari iussit, & ita per singulos annos renouari.

De necessitate huius Sacramenti. Decimò, quamuis non sit de necessitate salutis, ut Baptismus, nec super hoc adsit præceptum Diuinum, vel Ecclesiasticum, cogens sub reatu peccati mortalis, vt in Eucharistia: tamen illud relinquere ex contemptu, est mortale: nam dicitur, ipsum contemnere, dum potest commodè suscipere, & non curat, quadam crassa negligentia; sed quando ideo non curat, quia illud parui facit sola autem negligentia, est peccatum ueniale: & si male sentiret de dicto Sacramento, putans non esse verum Sacramentum Ecclesiæ, anathema esset, & ut hæreticus iudicandus, ut in Concil. Trid. Sess. 24. Can. 2.

22 *Qui peccent in collatione huius Sacramenti.* Peccat igitur circa hoc Sacramentum, primò omnis conferens illud si non est Episcopus aut Sacerdos simplex mandatum à Papa non habens: quod est mortale. Secundò, qui ipsum omittit propter negligentiam, & est veniale, & si propter contemptum, erit mortale, ut dictum est. Tertiò, qui illud iterat ignoranter, peccat uenialiter, qui scienter, mortaliter. Quartò confirmare sine patrino, est mortale, propter pręceptum Ecclesiæ. Quintò qui confirmat Chrismate vetere, peccat mortaliter, arg. Can. Litteris. supra citato. Sextò qui adultus accedit ad hoc Sacramentum cum peccato mortali, peccat mortaliter, & non suscipit gratiam Sacramentalem: si accedit attritus, putans se esse contritum, suscipit primam gratiam, gratum facientem, contritus autem augumentum gratiæ. Confiteri tamen non est necessarium. Septimò eum qui suscipit Ordines antequam confirmetur Concil. Triden. Sess. 23. cap. 4. & Sotus, & Nauar. locis ut suprà, iudicant peccare ueniali, ubi facit sine contemptu. Cetera uerò sunt ad bene esse.

Finis tertij Capituli.

SVM-

SVMMARIA SEQVENTIS CAP. III.

1 *Eucharistiæ Sacramentum est nobilißimum omniũ aliorum Sacramentorum, & perfectio perfectionum.*

2 *Eucharistiæ Sacramentum habet rationem Sacramenti, & Sacrificij.*

3 *Eucharistiæ Sacramentum definitur.*

4 *Quattuor sunt consideranda in Sacramento Eucharistiæ.*

5 *Tria sunt distinguenda in hoc Sacramento, & rationes de his.*

6 *Quattuor excellentias habet hoc Sacramentum.*

7 *Corpus & sanguis sunt vnum Sacramentum.*

8 *In Sacramento Eucharistiæ continetur verè & realiter corpus & sanguis, cum eius anima, ac diuinitate, & rationes hoc probantes.*

9 *Quomodo intelligendum sit: Litera occidit, spiritus autem viuificat.*

10 *Miracula, per quæ apparet in hostia consecrata esse verum Christi corpus totum.*

11 *Congruentissimum fuit Christum adesse nobis in Sacramento.*

12 *Errores multi qui olim commissi fuerunt circa materiam Sacramenti Eucharistię.*

13 *Panis, & vinum sunt conueniens materia Sacramenti Eucharistiæ pa nis inquam triticeus, & vinum de vite.*

14 *Quæ mistio impediat, ne panis triticeus sit debita materia Sacramenti Eucharistiæ.*

15 *Dubia aliquot circa materiam Sacramenti Eucharistiæ.*

16 *Pasta cruda non est debita materia huius Sacramenti.*

17 *Quid tenendum de pane fermentato.*

18 *Error Græcorum, & eorum erroris causa.*

19 *Vinum vitis est debita materia Sacramenti Eucharistiæ, de uua matura, non de agresta.*

20 *Acetum, & uinum coctum non sunt debita materia Sacramenti Eucharistiæ, nec raspata, & q̃d de Acinacio, vappa & de vino cõgelato.*

21 *Aqua naturalis apponi debet de præcepto cum uino in confectione huius Sacramenti, quamuis non sit de essentia Sacramenti.*

22 *Vtendum est in missa vrceolis vitreis.*

23 *Opiniones de aqua in calice posita, quę debet esse pauca.*

24 *An quilibet liquor vino appositus, ipsum corrumpere possit, & quid de aqua naturali.*

25 *Quę quantitas panis, & uini consecrari debeat.*
26 *Oportet vt materia consecranda sit coram Sacerdote consecrante, infra decem passus, etsi eam non uideat.*
27 *In vltimo instanti prolationis uerborum formæ consecrationis per Sacerdotem, fit conuersio totius substantiæ panis in corpus, & vini in sanguinem Christi, remanentibus accidentibus, &c.*
28 *Conueniens fuit ut remanerent species panis & vini in Sacramento Eucharistię, & quare.*
29 *Conuersio, aut est accidentalis, aut substantialis, & quid illa sint.*
30 *Deus potest quicquid vult;*
31 *Creationem, & annihilationem quomodo intelligant Theologi, & de transsubstantiatione, & quomodo fiat.*
32 *Deus potest facere, ut idem corpus numero; sit simul in diuersis locis, modo naturali.*
33 *Conuersio panis in Corpus Christi, est transsubstantiatio, & plura de hac re quæsita, & plures etiam responsiones.*
34 *Pulcherrima ac doctissima digressio auctoris circa transsubstantiationem panis in corpus Christi.*
35 *Persona est rationalis creaturæ indiuidua substantia.*
36 *In Sacramento Eucharistię est, totus Christus realiter & ueraciter; qui &c. & de modo existendi corporis Christi in Sacramento.*
37 *Tota Trinitas est in Sacramento Eucharistię, & de modo essendi.*
38 *In quacunque parte hostiæ est totus Christus.*
39 *In pluribus hostijs est unus, & idem Christus.*
40 *Corpus tripliciter sumitur, & adhuc multipliciter.*
41 *Accidentia panis & uini remanent in Sacramento sine proprio subiecto: & quomodo.*
42 *Species Sacramenti corrumpi possunt.*
43 *Corpus Christi quousque maneat sub accidentibus, & quomodo desinat esse sub speciebus.*
44 *Sumentes Eucharistiam debēt à cibo abstinere post illius sumptionem, quousque illę species in stomacho corrumpantur.*
45 *Correlaria quędam circa Sacramentum sanguinis.*
46 *Consecratio fit uerbis & sermonibus Christi, & quæ sint ea uerba, & quæ necessaria.*
47 *Differentia inter partes essentiales, & integrales.*
48 *Forma consecrationis Gręcorum.*
49 *Sacramentum Eucharistiæ quare dicatur miraculosum & mirabile.*
50 *Quæ variatio in formis consecrationis Corporis, & Sanguinis Christi, impediat effectum consecrationis.*

Minister

51 *Minister Sacramenti Eucharistiæ non potest esse nisi sacerdos ritè ordinatus, triaque in ipso requiruntur.*

52 *Peccata prauorum sacerdotum non impediunt effectum consecrationis.*

53 *Censura non impedit effectum consecrationis, & quid de degradatis.*

54 *Priuilegium datum Ecclesiæ à Constantino Imperatore.*

55 *Solis presbyteris conuenit ex iure dispensare hoc Sacramentum.*

56 *Intentio consecrandi requiritur in hoc Sacramento, & quę intentio, cum triplex ea sit, actualis, virtualis, & habitualis.*

57 *Quid sit actualis intentio, quid virtualis, quid habitualis, & plura de illis.*

58 *Errores qui accidere possunt circa intentionem Sacerdotis, & plura dubia circa hoc.*

59 *Christus hoc Sacramentum instituit, & de eius institutionis conuenientia.*

60 *Quinta Feria institutum fuit hoc Sacramentum, Hora Completorij, in Hierusalem, & de figuris ipsum figurantibus.*

61 *Quattuor nominibus appellatur, quattuor dignitatibus est adornatum, quattuor miraculis sublimatum, & quattuor donis dotatum.*

62 *Effectus huius Sacramenti qui sint.*
Attritionis Deffinitio, & plura de ea.
An hoc Sacramentum expellat peccatum veniale, & quid de mortali.
An tollat pœnam peccato debitam.

63 *Tripliciter consideratur hoc Sacramentum, & tripliciter sumitur, & de eius duodecim fructibus, ac de conditionibus sumentium.*
Quantumcunque homo sit contritus, non debet accedere ad communionem, antequam confiteatur mortalia, nisi in casu necessitatis.

64 *Quibus denegandum sit hoc Sacramentum.*
Qui sint publici peccatores. ibid.
Non est denegandum peccatoribus occultis, amentibus, stupidis, mutis, arreptitijs, suspendendis, & quid de pueris.

65 *Qui non debeant ad hoc Sacramentum accedere.*
Ieiunium ecclesiæ, & ieiunium naturæ.
Ieiunium quando frangatur, & quando non.
Ieiunium incipit à media nocte.
De fragmentis relictis in calice, siue patena, aut de parte hostiæ affixa palato post purificationem, quid sit agendum.
Pollutio quando impediat.
Voluntarium est duplex.

66 *Frequentare necne debeamus hoc Sacramentum.*

Ex

Summarium.

Ex præcepto Diuino omnes tenemur ad communionem.

Præceptum Ecclesiæ obligat omnes fideles ad Communionem semel in anno, scilicet in Pascha Resurrectionis.

An teneamur in articulo mortis communicare.

67 *Sacerdos quoties celebrat, toties debet communicare in vtraque specie.*

An cuncti sacerdotes teneantur aliquando celebrare.

68 *De consilio tenemur sumere sæpè Sacram Eucharistiam, & an sit sumenda quotidie.*

Quoties in die Sacerdos debeat celebrare, & casus in quibus potest plures sacrum facere.

69 *Communicandum an sit sub vtraque specie.*

DE

DE SACRAMENTO EVCHARISTIAE.

Cap. IIII.



Ost Sacramentum confirmationis sequitur Eucharistiæ Sacramentum: huius continuationis ratio declarata est suprà in Sacramento Confirmationis.

Cum hoc Sacramentum sit omnium aliorum Sacramentorum nobilissimum; est enim, teste Dionysio capit. 3. de Ecclesiastica Hierar. perfectio perfectionũ: ideò circa ipsum multa sunt dicenda, in quibus ualde insudandum est. 1

Primò Sacramentum hoc, & habet rationem Sacramenti, & habet rationem Sacrificij. De utriusque ratione Deo duce, dicemus. Vt habet rationem Sacramenti, est unum de septem Sacramentis Nouæ Legis: quod alia probatione non indiget, quàm determinatione Ecclesię, in quadam Collecta dicentis: Hoc tuum Sacramentum, non fit nobis reatus ad pœnam, &c. & in S. Concil. Trid. Sess. 13. Et uocatur Eucharistia, idest bona gratia, propter ipsius excellentiam continet enim fontem gratiarum. Quod Sacramentum ita definitur. 2 *Duplex de hoc Sacramẽto consideratio. Eucharistia vnde dicatur*

Eucharistia est Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi, ueraciter existentis sub speciebus panis, & uini, post consecrationem factam sub certis uerbis à Sacerdote cum debita intentione prolatis, ex institutione Diuina. Dictum est (Sacramentum) pro genere, nam, huic Sacramento competit communis Sacramenti Definitio, est enim signum rei sacræ, idest species panis, & uini, quæ ibi uidentur, significant Corpus, & Sanguinẽ Christi sub illis contentum: nam præter species quas ingerunt sensibus, aliquid aliud (ut dixi) faciunt in cognitionem uenire: illud enim, quod oculis præsentatur, est panis, & uinum, quod autem per hęc significatur, est corpus, & Sanguis Christi. Gerit similitudinem rei significatæ: sicut enim panis, & uinum sunt cibus, & potus, quibus inter cetera corpus nutritur, & reficitur: ita Corpus, & Sanguis Christi sub speciebus contenta, prę cæteris alijs gratijs, animam spiritualiter nutriunt, & afficiunt. Habet igitur Eucharistia rationem Sacramenti, ut cetera alia. 3 *Definitio Eucharistia.*

Sed hic dubitatur: Cum in hoc Sacramento sint quattuor consideranda, scilicet species consecratæ; consecratio ipsa, dum forma uerborum applicatur materiæ, Corpus, & Sanguis sub speciebus contenta; & denique usus eorum dum fidelis porrigitur. Pro quibus illorum sumitur hoc Sacrametum. quæritur. Gabriel Biel, in 4. dist. 8. Marsilius, dist. 6. artic. 2. & Caietan. super q. 63. ar. 5. dicunt Sacramentum supponi pro omnibus istis; unde dicunt esse plura Sacramenta, ea ratione, ut de Sacramento Ordinis dicetur. Et quantum ad species, & contenta sub illis non est dubium: quantum autem ad reliqua duo, probant sic, & primò, quòd consecratio sit Sacramentum, probatur. Illa uerba, scilicet: Hoc est corpus meum, sunt forma Sacramenti, ut de alijs Sacramentis dicitur: sed non specierum, neque corporis contenti, sed consecrationis; quam significat, & efficiunt, ergo consecratio est Sacramentum; sicut ablutio in baptismo. Quòd autem usus sit etiam Sacramentum, probatur: Sacramentum, dum applicatur, confert gratiam, hoc autem fit, dum Eucharistia sumitur, ergò. &c. 4 *Sacramẽtum pro quo supponit. Prima opinio.*

Illis

Secunda opinio. His tamen non obstantibus, melius dicendum est cum magistro, dist. 8. Scoto, & Soto, eadem dist q. 1. Pro cuius rei explicatione aduertendum est, quod in alijs Sacramentis sunt duo: Vnum, quod est Sacramētum: Alterum, quòd est res Sacramenti: sed in hoc Sacramento sunt duæ res: Vna contenta, & significata: Altera significata, & non contenta. Res contenta est illudmet corpus Christi, qd de Virgine natum est, & sanguis, quem effudit pro nobis. Res tantum significata, est corpus mysticum, significatum per unionem Ecclesiæ: unde Sacramentum hoc, quantum ad specie panis, & uini, habet duplicem similitudinem, unum cum re contenta, idest cum corpore, & sanguine, inquantum sunt cibus animę, vt dictum est: alteram cum re significata tantum, scilicet corpore mystico, quòd est unitas fidelium: sicut enim ex multis granis vnus panis efficitur, & ex multis racemis uinum confluit, ita ex multis fidelibus unum corpus mysticum efficitur, quod est Ecclesia. Vnde Apostolus ait: Vnus panis, & vnum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane, & de uno calice participamus. Ex his colligitur tria hic esse distinguenda: Vnum, quod est Sacramentum tantum: Alterum, quod est Sacramentum, & res: aliud, quo est res, & non Sacramentum. Sacramentum tantum sunt species uisibiles panis & uini, quæ significant spirituale animæ nutrimentum, vt dictum est. Res, & Sacramentum, est Caro, & Sanguis Christi veri: quæ inquantum continentur, & significantur, dicuntur res, inquātum significant, & repræsentat vnitatem Ecclesiæ, dicuntur Sacramentum. Res tantum, & non Sacramentum est corpus mysticum, ut dictum est. Hinc colligitur, quòd consecratio ipsa non est Sacramentum: prolatio enim uerborum Sacramentalium est quædam uia ad Sacramentum: nam in termino prolationis uerborum incipit esse Sacramentum, quod postea permanet. Ad argumentum suprà factum, dicitur, quòd ratio non similis, illud enim Sacramentum differt à baptismo, & confirmatione: nam cum illa consistant in usu materiæ; actio illa, seu applicatio materiæ, quam significat forma, est propriè Sacramentum dum recitantur uerba, consistit enim in fieri, ut illic dicebamus: sed istud Sacramentum non consistit in fieri, sed in facto esse, est enim Sacramentum permanens post consecrationem: & ideo consecratio non est Sacramentum. Adest & alia ratio, quare ei non competat ratio Sacramenti, scilicet, non est uisibilis forma, seu signum uisibile Corporis Christi, sed species sunt tales, quæ Corpus significant, & repręsentant: quod cum permaneat post consecrationem, consecratio ipsa potius dicitur uia ad Sacramentum, in quo est uirtus permanens sanctificandi; sed in baptismo non est alia uirtus, nisi aquæ motus à Deo, mediāte ministro, ut ibi dicebamus dū applicatur: ideò illa applicatio, cum prolatione uerborum, dicitur Sacramentum.

5 *Tria distinguenda Sacramentum tantum.*

Res Sacramentum.

Res tantum.

Consecratio non est sacramentum.

Prima ratio.

Secunda rō.

Perceptio nō est Sacramentum. Vsus etiam, & perceptio Sacramenti neque est Sacramentum, & caussa gratiæ Sacramentalis, sed potius quædam dispositio, & uia, qua dictum Sacramentum applicatur fideli: per quam applicationem confertur uirtus Sacramenti: sicut applicatio ignis, non est caussa caloris, sed ignis ipse mediante illa applicatione.

6 *Quattuor excellentia huius Sacramēti. 1.* Hinc habemus quattuor excellentias huius Sacramenti, quibus differt ab alijs ut ait Scotus, quo suprà. Prima est, quo ad modum essendi: omnia namque alia Sacramenta consistunt in fieri, ut dictum est: itaque idem est ibi Sacramentum, & ipsius Sacramenti præceptio, sicut in baptismo Sacramentum est ipsa baptismi perceptio, qua transacta, non remanet Sacramentum. Sed hoc Sacramentum est permanent etiam antequam percipiatur. Tres aliæ excellentiæ sunt, quo ad modum significandi. Secunda namque est; quia hoc Sacramentum ueraciter, & semper significat quod efficit; numquam enim caret suo significato, idest Carne, & Sanguine, sub illis speciebus; si intentio adsit consecrandi: sed

Secunda excellentia.

di, sed alia Sacramenta, etsi veracia sint ex se, in significando effectum quem causant; tamen quandoque suum effectum non sortiuntur, propter indispositionem suscipientis. Tertia excellentia est, quod hoc Sacramentum id quòd significat, realiter continet, quia permanens est; alia autem Sacramenta cum non permaneant, non continent quod significant, nisi in uirtute. Quarta, & ultima excellentia est; nam illud, quod significat hoc Sacramentum, est gratia subsistens, idest, verum Christi Corpus, auctoris gratiæ; sed alia Sacramenta significant gratiam accidentalem, idest illam qualitatem, quæ animæ communicatur, ut dictum est in principio de Sacramentis in communi.

Tertia excellentia.

Quarta excellentia.

Ideò adiunctum est in definitione (Corporis, & Sanguinis Christi) pro quibus uenit declarata hęc particula. (De vnitate huius Sacramenti.)

7 *Corpus, & ságuis an sint vnum Sacramentum.*

Et quia dictum est, Sacramentum hoc consistere in Corpore Christi sub speciebus panis, & eius Sanguine, sub speciebus uini: quæritur modo, an sit unum Sacramentum, an duo? Ad hoc respondet D.Thom.3.primæ, q 63.articulo 2. Hoc Sacramentum est unum formaliter, & duo materialiter: quod est dicere: Sunt duo in genere entis, quia sunt duo entia diuersa, idest diuersæ species, significantes diuersa, ex ui consecrationis, & pluribus consecrationibus resultantia: ubi concurrunt duę materiæ, scilicet panis, & vinum, & duæ formæ, scilicet: Hoc est corpus meum; &, Hic est calix sanguinis mei, &c. Et quamuis sub utroque sit utrumque, tamen ex ui formæ consecrationis, sub speciebus panis, per prius est, & intelligitur esse Corpus, deinde reliqua concomitanter, ut melius infrà dicetur, & sub speciebus uini, per prius intelligitur ibi esse Sanguis, ex ui consecrationis, deinde reliqua concomitanter. Verum, quia hæc duo Sacramenta ordinantur ad unam, & unicam animæ spiritualem refectionem, formaliter, idest in genere pastus, est unum Sacramentum, unitate integritatis, & perfectionis. Congruit autem huic Sacramento, talem habere integritatis unitatem, ait Scotus quo suprà; quia ordinatur ad completam animę nutritionem (intelligendo tamen, non quo ad collationem gratię; quia ut sic, laici, qui communicant sub una specie, fraudarentur gratia Sacramentali, quod est falsum, ut infrà dicetur, sed quo ad repræsentationem) quatenus significatur per completam nutritionem corporis, corpus enim nutritur ex integro alimento; quod constat ex cibo, & potu; non enim cibus sine potu, uel potus sine cibo sufficienter nutrit. Et ad hunc sensum Ecclesia confitetur esse unum Sacramentum; ut patet extrà, de summa Trinitate, & fide Cathol. cap. Firmiter. Et in Concilio Florent. & ultimò in Concil. Trident. sess. 13. vt vnum Sacramentum proponitur.

De reali existentia Corporis, & Sanguinis Christi in hoc Sacramento.

Opinio hæreticorum.

Dictum est, (Realiter existentis) ad excludendam falsam, & ut hæreticam condemnatam opinionem illorum, qui negant realem Christi præsentiam in Sacramento; & totius substantiæ panis, & uini conuersionem, in Carnem, & Sanguinem Christi, sed dicunt esse ibi tantum in signo, & manducari tantum spiritualiter, contra uniuersalem Ecclesię Catholicę determinationem; quę de hac veritate à sanctis Apostolis, & eorum

successoribus, per eorum traditionem, semper edocta fuit. Quæ quidem veritas etiam à Sanctis Patribus recepta, & prædicata, deinde a Sacris Concilijs definita est; & denique in Sacro Concilio Tridentino Sessio. 13. Canon. 1. sic decretum est.

8 Si quis negauerit in Sanctissimę Eucharistiæ Sacramento contineri verè, realiter, & substantialiter Corpus, & Sanguinem, una cum Anima, & Diuinitate Domini nostri Iesu Christi, ac proinde totum Christum; sed dixerit tantummodo esse in eo, ut in signo, vel figura, aut virtute, Anathema sit.

Decretum de reali essentia Christi in Sacramento Eucharistiæ.

Quorum Conciliorum determinatio, & Ecclesiæ auctoritas, fideli sufficere debet, & nil aliud de eo quærat. Verum, ut mentes fidelium magis in hac veritate consolidentur, & rationibus adducendis consolentur: post tantorum doctorum virorum rationes, pro veritate confirmanda: (postpositis multis auctoritatibus Sacri Euangelii, ubi Christus suam veram carnem ad manducandum, & sanguinem ad bibendum dare promitit, ac à fidelibus manducari præcipit: esset enim longa disputatio, cum illas suo modo glossent) pauca, quæ magis eos conuincere possunt adducam.

Prima ratio.

Prima ratio est auctoritas Euangelii Matth. 16. ubi Christus in ultima Cœna communicando discipulos suos, ait: Accipite, & comedite, Hoc est corpus meum, quod pro uobis tradetur. Nescio, quibus verbis magis claris, quàm per verbum, est, potuerit hanc veritatem exprimere. Sed Satanica glossa respondet: hęc uerba figuratiuè esse prolata: undè, ut aiunt, sensus est: Hoc, quod do uobis, est, idest significat corpus meum: vel est figura corporis mei, sicut alibi dicit: Ego sum vitis vera: sicut enim hoc loquitur figuratiuè, ita & ibi: Scriptura enim sępè utitur metaphoris.

Responsio hæreticorum.

Confutatio.

Contra hanc versutiam facilè instatur, hoc modo: Quidquid in tota sacra Scriptura Euangelica figuratiuè dicitur, vel Christus per seipsum exponit, vel Apostoli, & Euangelistæ id declarant, vel si non, id ideo est, quia per verba præcedentia, vel subsequentia id manifestatur: uel denique, quia sensus literalis, ita simpliciter intellectus, veritati manifestæ contradicit: unde opus est, talem textum spiritualiter intelligere. Præter istos quattuor modos loquendi, non est ratio cur sensus literalis verborum relinquendus sit, & ad alium sensus fugiendum: aliàs si talis facultas licita esset, nihil in sacra scriptura remaneret firmum: quod à mente sana non est asserendum. Primus modus probatur Lucę cap. 8. vbi Christus per seipsum exponit similitudinem de semine faciente fructum bonum. Secundus probatur Ioan. cap. 2. ubi Christus figuratiuè locutus est, dicendo. Soluite templum hoc, & post triduum reędificabo illud: & cum de corpore suo intelligeret, expositum est per Euangelistam, dicentem: Hoc autem dicebat de templo corporis sui. Tertius modus probatur Ioan. cap. 15. vbi Christus assimilat se uiti, patrem agricolæ, & discipulos palmitibus, vbi per verba circunstantia clarè patet sine alia expositione, ipsum loqui figuratiuè. Hinc Augustinus in libro quęstionum, quæstio. 69. ad hoc propositum dicit: Solet circunstantia sermonum illuminare sententiam. Sed in his verbis, nullo istorum modorum, ipsum locutum fuisse figuratiuè dici potest: cum nec ipse, nec Euangelistę figuram exponant, neque ex verbis circunstantibus intelligi possit. Immò ex verbis quę sequuntur, intelligitur, ipsum loqui de vero corpore, & non in figura subiungitur (qd pro uobis tradetur,) Si ista verba non debent intelligi in sensu proprio; quibus aliis verbis clarius hanc ueritatem dicere potuisset, quàm per pronomen (hoc,) & uerbum substantiuum (est) nam tantum valet dicere, hoc est, quantum,

rum, hoc uerè, & propriè est. Quam ueritatem insinuans Paulus, 1. Corinth. cap. 11. dicit illis, qui irreuerenter Dominicam cœnam manducabant, ipsos non benè facere. Vnde subiungit; Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, &c. quod si non esset ibi uerè, & realiter corpus Christi, ad quid præciperet, ut se homo probaret ad illud dignè edendum? nisi quia ibi verè est corpus Christi, cui debetur omnis reuerentia? Itaque si esset purus panis, post consecrationem, non opus esset tanta præparatione ad communicandum. Nec mirum si ita dicit: hanc enim ueritatem, quam ipsis tradiderat, & prædicauerat, gloriatur Apostolus, se non accepisse ab aliis Apostolis, sed ab ipso Domino, dicens: Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis. *Secūda ratio.*

Quartus, & ultimus modus etiam probatur, scilicet, quòd non debeat intelligi spiritualiter, dum ueritas literæ teneri potest: non enim repugnat veritati huius Sacramenti, ut confiteamur Christum manere in cælo, secundum modum existendi naturalem dimensiuè, & in multis aliis locis Sacramentaliter, ut infrà dicemus: Immò ipsi hæretici non negant hanc possibilitatem, sed negant factum, recurrendo ad sensum spiritualem; dicente Paulo: Litera occidit, spiritus autem uiuificat. Sed hoc non obstat; Nam Paulus loquitur, quando litera simpliciter intellecta repugnat Sacrę Scripturæ, tunc ex necessitate recurrendum est ad sensum spiritualem. Itaque, si absque necessitate liceret currere ad sensum spiritualem, relinquendo literam; tota sacra scriptura corrumperetur. Dicit enim Ioan. cap. 1. Et Verbum Caro factum est, & alibi: Ego, & pater unum sumus; si hæc, & similia figuratiuè intelligere vellemus, facile in multos errores antiquorum hæreticorum incideremus: sed quis mente captus hęc figuratiuè intelligeret? Ergò sicut ista figuratiuè intelligi non possunt; ita & illa, de quibus est sermo. Itaque sine necessitate ad sensum spiritualem non est recurrendum. *Tertia ratio.* 9 *Litera occidit, quo intelligendum.*

Sed dicunt hæretici? Christus præceptum dedit Ioan. capitulo 6. de manducatione suę Carnis, & sumptione sui Sanguinis; quod Iudæi audientes, abierūt retro, murmurando, dicentes: durus est iste sermo, & quis potest eum audire? Quibus abeuntibus, Dominus discipulos instruxit, dicens: spiritus est qui uiuificat, caro autem non prodest quicquam; uerba, quæ locutus sum uobis, spiritus, & uita sunt: ergo inquiunt, spiritualiter intelligenda sunt, scilicet de manducatione per fidem; iuxta illud Augustini: Crede, & manducasti. *Replica hæreticorum.*

Sed huic obiectioni facilè respondetur. Vbi notandum est, quod omne comestabile dupliciter à nobis comedi potest, scilicet corporaliter, idest dum manet sub suis naturalibus dimensionibus, quæ dimensiones à philosopho uocantur, Corporeitas, & consequenter dum manet, sub ceteris suis naturalibus accidentibus: & hoc modo intellexerunt Iudæi, qui scandalizabantur de verbis Christi; intelligebant enim, se debere manducare carnem Christi cruentam, sub propriis naturalibus accidentibus, prout carnes in macello uenduntur: & ideo mirabantur, dicentes: *Responsio.*

Quomodo potest hic dare carnem suam ad manducandum? caro enim humana hoc modo, quis ignorat, quòd nauseum moueat? Alio modo aliquid à nobis comedi potest spiritualiter, non per fidem, ut isti intelligunt, sed non sub propriis naturalibus accidentibus, sed sub alia forma, remanente substantia rei. Posset dari exemplum, quod aliquam similitudinem habebit. Puta Medicus volens dare ægroto aliquam herbam multum proficuam suæ infirmitati, uerum illa propter amaritudinem, acutum odorem, uel simile accidens quod habet, ita nauseam parit, ut sumi non valeat: quid facit prudens

medicus, quadam arte, ideſt quibuſdam ſublimationibus, ſeu diſtillationibus, uel ſimili modo ſeparat illa accidentia nauſeam parturientia à re illa, remanente ſubſtantia, & uirtute rei illius, quibus ſeparatis, res illa facilè ſumi poteſt ab ægroto. Ita in propoſito dico; cum Chriſtus propoſuerit dare carnem ſuã, & ſanguinem pro refectione animarum noſtrarum, ut tali cibo nutritæ, uiuerent uita ſpirituali, & ſic à peccatis præſeruarentur, non erat conueniens dare illa ſub propriis accidentibus, quis enim potuiſſet carnem humanam ſic cruẽtam edere, & ſanguinem ſub propria forma bibere? Conuenienter ergò, & cum ſumma ſapientia ordinauit, illa ſumi ſub aliena, immò conuenienti, & appetibili ſpecie, ſcilicet Sacramentaliter, ſub ſpeciebus panis, & vini: ubi, etſi propria accidentia carnis, & ſanguinis non adſint, manet tamen propria ſubſtantia, & virtus ipſius Corporis, & Sanguinis Chriſti. Et hoc eſt, quod Chriſtus diſcipulis dicere uoluit, dum Iudæi ſcandalizabantur. Spiritus inquit, eſt qui uiuificat, caro non prodeſt quicquam, quo modo illi carnales carnaliter intellexerunt, carnem Chriſti manducandam: Spiritus eſt qui viuificat, ideſt caro mea ſpiritualiter ſumpta, uiuificat: uerba, quæ locutus ſum uobis, ſcilicet de carne mea manducanda, ſpiritus, & uita ſunt, ideſt ſpiritualem habent ſenſum, ſecundum quem, caro mea uitam præſtat, ſumpta, ſcilicet ſub Sacramento, & ſub aliena ſpecie, ut dictum eſt. Manducatur igitur Corpus Chriſti uerè, realiter, & ſubſtantialiter, ſed non corporaliter, ideſt ſub propria ſpecie, ut Iudæi arbitrabantur, ſed ſpiritualiter, ideſt Sacramentaliter, ſub aliena ſpecie, ſub qua latet, ut non ſubiiciatur corporalibus ſenſibus, ſed tractatur modo inuiſibili, & ita intelligitur ſpiritualiter, & non per fidem tantum. Ad illud Auguſt. dicitur, quod ipſe intelligit de his, qui cum non poſſint realiter communicare, ut præceptum impleant, ſatis eſt, ut illud in uoto habeãt, ideſt credant ueritatem Euchariſtiæ, & ita ſpiritualiter manducent, & præceptum impleant; Sed iſti hæretici nullo modo illud manducant, nec ſpiritualiter per fidem, quia non credunt hanc ueritatem, nec Sacramentaliter, nec corporaliter, & ideò non habebunt uitam in ſemetipſis.

Alia ratio contra hæreticos. Sed quia ipſi hæretici non admittunt Gloſſas noſtras, quia Diabolus aliter gloſſare uerba Chriſti ſuadet; ideò, ut dixi, aliter probanda eſt hæc ueritas. Si in hoc ſacramento non eſſet aliud, quam panis, & vinum, vt iſti dicunt, ſequeretur, quod Chriſtus Dominus mendacium dixiſſet, quod eſt impiiſſimum concedere de Chriſto. Probatur ſequela: habetur enim Lucæ 22. quod Chriſtus, dum faceret ultimam cœnam cum diſcipulis ſuis, dixit: Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare uobiſcum, antequam patiar, dico enim uobis, quòd ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in Regno Dei: & accepto Calice, gratias agens, dixit: Accipite, & diuidite inter vos, dico enim uobis, quòd non bibam de generatione uitis, donec Regnum Dei veniat.

Vbi inſinuauit diſcipulis, ſe non manducaturum panem, nec bibiturum uinum amplius in carne mortali: ſed facta Cœna cõicauit diſcipulos ſuos hoc Sacramento, ubi etiam ipſe hoc Sacramentum ſumpſit, ait Hieronymus ad Hedibiam, q. 2. ſi ergo in hoc Sacramento, per illa uerba Chriſti, non fuiſſent tranſubſtantiata panis & vinum, in Corpus, & Sanguinem, ſed remanſiſſent in propria ſubſtantia, tunc ſequeretur, quod Chriſtus reuerteretur ad manducandum quod paulo ante ſe non amplius manducaturum dixerat: Itaque tam breui temporis interuallo mentiretur, ergo aſſerendum eſt, in dicto Sacramento non remanere panem, nec vinum, ſed uirtute uerborum, in Carnem, & Sanguinem fuiſſe tranſubſtantiata, & conſequenter non figuratiuè locutum fuiſſe, ſed verè, dicendo: Hoc eſt Corpus meum.

Hæc

Hæc autem veritas de manducatione Sacramentali Corporis Christi, fuit figurata in Veteri Testamento, per mannam datam Iudæis in deserto, ut omnes concedunt. Quæ manna fuit cibus cęlestis, & delicatus, & dulcis: Vnde dicebant: Anima nostra nauseat super cibo isto leuissimo: Si ergo in hoc Sacramento, quod fuit per mannam figuratum, non esset aliud, quam panis triticeus, sequeretur, quòd fuisset præstantius, quam figuratum: sed quod hoc sit falsum, probatur auctoritate Christi Ioann. cap. 6. ubi Christus interrogatus à Iudæis dicentibus: Quod ergo tu facis signum, ut uideamus, & credamus tibi? Quid operaris; patres nostri manducauerunt manna in deserto, sicut scriptum est: Panem de cælo dedit eis manducare. Dixit ergo eis Iesus: Amen amen dico uobis, non Moyses dedit uobis panem de cælo, sed Pater meus dat uobis panem de cælo uerum. Panis enim Dei est, qui de cælo descendit, & dat uitam mundo. Dixerunt ergo ad eum: Domine semper da nobis panem hunc. Dixit autem eis Iesus: Ego sum panis vitæ. Et infra: Patres uestri manducauerent manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis q de cęlo descendit; ut si quis ex ipso mãducauerit, non moriatur: Et ostendens, quod panis quem proponit sit præstantior manna, subiungit: Ego sum panis uiuus, qui de cælo descendi, si quis manducauerit ex hoc pane, uiuet in æternum. Si ergo panis iste, quem Dominus proponit Iudæis, est præstantior manna, quod fuit huius figura, confitendum est, quod sit aliquid suprà panem materialem, qui oculis corporeis uidetur. Et ut cognoscerent, quid sit iste panis, subiungit: & panis quem ego dabo, Caro mea est, pro Mundi uita. Cum ergo Iudæi, panem, quem proposuerat Iesus manducandum, intelligerent esse carnem suam, cęperunt litigare inter se, dicentes: Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum? Causa litigij fuit, quia intelligebant materialiter in propria specie esse manducandum, & Iesus dicebat spiritualiter, idest Sacramentaliter, sub aliena specie, ut dictum est suprà. Ex his colligitur inuitis dentibus confiteri debere hęreticos, ut sicut illud mãna, fuit cibus cælestis pro reficiendis corporibus, & figura istius cibi spiritualis, pro reficiẽdis animabus, ita iste cibus sit plus quam cælestis, idest, contineat realiter, & substantialiter Dominum cælorum, & auctorem illius mannæ, aliàs non excederet in dignitate, & uirtute figuram, ut dixi. *Alia ratio.*

Et denique, si in hoc Sacramento non esset uerè Christus totus, ut dictum est, sequeretur unum conueniens absurdissimum valdè, scilicet, quod Deus permitteret Ecclesiam suam (quam semper Spiritus sanctus docuit, & docet, dicente ipso Domino Ioan. 14. Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille uos docebit omnia, & suggeret uobis omnia, quæcũque dixero uobis) manere in tam magno errore, ut adorationem latriæ daret tam uili materiæ, qualis est substantia panis & uini, non reuelando veritatem; quod est inopinabile. *Alia ratio.*

Sed oppositum est uerum, scilicet, quod Spiritus sanctus Ecclesiam suam docuit hanc ueritatem, videlicet, q in Sacramento altaris est verè Corpus, & Sanguis Christi: nam sic cuncti Sancti patres cognouerunt, & prædicauerunt, & in suis monimentis reliquerunt, ipsis credendum est, & nõ hæreticis, quorũ uita docet, quę sit eorum doctrina. Ipsis sanctis patribus, dico, credendum est, qui cognouerunt, & confessi sunt, Ecclesiam Romanam, Catholicam, & Apostolicam, in eruendis sensibus Sacræ Scripturæ Diuina auctoritate pollere, & non errare in his, quę sunt fidei, & de hac ueritate certificata, ita determinauit, ut dictum est suprà, in tot Sacris Concilijs, ac quibusdam factis miraculis circa hoc Sacramentum confirmata est: quorum aliqua referam, quæ oculis proprijs uidi.

Miracula circa hoc Sacramentum.

Romæ in Ecclesia Sanctæ Potentianę, in quadam cappella prope altare maius, quidā presbyter ibi celebrans, dubitabat vtrū in hostia consecrata esset uerum corpus Christi; & dū hæc cogitaret, hostia è manibus eius euolauit, & in terram cecidit, & in loco quē tetigit, sanguinis circulum fecit, qui sic remansit in lapide marmoreo, vt usque hodie adhuc appareat, pro ueritate ostendenda, super quo lapide manet parua cratis ferrea, pro reuerentia tanti miraculi.

In ciuitate Trani, de Prouincia Terræ Bari, tempore, quo ibi morabantur Iudæi, quædam mulier Iudæa in Paschate associauit se cum mulieribus Christianis, cum ad sacram communionem accederent, fingens se esse Christianam, quæ dum accepit ore hostiam consecratam, illam non deglutiuit, sed seruauit in panno lineo, & cum reuersa fuisset domum, uolens experiri, vtrum esset purus panis, an non, illam in sartagine cum oleo frixit, qua effecta carne uisibili, sanguinem è sartagine scaturiuit, qui cum huc, & illuc effunderetur, ipsa tremens, quanto magis sanguinem occultare curabat, tanto plus effundebatur; quare, tantus eam timor inuasit, ut ad eius clamores uicinæ Christianæ concurrerent, & uiderent, quidnam esset propter quod ita uociferaretur: & uiso sanguine per totam domum effuso, Iudæa rem celare non ualuit: Re delata ad Archiepiscopum, & cognito toto successu rei, illa carnis particula ad Ecclesiam reuerenter delata fuit; quæ usque hodie seruatur in Sacrario Reliquiarum: singulisque annis, die Palmarum à concionatore, qui de hoc mysterio illo die prædicare tenetur, caro ipsa populo ostenditur.

Neapoli Anno Dominicæ Incarnationis 1581. Quidam uir nobilis Neapolitanus societatem cum Dæmone habebat: qui in forma humana ei apparebat, ac eum per Ciuitatem associabat, & in multis ei seruiebat, & iuuabat. Accidit, ut quadam uice in Paschatæ homo ille communicare uolens, Dæmonem licentiaret; qui dictum nobilem à proposito reuocare tentauit; & non ualens eum à sententia remouere, rogauit, ut particulam consecratam non deglutiret, sed conseruaret, & ad eum deferret; cui nobilis ille dixit, se non habere, ubi eam conseruaret, & deferret: statim Dæmon attulit ei uasculum argenteum miro artificio factum: curauit nobilis ille, ut Dæmon suasit, & dum uasculum cum particula consecrata Dęmoni porrigeret, Dæmon dixit: non possum illam tangere, sed proijce illam in terram, non enim est ibi Corpus Christi, ut Christiani fatentur, sed pannis tantum. De quo dubitas nobilis ille, aliquantum illam particulam spreuit, non tamen in terrā proiecit, sed domū attulit; ubi illā de nouo aspiciens, ex ea sanguinem emanare uidit; ex quo miraculo, in se reuersus, dixit intra se: ego sum in magno errore; & pœnitentia ductus, confessus fuit cuidam pœnitentiario, nomine Reu. Carolo Baldino, uiro & uita, & doctrina probo: qui eo audito, uasculum cum particula consecrata ad se deferri curauit, & illud ad Illustrissimum, & Reuerendissimum Annibalem de Capua dignissimū Archiepiscopum Neapolitanum detulit, sine proditione pœnitentis: quo obseruato, sanguis per aliquos dies creuit, ita, ut quasi tota particula cruenta appareret: de qua re Summum Pontificem certificauerunt: & post tres menses, sanguis à particula separatus remansit: Et habito consilio Medicorum de sanguine ipso; inter quos fuit uir in arte excellentissimus Pisanus cognomento, concluserunt, sanguinem illum non posse esse sanguinem naturalem, sed miraculosum; de qua re capta est informatio, me præsente, ad futuram rei memoriam, pro confirmatione huius ueritatis Catholicę. Et ita hodie conseruatur in thesauro Reliquiarum in Archiepiscopali Ecclesia, pro Dei gloriā, qui non permittit nos decipi in illis, quę sunt fidei, cui sit honor, laus, & gloria, in seculorum secula. Amen.

De congruentia prædictæ veritatis.

COgruentissimum quidē fuit, ut Christus adesset nobis in Sacramēto: nam cum esset discessurus ex hoc mundo ad patrem, ne nos sui præsentia destitutos relinqueret, hoc Sacramētum instituit; in quo diuitias sui erga nos amoris demonstraret. Et enim nobiscum permanenter esse uoluit: donec ipse ad iudicandū Mundū ueniat. Dicente ipso: Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Ergo in aliquo Sacramento permanentiæ. Nec enim hæc inter se pugnant, ut ipse Saluator noster semper in dextera Dei patris in cęlis sedeat, iuxta modum existendi naturalem, & in multis alijs locis Sacramentaliter sua realis substantia nobis præsens adsit, vt infrà probabitur. Et uoluit permanere uelatus sub aliena specie, ut fide nos tali ueritate inhærentes, magis, ac magis mereremur. 11

Non repugnat, Christū esse in cælo, & in multis altaribus.

De materia huius Sacramenti.

DIctum est (sub speciebus panis, & vini) ad auferendos multos errores, qui commissi sunt, & committi possunt circa materiam huius Sacramenti: multi enim (vt refert August. in lib. hæresum, & Iulius Papa, rescribendo ad Episcopos Ægypti, ut habetur Can. Cum omne crimen, de Consecratione, distinctione 1.) conficiebant in pane, & caseo. Alij in farina sanguine puerorū mixta. Alij in aqua solum, uel lacte, loco vini. Alij intingebant musto pannū lineum, quem seruabant per totum annum: deinde tempore sacrificij, partem illius panni in aqua lauabant, & ita illam aquam ex panno expressam offerebant. Alij Eucharistiam intinctam populo offerebant; Alij loco vini offerebant vuas, quas postea populo distribuebant. Quæ omnia tanquam inconuenientia reprobata sunt. Et præceptum est, ut tantum panis, uinnm, & aqua, in Sacramenti oblatione offerantur, ut dicta distinctione secunda, per multos Can habetur. Quę determinatio ultra quòd Catholica est, comprobatur etiam auctoritate Euangelica, Matth. 26. Cęnantibus autem illis, accepit Iesus Panem, & benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait: Hoc est Corpus meum. Et accipiens Calicem, &c. 12

Fuit quidem conueniens, ut hoc Sacramentum in pane & vino cōficeretur, vt ait D. Thom. 3. parte, quęst. 47. articulo 1. Primò, quantum ad vsum edendi, & similitudinem gerendi, ut suprà diximus. Secundò, quantum ad passionis repræsentationem, in qua sanguis à corpore fuit separatus; ideò separatim consecratur. Tertiò, quo ad repręsentationem totius Ecclesię: sicut enim panis ex diuersis granis, & uinum ex multis racemis conficitur; ita Ecclesia ex diuersis fidelibus constituitur, ut suprà dictum est. Quartò, secundum Ambrosium super Epist. ad Corinth. quantū ad singulares effectus, ait enim quod Sacramentum hoc ualet ad tuitionem corporis, & animę, & ideò corpus sub specie 13

De conuenientia materiæ.

panis, offertur pro salute animæ. Quod intellige per quandam attributionem corporis ad corpus, & sanguinis ad animam: & non quòd corpus non prosit saluti animæ, & sanguis saluti corporis. Cùm autem sint plures species panis, & uini, imò genera; ideò quęritur, de quo pane, & de quo vino conficiendum sit? Primò, quantum ad panem, dicitur: Materiam esse panem triticeum cum aqua elementali confectum. Dico (triticeum) ad excludendum omnia alia frumenta, quę non veniunt appellatione tritici. Hanc sententiam sequuntur Richardus in 4. distinctione 11. articulo secundo, Alexander de Ales, 4. primę, quęstio. 32. Bonauent. distinct. 11. articulo 1. D. Thom. quo suprà. Scotus eadem distin. quæstio. 6. Durandus, Paludan. & multi alij Scholastici, quorum aliqui, etsi non exprimant, nisi frumentum, se tamen exponentes, de tritico intelligunt. Ita etiam August. intelligit illud Ioannis 12. Nisi granum frumenti, cui ipse Dominus se comparat. Horum Doctorum sententia confirmatur per Concil. Florentinum, ubi materia huius Sacramenti, triticum esse decernitur. Quinimmò, Christum in pane triticeo consecrasse, fatendum est. Dicit enim Damascenus, quòd panes propositionis, qui super altare ponebantur, ex optima tritici farina conficiebantur; Vnde non est mirum, si Iudæi in Paschate, quod erat eis celeberrima festiuitas, agnum typicum cum pane azimo, ex optima farina comedebant. Rationem huius asserti D. Thom. assignat, quæstione prædicta, articulo 3. nam ad vsum Sacramentorum assumitur talis materia, quæ magis communis est vsui hominum, quem repræsentant, ut in Baptismo, Aqua ad abluendum, & in Confirmatione, Oleum, ad roborandum: sed panis triticeus est inter alios panes magis proprius, & vsu communis ad nutriendum; quam nutritionem significat hoc Sacramentum, ergo. &c. Alij autem panes impropriè dicuntur panes, sunt enim introducti in defectũ huius panis. Et quamuis Gabriel Biel, in Can. Missæ, Lect. . . . disputet pro parte opposita, tamen in fine non audens discedere à communi opinione, relinquit omnia in ambiguo. Caiet. uerò super hoc, sicut est nouus, & solus, ita non est audiendus. Hinc sequitur, quod panis factus ex leguminibus, castaneis, hordeo, milio, vetia, fabe, uel simili alio frumento, non est debita materia huius Sacramenti.

Quæstio, de quo pane, quo ue vino conficiendum sit Sacr. Eucharistia.

Sed quid dicendum est de spelta? D. Thom. & reliqui, quos citauimus, negant panem speltæ esse debitam materiam, putant enim esse speciem frumenti valde diuersam à tritico. Oppositum dicit Albertus Magnus, in 4 distinct. 11. artic. 7. Petrus de Palude, eadem distinctione, quæstio. 1. Thomas de Argentina, eadem distinctione, tenent enim speltam esse speciem tritici, ut sicut vinũ non est species specialissima, sed diuiditur in uinũ Latinũ, Græcũ, Moscatellũ, Guarnatiam, Maluasiam, & similia; quæ omnia sunt debita materia sanguinis: ita dicunt triticum esse speciem subalternam, continentem speltam, siliginem, & similia. Huius sententiæ est Alanus Cardin. Anglus in quodam suo scripto de Sacram. ut refert Sotus. Huic consentit Ioannes Bacconus, in 4. dist. 8. q. 2. est enim spelta, ut ait ipse, multum similis tritico, comparando granum cum grano, & panem cum pane, quo ad colorem, & saporem, vt refert se vidisse. Vnde aliqui dicunt, quòd spelta nascitur ex tritico spurio, ex terræ malitia causato. Et si ita est, concedendum est, speltam esse debitam materiam Sacramenti. Namq; D. Tho fatetur etiam, omne frumentum, quod ex tritici semine nascitur, & generatur, videri tritici speciem amittere, propter malam terræ dispositionem, ubi seminatur, ut accidit in siligine, ideoque debitam materiam esse posse. Vnde concludit, quòd siligo est species tritici, & materia apta huic Sacramento. Quod non agnoscens de spelta; illam aptam esse negauit. Quòd autem qualitas terræ mutet semen, non est mirum; ego enim expertus sum,

Spelta an sit conueniens materia Eucharistia.

Siligo species tritici.

sum, idem semen in diuersis locis, & regionibus seminatum, diuersimodè natum fuisse, & quasi speciem mutasse: locus enim ait Porphirius, est principium generationis; quemadmodum & pater. Itaque, hac ratione de spelta pars affirmatiua teneri potest. Quamuis Franciscus de Mairone, in 4. dist. 8. q. 1. art. 4. & de spelta, & de siligine dubitet. Sententiam affirmatiuam sequitur etiam Syluester, Verbo, Eucharistia, 1. Alij dicunt Lolium quoq; speciem esse, quæ ex tritico degenerat, ut habetur Can. Nasci, dist. 56. quod si ita est, eadem ratione, qua supra admitti potest. Quamuis Glos. in Can. In Sacramento, de Consecr. dist. 2. id neget. *Lolium.*

De mixtione, quæ fieri potest cum farina.

SEd quid dicendum, si farinæ tritici admisceatur aliquid, quod non pertineat ad materiam huius Sacramenti? nunquid panis ex ea factus erit debita materia? Respondetur: Si mixtio erit per iuxtapositionem, puta, miscetur piper cum farina, uel aliud, quod non corrumpitur, nec incorporatur cum farina, tunc non impeditur consecratio, quia consecratio fiet in solis particulis farinæ triticeæ, & non in alia materia admixta. Si autem mixtio fiet per miscibilium corruptionem: qui modus miscendi est uera mixtio: puta miscetur farina tritici cum farina hordei, uel milii, ubi in pasta, uel pane cocto, postea pars farinæ tritici non remanet discreta à parte farinæ hordei, sed ita incorporantur, vt una conuertatur in alteram: tunc ait D. Thom. quo suprà, res iudicanda est secundum quantitatem rei mixtę, iuxta dictum Philosophi: Res sumit speciem ab elemento prędominanti: puta, si cum farina tritici misceatur parum de alia farina, tunc poterit esse debita materia: quia modica permixtio alterius rei non soluit speciem farinæ triticeæ, ut illam in aliam naturam permutet: imò, illud modicum assumitur, & conuertitur ab eo quod est multum. Si verò admixtio alterius farinę esset in tanta quantitate, vt speciem tritici mutaret: puta, ubi misceretur plus farinę hordei, ita ut panis efficeretur hordeaceus, & non triticeus, uel misceretur ex æquo, uel quasi, unde resultaret tertia species; tunc ex eo non posset confici Sacramentum. Idem dicendum, si farina triticea esset corrupta propter uetustatem, uel aliud accidens: puta si corruptio est modica, idest, uia ad corruptionem, ita ut iam non sit mutata propria species, tunc posset esse debita materia; non tamen liceret, propter reuerentiam, nisi in casu necessitatis, quando aliud melius haberi non potest. Si autem corruptio esset tâta, ut speciem mutaret; puta quòd non posset impastari, uel color, & sapor, uel alia intrinseca panis accidentia mutarent; tunc non posset esse debita materia. Hinc D. Thom. cui consentit Scotus quo suprà, concludit, quòd Amidum non est materia debita Sacramenti; quamuis fiat ex tritico; nam illud fit per expressionem tritici madefacti, per tot coctiones, quę expressio corrumpit speciem tritici, & efficitur lac, quod si assaretur, uel aliter coqueretur, certè ex eo non efficeretur panis communis, ut experientia docet; quamuis Paludanus, & alii contrarium dicant sine ratione. 14

Farina admixta quãdo non est debita materia.

Farina corrupta.

Amidum.

Primò dubitatur, an panis confectus ex farina impastata aqua artificiali, uel alio liquore, sit materia debita huius Sacramenti? aliqui dicunt, quòd sic, ut est

15 *Dubium de pane cum aliquo liquore.* est Hostiensis,& Durandus Ordinis Minorum. Horum ratio est:nã aqua in pane non mnaet,sed exficcatur per ignem,& ideò quacunq; aqua impalletur,est eiusdem speciei. Sed D.T.3.p.q.74.art.7.ad 3.arg dicit,quòd aquæ mixtio,cum farina,est de substantia panis; cum ergo sit pars substantialis panis,& materia, ex qua cum farina resultat tertium,si alius liquor,quam aqua elementalis apponeretur, non esset panis materia apta huic Sacramento. Hanc opinionem sequitur Sylu.verbo,Eucharistia,1.§.4.Palud dist.11.& Sotus in 4. dist.9. q.1. art.9. Caietanus autem disputat hunc articulum,& tandem inclinat in partem primæ opinionis. Quid verò in hoc sit tenendum,indiget Philosophia:Veruntamen dici potest,quòd in hoc unum est clarum, scilicet, si farinæ apponatur oleum,mel,albumen ouorum,uel alius similis liquor crassus,certum est,quod ex tali mistione resultat,erit alterius speciei à pane communi vsuali: quia humor ille crassus,cùm remaneat in misto, (vt sapor & odor attestatur) facit,ut sit diuersus à pane communi. Sed de humore subtili,vt est aqua sublimata,nõ est ita clarum,cum sit apta compaginare, & commassare partes farinæ absque alteratione,& mutatione saporis,sicut aqua elementalis, ut non uariet speciẽ: quia eius substantia transit per exficcationem, & consequenter remaneat materia apta. Quod mirum non apparebit,ut ait Caietan.si alia naturalia inspiciantur. Sanguis enim generatur ex materia diuersarum rerum,& tamen seruat eandem speciem. Verum in re tanti momenti,huiusmodi pericula sunt vitanda,cum non sit Sacramentum tantæ necessitatis.

Opinio authoris.

16 *Dubiũ de pasta cruda.* Secundo quæritur,an pasta cruda, sit debita materia huius Sacramenti? Et videtur quod sic,nam pasta cocta,& incocta sunt eiusdem speciei,sicut carnes crudæ,& assę;ignis enim nil aliud facit,nisi exficcare humiditatem illius pastę, & indurare,ut debitè compacta,panis efficiatur;& cum hoc fiat artificio humano, speciem mutare dici non potest, quia ars non potest inducere formam naturalem. Hinc concludi potest;laganam,pastillos,& pastam oleo in sartagine frixam,posse esse debitam materiam;nam illa elixatio cum aqua;vel oleo,non mutat speciem pastæ,& consequenter eadem ratio esset de omnibus illis. Verum hæc Philosophia est valdè difficilis, an scilicet huiusmodi mutent speciẽ per tales coctiones, an non. De qua re Theologus non potest iudicare, sed procedere debet in huiusmodi secundum communem usum. Et quia appellatione panis nulla istorum ueniunt, secundum propriam rationem panis, ideò qui hoc facere attentaret, magno periculo se exponeret, ut non consecraret. Vnde Scotus,quo suprà, etsi concedat pastam crudam, cum cocta esse eiusdẽ speciei, non tamen concedit de illa posse confici Corpus Christi: ait enim, Christum voluisse nos tantum habere pro materia debita panem triticum cõmuniter usualem, in quo non intelligitur pasta cruda, nec alia sequentia. Posset & cum hoc responderi rationi dictæ opinionis: Etsi ars non possit inducere formam naturalem in passum: potest tamen naturalia applicare,quibus forma naturalis inducatur,scilicet, applicare ignem, cuius calore forma panis inducitur. Ita quoque facit angelus,dum aliquid generare videtur,ut de magicis Ægyptiorum dicitur. Et ita ista opinio infirmatur, ut dicatur,pastam crudam non esse debitam materiam.

Dubiũ de pane redacto in pastã, seu fermentato. Tertiò quęritur, quid dicendum de pane recenti, redacto in pastam, per compressionem in digitis? Respondet idem, quòd sic:nam etsi per compressionem recedat à forma panis usualis: non tamen recedit à ratione panis consecrabilis: quia ex quo coctus est semel, nil refert,si amittat duriciem,quæ consueuit esse in pane cocto. Et subiungit Sotus dist.8,q.1.art.3 quòd panis quantumcunque compressus, nunquam reducitur ad naturam pastæ crudæ, ut negari possit esse debitam materiam: quod patet, dum comeditur: semper enim

seruat

seruat gustum panis,nisi alio artificio alteretur,s.quando de ipso fiunt pastilli, Idem intellige de pane azimo.

Quartò quæritur,Panis debeat ne esse fermentatus, an azimus? Respondetur:Circa materiam huius Sacramenti, duo possunt considerari:Vnum, quod est de essentia Sacramenti, & de hoc dictum est satis;scilicet, quòd debet esse panis triticeus,siue sit fermentatus,siue sit azimus.Alterum est,de conuenientia;& tunc dicò, conueniens est, ut quisque obseruet consuetudinem suę Ecclesiæ,scilicet,ut Gręci conficiant in pane fermẽtato,& Latini in azimo:utraque enim consuetudo est rationabilis, ait Beatus Gregorius in Registro: habent enim sua significata:in qua sententia conueniunt omnes nostri Theologi: Itaque si Græci in azimo, & Latini in fermentato conficerẽt, peccarent mortaliter, propter pręceptum Ecclesiæ, ut habetur extrà, de celebrat. Missarum, Cap. Litteras. Et quamuis legatur, tempore Leonis Papæ,Ecclesiam Latinam in fermentato celebrasse,in hoc fuit ad tẽpus dispensatum. Rationem huius assignat Richard. & D. T.in 4. Quandoquidem Iudæi quidam scismatici,uolentes seruare Euangelium ad literam, intelligentes ex Euangelio, Christum in azimis consecrasse, contendebant esse contra Euangelium conficere in fermentato. Ad auferendum igitur hunc errorem, statuit Leo Papa,ut conficeretur in fermentato ad tempus, deinde reuerteretur ad celebrandum in azimo, quia hæc consuetudo est rationabilior: tum,quia Christus in azimis consecrauit,& ita Apostoli obseruarunt, tum etiam,propter significata, quæ habet. Vnde Paulus 1.Corinth.c.5.Epulemur in azimis synceritatis,& ueritatis. Sed Gręci dicunt, Christum consecrasse in pane fermentato, & ideò nos dicunt errare, immò non conficimus, aiunt; propter quam ignorantiam,Scotus dicit,eos,ut Scismaticos,peccare mortaliter;non se conformantes cum Ecclesia Latina. Et certè propter eorum pertinaciam in hoc,& alijs,merentur hoc audire.Verum in Concilio Florentino, propter Armæros(qui etiam in fermentato conficiunt)fuit decisum,siue in azimo,siue in fermentato tam Ecclesia Latina, quam Græca,tam Orientalis,quam Occidentalis Ecclesia consecrat.sequendo tamen suam consuetudinem,nulla istarum Ecclesiarum peccat.

17 *Dubium de pane fermentata.*

18 *Opinio Græcorum erronea.*

Causa erroris Græcorum.

Sed causa huius erroris Græcorum fuit, quod non benè intellexerunt textũ Ioannis,dicentis: Ante diem festum Paschæ. Hinc colligunt,cum cœna facta fuerit die ante Pascha, & præceptũ de usu azimorum incipit à prima die Paschæ,per septem dies cõtinuos;cõsequens est,quod die ante Pascha panem fermentatum comederunt,& per consequens,in ipso Christus consecrauit. Ad capiendam huius rei ueritatem, sunt aliqua aduertenda. Primum est, ut Exodi 12.legitur: Præceptum erat Hebræis, ut decima die primi mẽsis,idest Martii apud illos, acciperent Agnum per singulas domos. Deinde decima quarta die ad uesperam,eum immolarent,& tunc ederent eius carnes cum azimis, & lactucis agrestibus,& ut ab illo die,usque ad uigesimum primum eiusdem mẽsis,non esset panis fermentatus in eorum domibus.Primo mense,in quo decimaquarta die ad uesperam comedetis azima, usque ad vigesimum primum eiusdem mẽsis, & septem diebus fermentatum non inuenitur in domibus uestris.Secundum aduertẽdum est,quòd apud Iudęos mos erat,festa celebrari à vespera unius diei,usque ad uesperã alterius diei,ut habetur Leuit. c.23.A uespere usque ad uesperam celebrabitis Sabbatha uestra.Tertium est,quod Christus fecit Cęnam cum discipulis suis feria quinta ad occasum Solis; quæ dies erit decima quarta primi mensis,prout Exod. 13. præcipiebatur, & feria sexta passus fuit;quæ fuit prima dies festi Paschæ Iudæorum.His stantibus, facilè concordari possunt dicta Ioan.cum aliorum Euangelistarum,& dubium resolui:nam quando Ioannes dicit:Ante diem festum Paschæ, intelligit feriã quintam;

ram; quãdo agnus immolatus erat, quæ dies erat ante diem sollemnẽ: sed quia agnus comestus est post uesperam, quando iam incępta erat sollemnitas primę diei Paschatis, ideò illa hora diei uocatur ab alijs Euangelistis prima dies azimorũ: quia iam incępta erat (ut dixi) ubi tũc temporis non inueniebatur panis fermentatus in eorũ domibus, iuxta præceptum Domini: & ideò Doctores Latini dicunt, Christum in azimis cõsecrasse. Gręci autem non intelligentes, vel nolentes intelligere, sollemnitatẽ primæ diei incipere à vespera (ut dixi) sequẽtes proprium intellectum, dum Ioan. dicit: Ante diem festum, credunt, nõdum esse incęptam sollemnitatem primę diei azimorum, ut ostẽdimus, & consequẽter dicunt, tunc adhuc panem azimum non habebant, sed fermentatum: & ita discordant. Verum, ista discordantia non tantum obest, quãtum unum falsum, quod dicunt, scilicet, nos non conficere in azimis; non aduertentes, quod cum panis azimus, & fermentatus sint eiusdem speciei, in utroque potest confici Sacramentum. Et hæc breuiter sufficiant pro declaratione huius differentiæ; multa enim alia in huius confirmationem dici possent, quæ, cum non sint necessaria, hic transeo.

Sequitur de materia Sanguinis.

19 SEcundò quantum ad uinum, dicitur cum tota schola Theologorum, & Canonistarum, Vinum uitis esse debitã materiã huius Sacramenti. Dico (vinum) ad excludẽdum alios humores, ut est lac, aqua sola, & huiusmodi, ut habetur de Consecratione, dist. 2. per plures Can. Dico (uitis) ad excludendum quasdã uini species, quæ per similitudinem uinum dicuntur; ut est vinum malorum granatorum, mororum, ceruisiæ, & similium humorũ. Ratio huius est: quia hoc Sacramentũ ita institutum esse à Christo legitur Matt. 26. Et quãuis non legatur expressè, uinum accepisse, ut legitur accepisse panẽ: sed legatur, accepisse Calicem in consecratione Sanguinis; tamẽ Calix pro uino intelligitur, est enim Calix uas uini, & nõ aquæ: Vnde in Psalmo 22. dicitur; Calix meus inebrians, quã præclarus est. Et quod ita sit, uerba sequentia manifestant; dicit enim: non bibam amodò de hoc genimine uitis, usque in diem, &c. ergò uinum uitis accepit. Secunda ratio, quod sit vinum vitis, est: nã pro materia Sacramentorũ, ut suprà dicebamus, accipitur, quod propriè est tale: sed uinũ propriè non intelligitur, nisi quod ex vuis exprimitur. Tertia est, propter significationem spiritualium effectuum, quos producit hoc Sacramentum, ut dictum est suprà, & dicetur melius subsequenter.

Calix pro uino intelligitur.

Hinc sequitur, ꝙ qui consecraret racemũ vuæ, nõ conficeret Sacramentum sanguinis Christi. Can. Didicimus, de Cõsecr. dist. 2. sicut. n. (ut dicebamus) farina, nisi cũ aqua ammasset, non est panis, ut sit materia debita, ita vua, nisi exprimat, non est mustum, neque uinũ, dum enim uua est botrus, est quid comestibile, & no npotabile, ut vinũ dici possit. Verũ, in casu necessitatis, vuæ prius exprimi debent: deinde mustum expressũ in calice apponi. ut Can. Cũ omne, ead. dist. Dico (in casu necessitatis) quia sine necessitate, mustũ fęculẽtũ, & impuũ in calice apponere non liceret, propter decentiam, & reuerẽtiam Sacramenti

Vua nõ est materia sanguinis corporati.

menti. Dixi etiam (vuæ exprimi debent) & non agresta, nam de succo agrestæ confici non potest: quia adhuc uini speciem non habet: sed in uia generationis est. Quando autem cognoscetur, quod sit vua, & non agresta? Dico, quādo effecta est dulcis, dulcedo enim eius attestatur, vuam esse digestam à solis calore, & in complemento naturali, ita, ut succus eius expressus, uini speciem habeat. Sequitur secundò, quod neque ex aceto Sacramentum confici possit: acetum enim est uinum corruptum, & in aliam speciem mutatum, ita, ut non possit iterum in vinum reduci. *Agresta.* 22 *Acetum.*

Potest quidem de uino acescenti confici, dum est in uia ad acetum, sicut dicebamus de pane, dum est in uia ad corruptionem: & nondū iam est corruptus, ait D. Thom. quo suprà: si autem dubium esset, an sit verè acetum, grauiter peccaret, qui huic periculo se exponeret: quamuis aliqui dicant, in aceto facto ex vino, confici posse, ut ait Gloss. in Can. Sic. de Consecr. dist. 2. Et fortè intelligunt de vino, dum est in uia ad acetum, quando scilicet acescit, aliàs non benè dicerent. Nec etiam de uino cocto consecratio fieri potest, transit enim per cocturam in aliam speciem. *Vinū coctum.*

De mistione Vini.

QVid dicendum die uino cum aliquo liquore mixto? quod de pane dictum est; si enim in uino apponatur mel, uel saccarum, & aromata in tanta quantitate, ut speciem uini mutent, non erit conueniens sanguinis materia: si autem non erit tanta mixtio, ut iudicari possit uinum in sua specie remanere, siue illud, cum quo miscetur, in se conuertat, siue remaneat per iuxtapositionem, aut aliquas partes uini tangat, poterit esse debita materia. Verum propter dubium quandoque periculosum est, sine necessitate, uti huiusmodi. Idem dicēdum de uino artificiali, quod scilicet componitur ex multis speciebus, quod vocant Raspatam. *Raspatam.*

Sed quid de vino acinatio? idest, quando in dolio ponitur uinum cum aqua, & acinis vuæ? Dicitur, si aqua, quæ uino miscetur, non est tanta, ut iudicari possit, uinum non mutasse speciem, immò illam ad se conuertit, quòd ex sapore cognosci potest, licebit. Si autem esset vappa, seu aquarella, dum scilicet ponitur solum aqua in uinatium expressum, uel super acinos vuarum, habens aliquantulum uini acumen, non per hoc erit consecranda; quia secundum Albertum Magnum, & Syluest. quò suprà, non est uinum, sed aqua fusa; Sic etiam dic in aliis mixtionibus, quę in dolio proprio fieri solent à Magnatibus, ut gustent diuersa. *Acinatium.* *Vappa.*

Quid de uino congelato? an ut de aqua in Baptismo? R̄ndet Sotus quo suprà; si congelatio est ita exilis, ut uinum remaneat, sit consecratio: nec est simile de Baptismo; nam ibi, ut fiat ablutio, requiritur, ut aqua fluat, sed in consecratione non opus est. Verum si congelatio esset tanta; ut uinū induraretur sicut lapis, ut fit in quibusdā partibus mundi extremis; dubiū est, si remaneat species uini, ut requiritur in consecratione: quod cognosci potest si liquefactus postea eumdem saporem retineat: itaque ante istam experientiam, dubium est periculosum. Et si congelatio tam dura fieret post consecrationem, sumendum est cū veneratione, propter dubium. Quando mistio fit ex multis speciebus uini, scilicet vino albo, rubeo, acri, dulci, græco, muscatelo, & huiusmodi: quæ omnia cū sint debita materia, eo ꝙ de ueris uitibus fiunt, difficultatem non pariunt. *Vinum congelatum.*

De

De aqua, quæ vino miſcetur.

21 *Aqua natura lis apponenda de præcepto.*

Dictum fuit ſuprà, in hoc Sacramento tria offerri debere: nempe panem, vinum,& aquã,ut de Conſecrat.diſt.2.per multos Can.dicitur.Verum tamen an aqua ſit de eſſentia Sacramenti, ita ut ſine ipſa confici non poſſit,an tantum de præcepto, dubitari poſset, nam ſi ideo in pane triticeo,& uino uitis confici debet,& non in alia materia;quia Chriſtus ita confecit, conſequens eſſet,aquam eſſe de eſſentia, quia Chriſtus uinum cum aqua conſecrauit,& ita faciendum inſtituit.Verum quia omnes patres,& ultimo S.Conc.Tr. ſeſſ.22.c.7.dicunt aquam uino apponi eſſe præceptum Eccleſiæ, & non de eſſentia ſacramenti,ideo dicendum.Qui in calice aquam non apponeret, conſecraret quidem,ſed ſi ſcienter, uel craſſa negligentia id faceret,peccaret mortaliter.Can. ſcriptura,ead.diſt.

Conueniẽtia miſcẽdi aquã.

Habet autem rationabilem conuenientiam ritus iſte miſcendi aquam in calice:nam ultra quòd Chriſtus ita feciſſe creditur,ut moris erat in illis partib. ſ. aquam vino miſceri, propter eius potentiam,non eſt abſq; ſignificatione. Primò enim repræſentat Chriſti paſsionem.Vnde Alexander Papa ſic ait,& habetur de Conſecr.diſt.2.cap.1. Non enim debet in calice Domini,aut uinum ſolum,aut aqua ſola offerri, ſed utrumque permiſtum: quia utrunque ex latere Chriſti in paſsione ſua profluxiſſe legitur. Secundò ſignificat ſpiritualẽ effectũ huius ſacramenti: cum enim hoc ſit Sacramentum unionis, ſignificat populi Chriſtiani unionem, ad Chriſtum caput Eccleſiæ;cuius membra ſumus. Vnde Iulius Papa,Can.Cum omne,ead.diſt.In aqua populum intelligi,in uino uerò oſtendi ſanguinem Chriſti:ergò cum in calice aqua uino miſcetur,Chriſto populus adunatur,& credentium ples ei,in quem credit, copulatur, & iungitur. Et ſubiungit: nam ſi uinum tantum quis offerat, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis,hoc eſt nobis quaſi non profuiſſet. Hoc idem etiam dicit Cyprianus Can.Sic ead diſt Si uinum tantum quis offerat, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine Chriſto,ſcilicet myſtico,quod eſt Eccleſia,cuius ipſe eſt Caput. Vnde oẽs

22 *Admonitio Sacerdotibus facta.*

moneo,ut in Miſſa quiſque utatur uitreis vrceolis,ubi aqua,& uinũ habetur,ut uideat quid faciat,facile enim in aliis uaſis,ubi uinum, & aqua non uidentur, homo decipi poteſt, apponendo unum pro alio. Et ſi quæratur, quę pęna eſt contra non apponentem aquam in calice? Per antiquum Ius debet ab officio ſuſpendi, donec ad plenum corrigatur.Can.Cum omne, in fine, de Conſecrat. diſt.2.Per nouum autem Ius,ſi ex aperta malitia,aut nimia negligentia id commiſerit,per Cap.Litteras,de Celebrat.Miſſarum, præcipitur priuari officio, & beneficio.

23 *Quid fiat de aqua in calice poſita.*

Circa appoſitionẽ aquæ in calice,quid de illa fiat, fuerũt opiniones. Aliqui dicebant,ſicut uinum tranſubſtantiatur in Sanguinem: ita aqua conuertitur in illam aquam,quę de latere Chriſti effluxit. Hæc autem opinio ueritatem non habet: nam ſi ita eſſet, tunc deberet conſecrari ſeorſum, ſicut panis ſeorſum à vino conſecratur.Altera opinio fuit, dicentiũ aquam in calice poſitam, poſt conſecrationem ſeorſum manere,hæc autem utique falſa eſt:dicit enim Ambroſius,in libro de ſacramentis:Ante benedictionem illa ſpecies nominatur: poſt benedictionem,Corpus Chriſti deſignatur.Ideò ponitur tertia opinio uera, ut refert Innocẽtius,Cap.Cum morte,de celebr.Miſſarum,ſcilicet,quod aqua cũ

uino

vino in Sanguinem trasmutatur, ut expressius eluceat proprietas Sacramenti. Hoc modo uidelicet; non quod ambo transeant in sanguinem, sed aqua prius conuertitur in vinum: vinum enim sua potentia, & uirtute aquam sibi incorporat, & conuertit: deinde uinum conuertitur in sanguinem consecratione. Tunc enim habet proprium significatum; nam cum aquę multæ sint populi multi, iuxta illud, quod alibi legitur. Beati qui seminatis super omnes aquas: ideo sicut aqua conuertitur in uinum, ita populus Christo incorporatur. Hinc colligitur quòd aqua, quæ uino in calice miscetur, esse debet pauca; ut in uinum conuerti possit ante consecrationem: & tãto minor esse debet, quanto uinũ est tenuioris substantiæ. Vnde quam imprudenter faciunt, qui aquam in magna quantitate in calice ponunt, posset enim esse tãta, ut uini substantia exhalaret, maximè si esset tenuis, uel ex mixtione tertium resultaret, secundum aliquos: uel si nõ, saltem eius substantia uino mixta remaneret, in quo casu non consecraretur, ad consecrationem uini, & in eleuatione calicis, adoraretur cum Sanguine. Quod si scienter, & ex proposito fieret, graue scelus esset, ut habetur Cap Pernitiosus, de Celebrat. Missar. Et ut prędicta magis elucescant, examinando singula, dubitatur, &

Aqua in calice apponenda debet esse pauca.

Quæritur primò, an quilibet liquor uino appositus, ita misceatur cum eo, ut ipsum corrumpere possit? Huic quæsito multipliciter respondetur: & primò dicitur: Aut illud, quod uino miscetur, est eiusdem speciei, aut non. Si non, aut liquor ille alterius speciei erit grossus, pingis, & durus, aut subtilis, & facilè penetrabilis. Si primum, aut eius qualitates non agent contra qualitates uini, eas destruendo, nec partes talis liquoris, uel misti intrabunt partes uini, eas penetrando; ut accidit, dum apponitur oleum, uel simile; ut arena, terra uel simile mixtum, quę non miscentur, sed semper separata manent, nec sua qualitate uinum afficiunt, tunc uinum non corrumpitur, quia non erit uera mixtio, sed potius iuxtapositio: nam liquor ille, uel terra, separari potest: (nisi esset terra ita sicca, & multa, quę uinum absorberet) Aut qualitates illius rei mixtę afficiẽt vinum sua potenti uirtute, & agent contra qualitates uini, ut accidit, dũ uino apponitur mel, sapa, piper, nux muscata, cinamomum, uel q̃d simile; tunc attendẽda est quãtitas rei, quæ uino miscetur: puta multo uino parũ de huiusmodi, reb. appositũ non ita corrũpet uinũ, nisi fuerit in aliqua notabile quãtitate: quæ non requiritur, ut sit multa, propter eorum uirtutem excellentem: uerum in hoc non potest dari regula uniformis, nam eadem quantitas opposita uino albo, claro, leui, & tenui, quæ illud destruet, non corrũperet uinum nigrum, grossum, & uinosum, ut est Guarnaccia, Lachrima, Græcũ Summę, Muscatellũ Trani, Maluasia Candię, & simile: sed requititur paulo plus. Et ideo uti talibus vinis artificiatis, & conditis in sacrificio missæ error maximus esset. Si uerò liquor alterius speciei erit subtilis, & facilè penetrabilis, cuius partes subintrabunt partes uini, ut accidit, dum uino apponitur aqua elementalis: uel etiam eius qualitates afficient uinum: ut accidit, dum apponeretur aqua artificialis lambiccata, succus herbarum, uel simile, tunc attendenda est quantitas miscibiliũ: puta apponendũ multum de aqua artificiali, uel succo herbarum in uinũ, illud destruet, tum ratione partim penetrantium partes uini, & eas resoluentium, tum etiam ratione qualitatum agentium contra qualitates uini, & eas destruentium: & tanta posset esse acuitas, & potentia qualitatum aquæ artificialis, & succus prædicti, ut etiam æqualis, uel minor quantitas illius, corrumperet maiorem quantitatem uini; & maximè si uinum erit tenue, & paruæ substantiæ: de quibus fieret tertia natura secundum aliquos. De aqua uerò naturali aliter dicendum: nam si uino apponatur parua quãtitas aquæ, tunc uinum, sua uirtute, aquam in se conuertet, ut dictum est suprà: & ita obseruari debet in sacrificio

24 Dubium de mixtione q̃ fit in uino.

crificio missæ, rationibus ibi assignatis. Si autem apponatur in magna quantitate,& hoc uel secundum ęqualitatem quantitatis, puta tantum de aqua quantũ de uino: in hoc non potest dari regula uniformis,propter diuersitatem naturę,& potentię uini,nam si uinum erit grande,habens magnam uirtutem, & potẽtiam,ut sunt uina terrę Bari,aliquorum locorum Calabrię,Cypri, & Candiæ, & similia; tunc uinum conuertet quidem in se aquam illam cum tempore,prout uirtus,& potentia uini plus, uel minus erit, sed si uinum est tenue,& debilis substantiæ,ut sunt uina Costæ,Amalfię, Romana, & similia, tunc aliqui dicunt ꝙ ex eis resultabit tertia species;sed hoc non est uerum; Sed dicendum cum Richardo, scilicet,ꝙ aqua neque corrumpet uinum,quia uinũ naturaliter,quodcunque sit,est magis actiuum quã aqua:neque corrumpetur à uino,per multum temporis?& quãuis aqua in hoc casu alteraretur à uini qualitatibus,non tamen sic cito conuerteretur in naturam uini: unde ex eis non resultaret natura tertia: sed erit quędam mixto imperfecta per partes se tangentes:quod aliqui probant ex hoc,scilicet,quod in tali casu,aqua per artem à uino separari posset,signum est, quòd aqua non est à uino corrupta. Ex quo sequitur,ut qui multum de aqua poneret in calice,cum illa non tam cito conuerteretur in uinum: in consecratione calicis, uino conuerso in sanguinem aqua remaneret in sua propria natura,mixta speciebus uini,sicut erat mixta uino ante consecrationem, & tunc in eleuatione calicis, simul adoraretur aqua cum Sanguine Christi. Qui error quantus sit, consideret Sacerdos celebrans, tum,quia deficiet significatum,s.quare aqua apponatur uino, ut dictum est suprà, tum etiam, quia faciet à populo idolatriam committere,aquam adorando. Si uerò mixtio aquæ non æqualis in quantitate,sed in proportione:puta tantum plus poneretur de aqua,quantum plus uinum haberet de actiuitate: tunc ex eis fieret natura tertia,secundum aliquos, quę non esset,neque uinum, neque aqua.Ideo periculosum est uti urceolis argenteis,uel luteis,ubi uinum uideri nõ potest,posset enim accidere, ut quandoque accidit, ut sacerdos putãs ponere vinum,poneret aquam in calice,in magna quantitate, & parum de uino, putans esse aquam,maximè quando uinum est album, & in calice non discernitur,& tunc cum illud statim ab aqua corrumperetur,non fieret consecrãdo,ac si aqua sola in calice apposita esset.Verum credo,hoc accidere posse,quãdo uinum est tenuis substantię:si enim esset multum uinosum,acre, & potens, non tam cito corrumperetur ab aqua,sed longiori tempore, quam duret Missæ sacrificium;Vnde sequeretur,adhuc error prius dictus;Et ita intelligendi sunt, qui tenent uinum ualdè limphatum nõ amittere naturã uini ex toto,sed in parte.Vnde remanet in esse incompleto:quod patet per gustum: retinet enim saporem uini: Quod uerum est pro aliquo tempore,secundũ uini naturam, sed in longo tempore efficitur natura tertia: quod expertus sum. Posset autem esse tã parua quantitas uini in calice posita, ut statim absorberetur ab aqua: unde Sacerdos celebrans, si in talem errorem inciderit, & de hoc non aduerterit, antequam communicet:si dum sanguinem sumit,sentit aliquem uini saporem non opus est iterum uinum consecrare:si autem sibi uidetur,aquam puram gustasse, opus est, uinum in calice de nouo apponere, & iterum consecrare, & sumere;ut misterium sacrificij perficiebatur. Sed de hoc inferius,ubi de Missę defectibus dicetur.

Quantum ad secundum principale, scilicet, aut liquor uino appositus erit eiusdem speciei: puta miscendo uinum cum alio uino. Dico, quòd ante consecrationem, nil refert, quodcunque uinum misceatur uino missę præparato, dummodò sit uinum uitis, dictum est enim suprà, quòd omnia hęc sunt apta materia huius Sacramenti. Sed difficultas est magna inter Doctores, an

post con-

post consecrationem miscendo vinum cum Sanguine in calice, affectis specie bus uini consecrati à vino de nouo apposito, Sanguis ibi desineret esse? nam fundamentum huius quęstionis est, ut infrà dicetur: tamdiu in Sacramento existit Corpus, & Sanguis Christi; donec species conseruant substantiam panis, & uini, si ibi adessent, unde corruptis speciebus, desinit ibi esse Corpus, & Sanguis: Et ratio huius dubitationis apud Theologos est, quòd in mistione uinorũ, diuersarum qualitatum, duo inueniuntur. Vnum est deperditio qualitatum alterius uini minus actiuarum, nimirum saporis, & coloris, uerbi gratia, si uino albo miscetur uinum rubeum in quantitate, amittetur albedo, uel fiet tertius color; si uino dulci miscetur uinum acre, & asperum, amittetur dulcedo; ad quorum deperditionem; dicunt quidam, deperdi substantiam uini, ut non remaneat idem numero, quòd prius, & hoc, uel quia unum conuertit aliud in se, si est actiuius altero; vel ex eis fiet tertia species, si sunt ęquè aquosa, & leuia, uel si sunt ęquè uinosa, & fortia. Alterum, quod in mixtione inuenitur, est penetratio partium ad inuicem per totum, usque ad minima, uel ad partes minores minimis; ex qua penetratione fieret corruptio utriusque vini, ut non remaneant idem quod prius. Lex enim naturalis est, ut res conseruari possit usque ad minimum determinatur; quòd si alterius diuidatur, corrumpitur rei diuisæ substantia. Circa quam materiam, Doctores sunt uariè sentientes. Et quia Philosophia docet uina, quęcunque sint, ad istarum qualitatum mutationes, nempe dulcedinis, acredinis, asperitatis, & similium, ac item albedinis, rubedinis, nigredinis, uel alterius coloris, non mutare substantiam, cũ hę mutationes fieri possint, & ab arte, & à natura, uidemur enim uinũ eiusdem dolij, cum ante fuerit dulce, uel rubeum, cum tempore amittere dulcedinem, & fieri asperum, & amittere rubedinem, & fieri flauum, uel alterius coloris, idem numero existente prius, & posterius: docet etiam, partem minimam, in qua saluari potest natura uini, in mixtione conseruari, resistit enim rei permixtæ, ne uincatur. Hic difficile est, hanc Philosophiam scrutari, & quia sanguinem conseruari in Ecclesia, non est in usu, ut accidere possit talis mixtio, ideo hāc speculatiuam non esse necessariam putaui.

Verum si facultas dicendi duo uerba, detur; circa hęc breuiter dicerem: Quamuis in mixtione diuersorum uinorum, ac āmissionem talium qualitatũ cõstet non mutari substantiam uini (est enim in hoc mutatio alteratiua tantũ in qualitatibus, & non substantialis, per quam deberet amitti nomen, & definitio, ut docet Arist.) tamen si mixtio fieret in calice post consecrationem cũ speciebus Sacramẽtalibus, dum qualitates uini appositi destruerent species illas Sacramẽtales, desineret ibi esse sanguis Christi. Ratio diuersitatis est, nam cum ista accidentia, dum inhęrent substantiæ uini superueniant substantiæ, non sequitur necessariò substãtiæ corruptio ad dictorũ accidentiũ corruptionem, sed potius alteratio. Sed in Sacramento, cum eademmet accidentia remaneant sine subiecto, & Sanguis Christi ibi assistat, quousque dicta accidentia manent, si ab alijs qualitatibus fortioribus corrumpantur, ita ut amplius non maneat sanguis ibi dicetur non amplius manere. Hinc dici potest, in lotione, dum Sacerdos perfundit manus, & purificationem sumit, si alio uino n eratiori, & potentiori, quam est vinum consecratum, purificaretur illa gutta Sanguinis, remanens in calice, in tali mixtionę desineret ibi esse, antequam à Sacerdote sumeretur: Si autem perfusio fieret cum eodem uino, quo consecratio facta est, tunc fieret mixtio cum speciebus, sine earum corruptione; quia qualitates eædem non agerent inter se, sed potius conseruarentur inter se: quæ mixtio non fieret cum sanguine, scilicet, tangendo dimensiones Sacramentales, sub quibus sanguis continetur.

Et multo magis corrumperentur illæ species, si perfusio fieret aqua, & ideò in cap. Ex parte, de celebratione Missarum, præcipitur, ut perfusio post sumptam Eucharistiam, fiat vino.

De liquore autem alterius speciei apposito vino consecrato, idem iudicium faciendum, ut dictum est paulò suprà: quamuis enim non misceretur substantiæ Sanguinis Christi; misceretur tamen speciebus Sacramentalibus, quæ agerent, & paterentur ad modum substantiæ, cum re extranea apposita; ac si ibi esset propria substantia vini, quod erat ante consecrationem, ut latiùs infrà dicetur. Itaque, si liquor ille appositus corrumperet species Sacramentales, ad earum corruptionem desineret ibi esse Sanguis Christi. Si autem vincerent qualitates rei mixtæ, illud mixtum transiret in naturam specierum: quia in hoc cedit natura miraculo, & virtus suprà consuetudinem operatur, ait Innoc. in quadam Decretali.

Dubium de appositione aquæ artificialis.

Quæritur secundò, an quælibet aqua in calice poni possit, dum præparatur sacrificium? Dicitur, quòd ex consuetudine Ecclesiæ apponi debet aqua naturalis, & non artificialis, propter significationem supradictam: nam e latere Christi exiuit uera aqua, & non phlegma, aut alius humor, ut aliqui dixerunt; & docet Innoc. in cap. In quadam, de celebr. Missarum. Sed quantum ad necessitatem Sacramenti, ait D. Th. q. 74. art. 7. cuius sententiam sequuntur ceteri Doctores; nil refert, an sit rosatia, aut alterius liquoris; quia (ut dictum est) non est de essentia consecrationis: peccaret quidem ille qui tali aqua uteretur in sacrificio.

25 *Dubium de quantitate materiæ consecrandæ.*

Quæritur tertiò, requiriturne determinata quantitas panis, & uini, pro materia huius Sacramenti: an possit quantacumque materia consecrari? Respondetur, in hac quæstione duo considerari debent. Vnum, quod licitè fieri conuenit; alterum, quòd absolutè fieri possit, quantum ad primum: non licet Sacerdoti consecrare quantamcunque materiam; ut puta, totum panem, qui est in cophino; uel totum uinum, quod est in dolio, sine magno scelere, propter periculum; quia tanta quantitas dispensari, & consumi non posset cum illa debita ueneratione, ut ritus Ecclesiæ habet: Vnde magna irreuerentia Sacramento fieret. Quantum autem ad secundum, scilicet, si hoc attentatum fuerit, an sit firmum, & ratum apud Deum, idest, an sint uerè consecratæ, uertitur in dubium; Vnde quidam dixerunt; Sacerdotem non posse totum panem, qui est in foro, & uinum, quod est in cellario, consecrare, uel simile quid facere. Sed D. T. q. 74 art. 2 contrarium tenet. Probat hoc duabus rationibus. Prima est: Magnum, & paruum opponuntur relatiuè: itaque eadem est utriusque ratio, sed quantacunque materia minima cum sit, dummodò sensibus subiecta sit, & substantia panis, & uini in ea conseruetur, consecrari potest; quia non datur ratio in contrarium; ergo quantumcunque magna erit, consecrabilis est: Secundò. In omnibus rebus materiam habentibus, ratio magnitudinis, & paruitatis sumenda est in ordine ad finem, puta materia serræ est ferrum, quod tantum esse debet, quantum dicta serra erit idonea ad secandum: sed finis ultimus huius Sacramenti est usus fidelium: ergò tanta esse potest materia consecrata, quantus est numerus fidelium, qui communicandi sunt, sed non potest dici, quòd sit tantus, quantus est præsens sacrificio: sequeretur enim, quòd Parochus non posset consecrare plures particulas, quam sunt sui parochiani, uel non posset reseruare aliquas consecratas: ergo numerus fidelium absolutè considerari debet, quocunque enim numero dato, adhuc alius, & alius dari potest. Itaque cum numerus fidelium sit indeterminatus, consequens est, ut quantitas materiæ consecrandæ indeterminata esse possit, & non ut prima opinio dicit. Ex

hoc

hoc ultimo infero: cum numerus indeterminatus communicandorum sit incertus: incertum est etiam, quantum de pane confici possit. Ideo ulterius inquirendum est, an detur terminus aliquo modo in quantitate materiæ? Et quia huius quæstionis dilucidatio, dependet ab alia quæstione, ideo

Quæritur quartò, an oporteat, ut materia sit præsens coram Sacerdote, dum consecratur? Ioannes Maironis; dist. 11. quæst. 2. art. 2. ait, non opus est, ut materia consecranda sit presens, coram oculis Sacerdotis; sed ipse potest consecrare hostiam, quam a tergo habet, uel quæ trans parietem manet, quòd hac sola ratione probat. Sacerdos potest consecrare hostiam occultam sub corporalibus positam, & uinum in calice cooperto, quamuis talia non uideat. Item si aceruum hostiarum consecraret, consecratio perueniret usque ad illam, quæ subtus aliis latet; ergo eadem ratione, consecratio peruenire potest vsque ad illas, quas propter absentiam non uidet. Et quamuis ratio adducta sit uera, non tamen inde sequitur, quod probare intendit; nam etsi non requiratur vt videatur, requiritur tamen, ut sit presens. Et ideo melius dicitur cum Richardo, & aliis, dist. 10. art. 7. q. 1. s. quòd in consecratione requiritur præsentia materiæ: aliàs sequeretur, quòd presbyter existens in campis, transubstantiare posset omnes hostias, quæ sunt in Ecclesia; quod est impossibile, & irrationabile dictum. D. Th. etiam in 4. Sentent. dist. 11. q. 2. art. 1. quæstiuncula 3. quem sequitur Sotus in 4. dist. 9. q. 1. art. 2. dicit, materiam consecrandam oportere esse præsentem coram Sacerdote: aliàs forma consecrationis esset falsa. Probatur sequela: Illud pronomen demonstratiuum (Hoc) non est intelligendum more Dialectico, s. secundum imaginationem tantum; sed more Physico ad sensum; quia ordinatur ad praxim; ergo demonstrare debet, quod præsens est non absens. Et confirmatur: nam Ecclesia nunquam in usu habuit in absentia materiam consecrare. Hinc ad tertiam quæstionem respondetur. Tantum de pane, & uino Sacerdotem consecrare posse, quantum intendit consecrare, modo totum illud præsens sit coram ipso. 16 *Dubium de præsentia materia consecranda.*

Sed difficultas est, quanta distantia requiratur ad iudicandum, materiam esse præsentem? Respondetur, quanta arbitrio humano iudicari potest, per illud pronomen (Hoc) ut scilicet demonstrari posit, dicendo, hoc est. Ex his, quæ dicta sunt, habenda est hæc ratio, s. quòd consecratio quandoque erit certa, quandoque nulla, & quandoque dubia. Certa tunc erit, quando quis hostiam consecrabit distantem infrà decem passus; infrà quam distantiam commodè uideri posit: quod intellige, parum plus, uel minus, & non indiuisibiliter. Et consequenter dici posset ad dubium de quantitate; omnes panes, quos Sacerdos infrà latitudinem decem passuũ præsentes haberet, consecrare posse. Consecratio tunc esset nulla, quando quis consecrare intenderet materiam distantem ad triginta passus; in hac enim distantia nemo iudicabit rem esse præsentem, cum nullatenus uideri queat. Et consequenter contra quosdam dicitur; quod Sacerdos manens in Ecclesia, non posset consecrare panes, qui sunt in foro, uel in Ciuitate, uel in loco simili. Dubia consecratio tunc esset, quando materia consecrabilis distaret uiginti passus, uel circa; in qua distantia uix uideri apta esset, in quo casu periculosum esset hæc attentare. Verum, quando sumus in dubio, reiteranda est consecratio. Dico (uideri apta esset) non enim opus est ut actualiter uideatur: potest enim hostia consecrari, dum manet latens super altare in bussula, uel sub mappa, uel corporali, uel intra missale, & uinum intra urceolum, uel calice cooperto, & similibus, modo intentio feratur ad illa. quod probatur: Dicit. n. Sotus, quo suprà; se vidisse quendam Episcopum cæcum celebrasse Diuina, quod faciebat dispensatione Summi Pontificis: ergo non est necessarium, ut actualiter uideatur, modo sit præsens; sed intelligitur, ut uideri

possit de more, hoc est sit in loco tam uicino, ut ratione distantiæ sit apta uideri, & in tali loco, ut more humano præsens intelligatur. Hinc sequitur Sacerdotem posse consecrare totum dolium uini; & cophinos plenos pane, quæ sibi in præsentia fuerint. Item sequitur, non posse consecrare hostiam, quam à tergo habet, uel quæ trans parietem manet: quia huiusmodi, more humano non intelliguntur præsentia. Confirmantur prædicta auctoritate Ecclesiæ præcipientis, ut ordinati, simul cum Episcopo ordinante consecrent, cum sint genuflexi in terra aliquantulum longe ab altari, non uidentes hostiam, nec calicem, sed tantum ferentes intentionem consecrandi ad altare.

Et quamuis tam magnam quantitatem consecrare ad malum finem, si quis attentauerit, esset magna irreuerentia, & irrisio Religionis, contra intentionem Christi, qui talem potestatem Sacerdotibus dedit, ad ædificationem, & non ad destructionem: tamen quia potestas Ordinis est character indelebilis, impediri non potest, propter quemcunque finem id fiat. Itaque sicut in copula carnali, quantumcunque enormi, & scandalosa fuerit, si generaretur embrio, Deus infunderet animam; ita quocunque fine dicantur illa uerba consecrationis super debita materia, cum intentione consecrandi, sequeretur effectus consecrationis. Peccaret quidem quam grauissimè talia perpetrans, & acerbissimè puniretur. Hæc autem omnia, circa materiam huius Sacramenti, dicta sint ad perfectionem doctrinæ, quia Doctores illa tangunt. Et quamuis existentibus in Ciuitatibus, & Oppidis magnis, non opus erat, tot dubia tangere; eo quod ibi omnia commodè inueniuntur, & ordinatè tractantur: tamen in Villis, Oppidulis, & locis ruralibus, vbi Sacerdotes laborant magna ignorantia, & quandoque ignauia, facilè prædicta accidere possunt, vt in variis locis, & diuersis temporibus accidisse legitur, ideo, &c.

De

De Transubstantiatione Corporis, & Sanguinis.

Dictum est, sequendo definitionem (sub speciebus, post consecrationẽ factam) nam in ultimo instanti prolationis uerborum formę cõsecrationis per Sacerdotẽ, fit conuersio totius substantiæ panis in Corpus, & uini in Sanguinem Christi: remanentibus accidentibus panis & uini sine subiecto, uirtute Diuina. Itaque ibi non est amplius intelligẽdum esse panem, nec vinum, sed Corpus, & Sanguinẽ Christi, ut dictum est. 27

Fuit autem conueniens, ut remanerent species panis, & uini. Primò propter significationem quam repræsentant, ut dictum est suprà, scilicet, nutritionem spiritualem, per nutrimenta corporalia. Secundò, cum proponatur nobis, manducare carnem, & bibere sanguinem Christi, horribile uideretur hominibus, illa sumere sub proprijs accidentibus, non enim consuetum est hominibus, carnes humanas cõmedere, & ideò prouidentia Diuina factum fuit, ut sumeretur sub alienis speciebus: & quibus conuenientius, quam panis, & uini, quæ vsui humano sunt frequentissima? Tertiò, si Corpus, & Sanguis Christi sub propriis accidentibus sumerentur, Infideles irriderent Christianos, dicendo, eos habere pro religione, carnes humanas comedere: quod omnibus nationibus apparet horribile. Et nota, quod dixi (in vltimo instanti uerborum) hæc enim conuersio fit in instanti, tum, ratione Corporis Christi, ad quod conuersio terminatur: non enim suscipit magis, & minus, ut tale esse paulatim acquireret: tũ etiam, quia ibi non adest aliquod subiectum, quod disponeretur in tempore ad recipiendum, ut infrà uidebimus: tum denique, quia hæc conuersio fit uirtute Diuina, quæ est infinita. Dixi secundò (fit conuersio totius substantiæ panis in corpus, & uini in sanguinem Christi) ipsa enim conuersio est factiua præsentiæ corporis Christi sub dictis speciebus: & quod dico de corpore, intelligendum est etiam de sanguine. Probatur hoc per dicta Sanctorum, quia ad uerificandum ueritatem existentiæ Christi in Sacramento, non per aliud, quam per conuersionem, illam declarare laborauerunt, ut Ambrosius præcisè facit, in lib. de his, qui ministerio initiantur, & habetur de Cõsecrat. dist. 2. Can. Reuera. 28

Conuenientia quare Corpus & Sanguis Christi maneat velatum sub accidentibus panis & uini.

Hæc autem conuersio se habet respectu corporis Christi, sicut fieri, ad factum esse: non tamen ad similitudinem rerum naturalium, seu supranaturalium communium: est enim inter opera supernaturalia singularis, & mirabilis, ut refert Ambrosius in libro de Sacramentis, & habetur Can. Panis, e. d. dist. 3. Quod pręuidens in spiritu Propheta dicit: Memoriam fecit mirabilium suorum. Hoc autem probatur. Et primò per terminos Philosophię, Philosophi enim omnem conuersionem uocant, aut accidentalem, aut substantialem. Accidentalis est, dum eodem subiecto aut remanente sub utroque termino, s. à quo, & ad quem, mutatio fit in accidentibus tantum: puta, ex calido fit frigidum, ex albo fit nigrum, & similia: sed in hoc Sacramento contrarium fit, mutatur enim substantia panis in substantiam Corporis Christi, remanentibus accidentibus panis eisdem in vtroque termino, vt dictum est: Vnde meritò memoriam fecit mirabilium suorum, non est igitur mutatio, seu conuersio accidentalis. 29

Conuersio accidentalis quid sit.

Conuersio substantialis apud Philosophos, aut est generatio, aut mixtio: & hęc uel perfecta, uel imperfecta, aut est nutritio. Generatio est transmutatio unis substantiæ in alteram, remanente eadē materia, in utroque extremo: puta, dum ex aere fit aqua: materia, quæ erat sub forma aeris, per generationem aquæ, fit sub forma aquæ. Et quamuis Arist. 1. de Generatione, dicat: Generatio est mutatio totius in totum, hoc est, totus aer corrumpitur, & tota aqua generatur: hoc tamen intelligitur, quo ad integritatem, idest totus aer integrè conuertitur in aquam; non autem intelligitur, quo ad totalitem mixti, scilicet quidquid est aeris, conuertitur in aquam: quia materia defert utramque transmutationem, idest quæ erat sub forma aeris, efficitur sub forma aquę, ut dictum est. Sed in hoc Sacramento non est ita: non enim materia, quæ erat sub forma panis, facta consecratione; remanet sub forma Corporis Christi: sed per conuersionem, non solum formæ panis transit in formam Corporis Christi, sed etiam materia panis in materiam Corporis Christi. Sed hic quæritur, forma panis in quam formam transeat? Secundum tenentes pluralitatem formarum, dicitur, quod transit in formam mixtionis, quæ ponit corpus in ultima dispositione: pro introductione animæ. Secundum autem negantes pluralitatem formarum, transit in animam: secundum tamen illam rationem, qua gerit uicem formę mixtionis. Hoc autem fit uirtute supranaturali Dei, qui, cum sit infinitæ uirtutis, eius actio se extendit ad totum ens, & ideo potest quidquid vult. Agens autem naturale, cum sit limitatæ uirtutis, & non possit agere, nisi uirtute suæ formæ, quæ se extendit ad unum determinatum, agit solum circa mutationem formæ.

Dubium de transitu formæ.

30

Nec conuersio ista dici potest mixtio: quia non imperfecta, quę fit per iuxtapositionem partium ad partes: nam hoc modo panis remaneret in Sacramēto secundum propriam substantiam: quod est contra ueritatem huius Sacramenti: forma enim, quæ dicit: Hoc est Corpus meum, esset falsa. Esset quoque contra ueritatem huius Sacramenti, ex eo, quod ibi odoraretur substantia panis simul cum Corpore CHRISTI. Nec dici potest mixtio perfecta: in qua per mixtionem corruptiuam mixtibilium resultat tertium; tunc enim in Sacramento non esset panis, nec Christus, sed tertia entitas. Nec dici potest conuersio hæc, ut sit nutritio; quia nutrimentum mutatur in substantiam nutriti per corruptionem propriæ formæ, cui succedit altera: unde sequitur Generatio, ut dictum est prius. Præterea, quia nutrimentum facit, ut nutritus per nutritionem augeatur, sequeretur quod per tot consecrationes, Corpus CHRISTI reciperet incrementum, quod est falsum.

Mixtio imperfecta.

Mixtio perfecta.

Nutritio.

31 Secundò probatur, conuersionem istam esse opus singulare, per terminos Theologiæ: Theologi enim, quando fit mutatio ex non esse omninò, ad esse nouum, uocant creationem; & econtra, quando fit mutatio ex esse ad non esse simpliciter, uocant annihilationem: quæ duæ mutationes quodammodo conuersiones dici possunt. Sed hæc conuersio nulla istarum est; non creatio; quia omnes Sancti Patres, & Canones dicunt, ex pane fieri Corpus CHRISTI, & non ex nihilo. Nec est annihilatio, quia in hac conuersione Sanctorum Patrum auctoritates ostendunt panem non annihilari: quibus concordat Doctorum sanior, & maior pars: sed asserunt substantiam panis in substantiam Corporis CHRISTI conuerti. Quę conuersio in Sacro Concilio Lateranensi sub Innocentio IIII. Appellata fuit Transubstantiatio. & ita in Concilio Trid. Sess. 13. confirmatum fuit. Nam si Generatio natu-

Creatio.

Annihilatio.

Transubstantiatio.

ralis,

ralis, eo quod una forma succedit alteri, rectè transformatio dici potest, hæc conuersio; ubi substantia indiuidua, quæ secundum Aristot. in Prædicamentis, dicitur propriè, & maximè substantia; secundum totum esse, scilicet formale, & materiale, transit in totum esse alterius substantiæ, hoc est, hic panis particularis, transit in substantiam Corporis Christi: sequitur, ut propriissimè transsubstantiatio dicatur; Quæ transsubstantiatio est nouus, inusitatus, singularis, & mirabilis modus conuersionis, ut merito Propheta dicat: Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors, & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.

Et quidem hanc ueritatem nouam, & mirabilem confiteri, quantum ad esse, & quantum ad nomen, scilicet, quòd ex pane fiat Corpus Christi, & quòd hæc mutatio uocetur transsubstantiatio, omnes conueniunt: sed quantum ad modum, scilicet, quomodo fiat, aliqui discrepant. Durandus in quarto, distinct. 11. quæstione tertia, dicit, conuersionem hanc fieri ad instar generationis, scilicet per consecrationem excluditur forma panis à materia, cui succedit anima Christi, informans illam. Et quia hæc species mutationis, non potest dici transsubstantiatio; sed potius transformatio, ut dictum est; quia non mutatur tota substantia, ut Patres, & Can. intelligunt; ipsius opinio non est audienda. Gulielmus Occham, & Scotus, distinct. undecima, & Gabriel Biel, in Canon. Missæ Lect. 40. aliter sentiunt, dicunt enim, conuersionem esse quidem mutationem totius substantiæ in totam substantiam, sed secundum successionem tantum unius ad alterum. Pro hac opinione ponuntur plura fundamentà. Primum fundamentum est. Deus potest facere, ut idem corpus numero sit simul in diuersis locis, modo naturali, id est quantitatiuè, & circumscriptiuè. Probat hoc Scotus distinctio. 10. hoc modo: Omne illud, ad quod non sequitur necessariò contradictio, possibile est apud Deum, sed ponere idem corpus numero in diuersis locis, non est contradictio: ergo est possibile. Probatur minor, cum enim dico idem corpus esse in diuersis locis, nil aliud dico, super hoc corpus, nisi quendam respectum extrinsecus aduenientem, fundatum in uno quanto circumscribente, ad aliud quantum circumscribens, hic autem respectus, quòd plurificetur super eodem fundamento ad diuersos terminos, non includit contradictionem: ergò, &c. Probatur: nam si respectus intrinsecus, qui minus uidetur plurificabilis, potest plurificari ad diuersos terminos, manente eodem fundamento: puta super eadem albedine possunt fundari duæ similitudines ad diuersos terminos, multo magis respectus extrinseci multiplicari possunt. Secundò, si Deus potest facere, prout facit, ut Corpus Christi sit in diuersis locis Sacramentaliter, ubi requiruntur plura miracula, multo magis facere potest, ut sit in pluribus locis, modo naturali, ubi non requiruntur tot miracula. Itaque si corpus remanet in eodem Vbi, in quo prius erat, potest acquirere nouum Vbi, unica mutatione, uel duabus mutationibus: Vnde potest esse motus acquisitiuus noui Vbi, sine deperditione alterius Vbi. Et si quęris, quis est terminus à quo istius motus, si per motum non deserit primum locum? Dicitur, quòd est priuatio illius Vbi, quod acquiritur per motum; mutatur enim tale corpus à non esse, in tali Vbi, ad esse dicto Vbi: illa enim priuatio iam non manet cum termino ad quem, hæc autem acquisitio noui Vbi, ut dictum est, mutatio localis dici potest; per quam acquiritur nouus locus; uel alia mutatio, cui non est nomen impositum, quæ non fuit cognita ab Aristot. & ideò non potest dici propriè motus localis, de cuius ratione est, ut sit successiuus, quem nouit Aristot. Et confirmatur hæc fundamenti positio;

Transubstantiatio quō fiat diuersa opiniones.

Durandus.

Confutatio.

Occham.

Scotus.

32

Primum fundamentū Scoti.

dum enim Christus apparuit Petro Romæ extra portam, dum mortem fugeret, cui ipse Petrus dixit: Domine, quo vadis? & Christus respondit: Iterum Romam crucifigi, non est imaginandum, tunc cælum reliquisse, & beatos spiritus, & animas, quæ in cælo sunt, ac etiam oculos corporum glorificatorum, qui post resurrectionem CHRISTI sunt resuscitati, sui corporis iucundissima uisione fuisse priuatos. Præterea, legitur in vita, seu legenda Sancti Martini Episcopi; quod tempore, quo ipse mortuus fuit in Vico Candacensi suæ Diœcesis, Ambrosius Sanctus qui erat Mediolani, dum ad altare staret, ab arctiori somno per tres horas correptus fuit: postea excitatus, dixit: scitote, fratrem meum Martinum exisse de corpore, meque eius funeri piam operam dedisse. Nisi enim opus funeris vera, & reali præsentia perfecisset, somnium recitasset, & consequenter se, & discipulos, quibus loquebatur, decepisset; de somno mentionem non faciendo: ergo fatendum est, ibi fuisse cum reali præsentia, non relinquendo primum locum, cum sit possibile apud Deum.

Notandum.

2. Fundamentum.

Secundum fundamentum est. De ratione transubstantiationis est, ut una substantia succedat alteri, idest ut ad desitionem simpliciter, & in se unius substantiæ, succedat alia substantia: quæ terminet illam transubstantiationem, per nouum Vbi acquisitum. Verum inter Occham, & Scotum est differentia, Occham enim vult, ut præsentia localis illius substantiæ, quæ succedit alteri substantiæ desinenti, sit de necessitate transubstantiationis; nisi enim substantia terminans hanc conuersionem, per propriam præsentiam succedat eidem loco, à quo altera substantia recedit: non diceretur uera transubstantiatio. Scotus uerò dicit, quòd talis præsentia non est de ratione transubstantiationis: posset enim Deus facere, ut Corpus Christi præsens sit accidentibus panis, sine desitione substantiæ panis: itaque panis maneret cum Corpore Christi; & postea facere, ut panis desineret esse: quamuis de facto non ita fiat. Posset etiam ad desitionem panis facere, ut Corpus Christi conseruaretur in cælo, sine acquisitione noui Vbi; sed tantum in ordine ad desitionem panis aliàs non conseruaturum, sicut posset etiam facere, ut ad desitionem alicuius substantiæ, secundum totum esse sui, producere aliam substantiam, secundum totum esse in alio loco: & hoc modo una diceretur succedere alteri: & in omnibus istis saluatur ratio transubstantiationis: quoniam omnia hæc fieri, non implicant contradictionem. Probatur, quòd sufficiat successio substantiæ ad substantiam, nam sicut in generatione, ubi una forma non fit propriè ex alia, sed una succedit alteri in eadem materia, dicitur transformatio; ita ad desitionem alicuius totius substantiæ, successio alterius substantiæ secundum totum suum esse, siue illa, quę succedit, de nouo producatur, siue in esse antiquo conseruetur, in ordine ad illam desinentem esse, transubstantiatio dici potest.

3. Fundamentum.

Tertium fundamentum est. In omni reali mutatione, ubi uera actio actiua interuenit, exigitur, ut terminus ad quem dictæ mutationis, sit aliquod nouum acquisitum, per talem mutationem terminans illam. Itaque si mutatio est localis, terminus ad quem, erit acquisitio noui Vbi. Si autem est accidentalis, circa qualitates subiecti, terminus erit illud esse accidentale: puta, si mutatur subiectum de nigredine in albedinem, terminus ad quem non erit subiectum secundum esse in se, sed secundum esse album. Si uerò mutatio est substantialis, terminus ad quem, erit nouum esse in substantia, uel secundum se totum, si non præexistebat, vel secundum quantitatem, idest augmentum, & diminutionem, si substantia terminans dictam mutationem præ-

etat.

erat. Aliam speciem mutationis non nouit Aristot. 4. Physicorum neque alius post eum.

His stantibus, dicitur, quod Conuersio panis in Corpus Christi est transubstantiatio, patet: quia tota substantia panis desinit esse, & tota substantia Corporis Christi succedit speciebus panis, per secundum fundamentum. Sed ista non potest dici conuersio productiua noui Esse, quia Corpus Christi, quod terminat dictam mutationem, præexistit: neque dici potest, & productiua Esse quanti; quia per hanc mutationem Corpus Christi non augetur, nec diminuitur, sed semper perseuerat eodem modo, per tot consecrationes: nec etiam dicenda est mutatio accidentalis, quia corpus Christi per dictã mutationem, nullam qualitatem acquirit: Relinquitur ergo, ut sit transubstantiatio adductiua noui Vbi; quia per ipsam adducitur terminus, ut sit hic, scilicet, in loco specierum panis, sit carnis inhærentia, ubi panis desinit esse: quod patet per sufficientem diuisionem tertij fundamenti. 53 *Declaratio opinionis.*

Et hæc præsentialitas loci aquiritur in Sacramento, non deserendo locum in cælo, per primum fundamentum.

Et si instetur, quod ista ultimo mutatio non potest dici transubstantiatio: quia terminus eius non est ad substantiam, sub ratione substantiæ; sed ad ipsã ut præsens; quę præsentia accidit substantiæ, sola enim illa præsentia acquiritur per istam mutationem. Respondetur, quod substantia est terminus ipsius transubstantionis; quia ipsa substantia succedit substantiæ, non tamen habet esse substantiale nouum, sed præsentiam nouam; quod sufficit, ut patet per secundum fundamentum.

Et si quęritur, quid fiat de substãtia panis, si nõ conuertitur propriè in substantiam Corporis Christi, sed desinit esse ad nouam præsentiam ipsius? Dicitur, quod panis ex vi transubstantiationis, primò desinit esse hic, scilicet sub speciebus per mutationem deperditiuam præsentia; hinc sequitur alia deperditiua, qua desinit esse simpliciter per annihilationem.

Sed contra, ergo hic sunt duæ mutationes, & non vna, scilicet altera, qua desinit esse hic; altera, qua desinit esse simpliciter. Secundò, per hanc positionem, panis annihilatur contra saniorem, immò communem opinionem: & quod ista opinio in recto negat de annihilatione, in obliquo affirmat. *Replica.*

Ad primum dicitur, quòd sunt duæ mutationes, ut dictum est: sed est una vnitate conuersionis panis in corpus Christi, quod sufficit. Ad secundum dicitur quòd annihilatio dupliciter accipi potest. Vno modo, ut dicit desitionem rei secundum se, & quodlibet sui, per quam reditur in purum nihil, sicut purum nihil fuit ante mundi constitutionem, & ultra hoc, ad eius desitionẽ nihil succedit. Alio modo accipitur annihilatio, ut dicat desitionẽ totius esse, vt suprà, sed addit hoc scilicet, quod ad non esse ipsius succedit aliquod positiuũ, quod si non succederet, illud non annihilaretur. *Responsio.*

Hoc stante, ad punctum argumenti dico. Accipiendo annihilationem primo modo, scilicet cũ negatione successionis alterius substantiæ; dic, quod nõ intelligo panem annihilari; nam hunc primum negant Doctores, dum dicunt; quod panis non annihilatur, sed intelligendo annihilationem secundo modo, panis verè annihilatur, quod non est inconueniens; licet enim secundum se totum desinat, succedit tamen ad eius desitionem Corpus Christi, ut dictum est, ad cuius successionem ordinatur tota ista desitio panis.

Sed contra, desitio panis (vt dictum est) mutatio deperditiua est, realiter separabilis à successione Corporis Christi, vnde siue succedat Corpus Christi ad *Replica.*

desitionem

desitionem panis, siue non succedat, non per hoc variatur annihilatio panis; sed si Corpus Christi non succederet, panis simpliciter annihilaretur; ergo etiã si succedat, adhuc eadem annihilatio est. Respondetur, verum est, quod desitio panis est eadem; siue succedat Corpus Christi, siue non succedat; tamen per hoc non sortitur eandem denominationem, nam annihilatio simpliciter, connotat priuationem successionis: & quia in hac desitione aliquid succedit, ideò non dicitur annihilatio simpliciter.

Responsio.

Replica primæ rationis.

Tertiò principaliter arguitur contra prædictam positionem: Si transubstantiatio ista esset adductiua Corporis Christi in locum specierum, vnde panis desinit esse, & non conuersiua propriè, sequeretur, quòd Christus ex ui consecrationis localiter moueretur ad locum specierum, & consequenter descenderet de Cælo per medios orbes, & sphæras Elementales, contra Ioannem Damascenum, dicentem: Non quoniam illud Corpus, quod assumptum est, descendat de Cælo: sed quoniam ipse panis, & uinum transit in Corpus, & Sanguinem Christi, ex vi uerborum consecrationis. Ergò est conuersiua, & non adductiua. Præterea, si hoc esset uerũ, sequeretur, ꝙ Corpus Christi esset in cõtinuo motu, cum innumera sint altaria, in quibus fit consecratio, & moueretur simul ad contrarias positionum differentias, scilicet, ad Orientem, & Occidentem, pro uarietate situs altarium: quod dicere, est ridiculum. Ad hoc respondetur, quòd de locali mutatione dupliciter possumus loqui, uel propriè, ut loquitur Aristoteles quinto Physicorum, scilicet, motus est de subiecto in subiectum, &c. Vbi ambo termini sunt positiui, & tunc dico, quòd Corpus Christi non potest dici, quòd moueatur localiter: quia ut sic, motus connotat successionem: hæc autem, de qua loquimur, non est mutatio successiua, sed istantanea, & tota simul. Vel possumus loqui impropriè, ut dicat mutationem quandam, per quam vel acquiritur nouum Vbi, sine deperditione antiqui, uel deperditur habitum, sine acquisitione noui. Et hoc modo dici potest, quòd Christus mutatur à non esse in Sacramento, ad esse in Sacramento; cuius mutationis terminus à quo, est priuatio illiusmet Vbi, quod acquiritur; & per hoc dici potest mutatio localis, uel alia, cui non est nomen impositum. Nec mirum, si nomen proprium non habet; nam cum sit supranaturalis, facta sola virtute Dei, illam Philosophus non cognouit. Et ideò dicitur, quòd non descendit de Cęlo, primum locum deserendo.

Secunda ratio.

Responsio.

Replica.

Responsio.

Contra hęc instatur adhuc: Cum Corpus Christi ante consecrationem sit in Cælo, non uidetur intelligibile, ut facta consecratione, veniat ad locum specierum, sine pertransitione medij, absque hoc, quòd aliquid conuertatur in ipsum: ergò potius dicendum est, mutationem ipsam esse conuersiuam Corporis Christi, per quam fit ibi præsens, & non adductiuam aliundè. Responsio huius argumenti dependet à primo fundamento posito pro hac opinione, scilicet, ꝙ Deus potest quodcunque corpus existens in certo loco, ponere in alio loco, sine quòd deserat priorem locum, aut quòd mutetur per medium: nam sicut potest rem, quæ non erat omninò, facere, ut sit de nouo, & eam producere in loco, quo uoluerit; ita quoque facere potest, ut corpus existens in aliquo loco, sit, & maneat in alio loco, ubi uoluerit, absque hoc, ut moueatur de proprio loco: nec secundum est difficilius primo, quia non implicant contradictionem, vt probatum est supra: eadem enim potentia, qua unum corpus ponere potest in diuersis locis simul, potest etiam ponere in locum, quo uoluerit immediatè, & siue motu successiuo, siue aliquid cõuertatur in ipsum, ut petit instantia, siue non, ut non ponimus; conuersio namq; non est ratio formalis existendi Corporis Christi in loco specierũ panis conuersi: posset enim Deus ponere

nere Corpus Christi in loco specierum absque conuersione panis, aut eius desitione: potuisset etiam facere hoc Sacramentum antequam Christus incarnaretur in uentre Beatę Marię Virginis; nam ratio existendi modo naturali, non est ratio existendi modo Sacramentali. Hæc omnia possibilia sunt apud Deum.

Sententia auctoris. Hæc opinio habet multum de probabilitate: & quamuis apud me, omnia ista sint Deo possibilia, & inde sequi posse positionem istam; tamen propter auctoritates Sanctorum circa intellectum transsubstantionis ab Ecclesia positę non credo, quod de facto ita sit, ut dicta opinio sentit: ideo adduco aliam opinionem D.T. quam sequitur tota eius schola; quæ dicit, transsubstantiationē non esse adductiuam, sed propriè conuersiuam substantię in substantiam: pro qua opinoine ponuntur hęc fundamenta. *D. Thom.*

Primum fundamentū Diui Thom. Primum fundamentum est: De ratione existentiæ corporis Christi in Sacramento, est conuersio; aliàs non posset esse in cęlo, & in altari; non enim cōcedunt, aliquod corpus esse posse simul in diuersis locis, ut ponit alia opinio; & quod concedunt de dono Sacramentali, negant de modo naturali.

Contra primum fundamentum. Ego autem non concurro cum eis, circa hoc primum fundamentum; quia iam probatum est oppositum: imò potius declinarem ad oppositam opinionem, ratione primi fundamenti eorum, si alia ratio nō me moueret; quia illorum fundamētum uidetur magis uerum. Et credo, quòd Thomistę neque concederent, idem corpus esse posse simul in pluribus locis Sacramentaliter, nisi fides Catholica id prædicaret: quod est magis difficile, quam primum; nam ad esse Sacramentale in pluribus locis, requiruntur duo miracula, unum scilicet, facere idem corpus simul in pluribus locis, alterum est, separare idem corpus à suo modo naturali, scilicet dimensiuo: sed ad esse naturale in pluribus locis, vnum miraculum requiritur, scilicet, causare suam pręsentiam in pluribus locis.

Secūdum fundamentum. Secundum fundamentū est. De ratione transsubstantiationis est, ut nō solū vtrique termini sint substantię, scilicet, vt vna substantia alteri succedat: sed requiritur etiam mutua substantiarum conuertibilitas ad inuicem, unica tamen transmutatione, & hoc infinita virtute Dei, qui habet plenam potestatē circa omne ens, aliàs non saluarentur auctoritates Sanctorum, qui apertè dicunt, panem mutari in substantiā Corporis Christi. Ait enim Vgo, lib. 2. de Sacramentis. Panem, & uinum nō annihilari in Sacramento, sed conuerti in Corpus, & Sanguinem Christi. Item Ambrosius lib. 4. de Sacramentis, & habetur de Consecrat. dist. 2. Can. Panis. Si ergo tanta uis est in sermone Domini Iesu, ut incipiant esse, quę non erant, quanto magis operatorius est, ut quæ erant, in aliud commutentur; Et sic quod erat panis ante consecrationem, iam Corpus Christi est post consecrationem; quia sermo Domini creaturam mutat. Quam mutationē uelle intelligere, quo ad locum tātum, scilicet, ut una substantia alteri succedat in eodem loco, ut opinio secunda dicit, & non ut conuertatur in aliam, est, uerba, & sensum uerborum extorquere: & ideò ut clarius Ambrosius loqueretur, subiūgit: Et sic pane fit Corpus Christi. Itaque quod ex pane fiat Corpus sine conuertibilitate panis in Corpus, sed per solam successionem localem, nō est intelligibile. Item Eusebius Emissenus, & habetur Can. Quia, ead. dist. Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum, & infrà; Nam inuisibilis Sacerdos uisibiles creaturas in substantiā Corporis, & Sāguinis sui, verbo suo, secreta potestate conuertit. Nescio, quibus uerbis clarioribus dici potest, hanc transsubstantiationem intelligi debere, vt cōuersiuam, & non adductiuam. His & alijs auctoritatibus Sanctorum patrum moueor ad dicendum,

dum fundamentum hoc esse uerius, altero secundę opinionis & consequenter id, quod sequitur ex eo.

Tertium fundamentum.

Tertium fundamentum est, quod panis, dum per consecrationem desinit esse panis; non annihilatur: neque conuertitur in præcedentem materiam, ut omnes Doctores docent: Nec distinctio superius tacta, de annihilatione, habet hic locum; nam Doctores, dum disputant, an panis annihiletur, non intelligunt de annihilatione simpliciter, sed de annihilatione in ordine ad Corpus Christi, quod panis desitione succedit. Quod si non ita intelligeretur, ut patrum verba sonant, tenerem cum secunda opinione: sed quia non solum auctoritates Patrum, sed ratio conuincit, ut transubstantiatio hoc modo intelligatur ideo hæc opinio sequenda est; in qua tenetur substantiam panis conuerti in substantiam Corporis Christi cuius conuersionis causa est præsens in altari; & hoc de facto, & non de necessitate, ut dicit hæc tertia opinio: posset enim esse ibi per potentiam Diuinam, multis alijs modis, ut secunda opinio dicebat.

Contra distinctioné de annihilatione, secunda opinionis.

Infirmatio rationis secundæ opinionis, de noie transubstâtiatio. Probatur qd transubstantiatio non potest intelligi, ut dicit secũda opinio.

Neque per hoc sequitur, quod conuersio non sit ratio formalis existendi Corpus Christi in Sacramento, ut sic. Et quãdo dicitur ratio formalis existendi Corpus Christi in Sacramento, non est conuersio; quia ibi potest esse alijs modis supra declaratis? Respondeo, quòd hæc ratio procedit in agentibus determinatis ad unum, eo quod non possunt ad oppositum, non autem in Deo agente uoluntario, & infinito, potẽte facere opposita. Moueor ad hoc ad saluandum rationem transubstantiationis, ut Sacra Concilia determinauerunt, aliàs non saluaretur. Probo intentum. Omnis denominatio cuiuscunque transmutationis sumenda est à termino formali: hoc stante; ad illud est conuersio ista, tamquam ad terminum formalem, quod succedit ad panis desitionem; sed ad panis desitionem non succedit substantia Corporis Christi in ratione substantię per aduersarios, sed in ratione præsentiæ, ergo per eos pręsentia esset terminus formalis, & non substantia: Vnde potius dicenda esset transubicatio, quam transubstantiatio. Probatur: quia per talem mutationem substantia Corporis Christi ad desitionem panis nil aliud recipit, secundum istos, nisi nouum Vbi. Et quando Scotus dicit quod Deus potest facere, ut vna substantia per productionem in uno loco, succedat alteri substantiæ desinenti esse in alio loco, vel ad desitionem unius substantiæ, conseruare alteram præ existentem in ordine ad illam, aliàs non conseruaturus, & similia facere, & omnes istæ dicuntur transubstantiationes, quia in utroque termino ponitur substantia: Dico, quod hæc omnia facere potest: sed talis mutatio habet quid nominis transubstantiationis, & non quid rei: nam mutatio talis uerè potest uocari successio substantiæ ad substantiam, quia vna succedit alteri, per ordinationem agentis, non autem transubstantiatio; quia non fit uerè transitus substantiæ vnius ad alteram, quia una non conuertitur in alteram, ut deberet, per auctoritates allegatas.

Respondetur rationi Scoti.

Superest modo satisfacere illi rationi quam difficillimæ, quæ deducitur ab eorum tertio fundamento suprà posito, quæ fortè fuit causa, vt iam docti uiri sequerentur talem opinionem, scilicet: In omni reali mutatione, vbi interuenit vera actio actiua, exigitur, ut terminus ad quem dictę mutationis sit aliquid nouum acquisitum, per talem mutationem, terminans illam: Quod probat per omnes species motus, sed terminus istius transubstãtiationis est Corpus Christi præexistens: quod nihil noui acquirit in sua substantia, nisi nouam præsentiam: ergo non potest esse conuersiua, sed adductiua, vt suprà. Caiet. super D. Tho. 3. p. q. 75. art 4. nititur satisfacere huic, tali pacto: In omni reali, & substantiali mutatione, illudmet instans talis mutationis, quod est primũ esse termini

Responsio. Caietani.

ad quem, est etiam ultimum esse termini à quo; quia talis mutatio simul fit, & facta est. Ex hoc dicitur in proposito. Quando ex pane fit corpus Christi, terminus ad quem istius mutationis, non est corpus Christi absolutè, ut ratio illorũ probat, sed illud, quod erat panis, esse Corpus Christi iunctim sumpta: itaque actio transubstantiatiua uersatur inter panem: nam panis est terminus à quo incipit mutatio, & in panem terminatur: idest in illo instanti conuersionis panis in Corpus, illud, quod erat panis, habet rationem termini a quo: & rursum quod erat panis factum Corpus Christi, est terminus ad quem, & non Corpus Christi absolutè, ut positio contraria dicit. Et ita putat euadere difficultatem. Verum tali responsione non quiescit animus; nam istud instans, quod est terminus istius mutationis, quod dicit habere duplicem rationem termini, scilicet primum esse termini ad quem, & ultimum esse termini à quo, quæro, qua ratione terminet formaliter istam actionem realem? non sub illa, qua habet vltimum esse termini à quo, ita quod dicatur, panis terminat illam: quia ut sic, talis actio dicitur destructiua termini a quo: unde hoc modo potius dicenda est non actio, cum per eam fiat deperditio, & non acquisitio. Et quia ista conuersio est actio proprie dicta, sequitur, ut sit inter terminos positiuos, ergò necesse est dicere, quod terminus ad quem istius actionis sit primum esse termini ad quem: hoc autem non potest esse, nisi corpus Christi simpliciter, quia nil aliud ibi succedit ad desitionem panis: itaque adhuc remanet difficultas. Vnde aliter responderi potest cum Richardo in 4. distinct. 1. art. 1. quæst. 5. scilicet, quod mutatio, de qua agitur, non est de genere naturalium, vt supra probatum est, neque supranaturalium rerum, ut creatio, & annihilatio, quia in his ex una parte tantum ponitur ens in actu: sed hæc esset inter terminos positiuos, scilicet inter panem actu existentem, & Corpus Christi præexistens, quæ potest dici media inter alias mutationes, quę assimilatur nutritioni, quã ad unum tantum, s. ut nutrimentum conuertitur in substantiam nutriti, quod præexistit, ita panis conuertitur in substantiam corporis Christi, quod præexistit: postpositis duobus, in quibus differt. Primum est, quod corpus nutritum, per nutrimentum augetur, sed Corpus Christi per hanc conuersionem non augetur, nec aliquid aliud noui acquirit, ut aliquod deperditum restauret, sed ita accidit ei, sicut fortè accidit, dum post resurrectionem comedit coram discipulis suis in confirmationem ueræ resurrectionis, vbi conuertit cibum in substantiam sui, nulla auctione facta in corpore, nec restauratione deperditi, quia nullo istorum indigebat. Secundum est: Nutrimentum, etsi desinat esse quantũ ad formã, manet tamen quantum ad materiam, quę utrique termino subest, sed in hac trasubstantiatione panis transmutatur, quo ad totum esse, ut dictum est.

Sed dices, non est intelligibile secundum Philosophiam, ut una substantia conuertatur in aliam propriè, & realiter, & illa nihil noui substãtialis, seu augmentum acquirat in se ipsa, dico, quòd ita est, & fateor, non esse intelligibile, secundum Philosophiam, ut etiam Magister Sent. fatetur, se non posse definire qualis sit ista conuersio, quia fit verbo cælesti, hoc est uirtute infinita Dei. Vnde inquit August. in libro Sententiarum Prosperi, si verò quęris modum, quo id fieri possit, breuiter respondeo: Misterium fidei credi salubriter potest, inuestigari salubriter non potest. Quod ergo Corpus Christi panis mutatione in id non augmentatur, nec Sanguis ex uini conuersione, eius uoluntati, & potentiæ adscribatur, qui idem corpus de Virgine eduxit, fit igitur substantia illa ista sine eius augmento: itaque in hac conuersione cædat natura miraculo, & intellectus quiescat, sicut in aliis Articulis fidei, qui etiam sunt intelligibiles. Pro quibus nota istam digressionem.

Confutatio.

Non rectè vt suprà.

Responsio auctoris.

In quo

34 In quolibet quattuor librorum Magistri Sententiarum, est una difficillima difficultas super omnes alias, quæ in illis tractantur, scilicet in primo est difficultas de Summa Trinitate, quomodo Deus sit trinus, & unus; in secundo de prædestinatione, in tertio de incarnatione, idest quomodo natura humana possit uniri naturę diuinæ in unitate suppositi, in quarto de transubstantiatione panis in corpus Christi: Et si aliæ tres difficultates sint intellectu difficillimæ, ista quarta est intelligibilis. Itaque sicut suprà naturam est, ut aliquod sit unum indiuiduum essentialiter, & habeat tres suppositalitates, ut in misterio Sanctiss. Trinitatis cernitur, ita in proposito. Quodlibet namque communicabile (si sequamur rationes naturales) uel est communicabile per identitaté: ita quòd illud, cui cômunicatur, sit ipsum: uel per informationem; ita quòd illud, cui communicatur sit ipso. Primo modo natura uniuersalis communicatur singulari: puta natura humana communicatur Petro, Ioanni, Andreæ, & similibus; quia omnes sunt homines. Secundo modo forma communicatur materiæ; quia materia est per formam. Quæcunque igitur natura uniuersalis, quantum est ex sui ratione, communicabilis utroque modo, scilicet ut quod, & ut quo: est enim communicabilis, ut quod pluribus singularibus, quorum quodlibet est ipsum; nam Petrus est homo per naturam humanam: & ita de aliis: itaque plurificatur ad plurificationem indiuiduorum. Est etiam communicabilis, ut quo, tamquam forma, qua singulare est ens indiuiuum, seu suppositum quidditatiuè: ut Petrus est homo quidditatiuè per formam humanam. Natura autem singularis, & indiuidua opposito modo se habet; est enim incommunicabilis, ut quod, & ut quo; non enim esse potest, (quo) respectu alterius; quia est subsistens, & consequenter non potest esse actus alicuius alterius subsistens: neque potest esse, (quod) quia non potest contrahi ad aliud singulare, cum ipsa sit etiam singularis. Hęc docet ratio naturalis in uniuersum. Sed quòd aliqua natura singularis, & indiuidua sine sui diuisione communicetur pluribus suppositis, trascendit terminos Philosophiæ: sic est in Sanctiss. Trinitate. Natura enim Diuina, cum sit singularis, & in se subsistens, habensque perfectam unitatem sine sui diuisione, communicatur tribus personis, quibus dat totale esse, ac diffinitè sustinere facit. Vnde fides Catholica prædicat, Deus est trinus, & unus. Dicitur, est unus Deus, quia significat naturam Diuinam singularem, & simplicissimam subsistentem. Dicitur, quod est trinus, quia, cum ipse eadem natura ita singularis communicetur tribus personis, ipsas personas distinctè significat. Deus namque cum sit nomen concretum, stat pro hoc Deo, indiuiduo naturæ Diuinæ, qui simul est terminus singularis naturæ Diuinæ, & communis tribus. Quæ omnia prædicta, cum impossibile sit inueniri in creaturis, sicut in Deo, sunt potius credenda, quàm rationibus naturalibus ostendenda. Sic dico in proposito de conuersione panis in corpus Christi, præexistentis, sine eius auctione: Et hęc, de difficultate primi libri.

Digreditur auctor ad confirmandũ prædicta, per subtilem philosophiam.

Nota aliam difficultatem tertij libri. In naturalibus, substantia dicitur de duobus tãtum, ut habetur quinto Metaph. scilicet de natura, quę dicitur secunda substantia, & de habente naturam, idest supposito, quod dicitur prima substantia particularis, & indiuidua, puta in rationali creatura humanitas est natura. Petrus est habens naturã humanam: Vnde dicitur hæc propositio, Petrus est homo. Hæc autem natura cum sit vniuersalis in se, non inuenitur per se subsistens, sed communicabilis existens pluribus, per ipsam communicationem, contrahitur ad esse particulare indiuiduare per principia indiuiduantia, quia contracta in indiuiduo, illud indiuiduum, cum per se subsistat, dicitur suppositum

positum habens naturam. Et quod in alijs primis substantijs dicitur suppositum, in rationali creatura dicitur persona. Vnde Boetius. Persona est rationalis creaturæ indiuidua substantia. In qua indiuidua natura, primo consideratur natura contracta ad illud esse singulare: in qua consideratione intelligitur sola natura, & sua singularitas; deinde in tali natura sic singularizata, consideratur aliud superueniens, per quod dicta natura constituitur in esse personali; & tunc natura singularis subsistit in sua personalitate: puta, hic homo singularis, scilicet Petrus habet humanitatem, quę humanitas subsistit in persona Petri separatim. Hæc autem personalitas, siue sit entitas positiua absoluta, siue sit negatio duplicis dependentiæ ad aliud, s. actualis, & actitudinalis, non curo pro nunc. Nota, quòd dixi (separatim) nam manus, & pes Petri, cum sint substantiæ, quamuis per se existere dicantur, ad differentiam accidentium, quæ tm̃ inhærent, non tñ separatim existunt, quia cum sint partes substantiæ existunt in toto, idest in corpore, cuius sunt partes: sed corpus qđ est tota substantia cõpleta, & perfecta, dicitur per se separatim existere. Itaque concludendo, omnis natura, siue fuerit rationalis, siue non; cum sit primo uniuersalis, & consequenter communicabilis, ut quod, & ut quo, ut dictũ est, non potest per se ipsam stare; sed necessariò requiritur, ut dependeat ad suum suppositum, uel personam: vnde suppositum, seu persona recipit prædicationem quidditatiuam suæ naturæ: dicendo, Petrus est homo quidditatiuè à sua humanitate. Sed quòd natura humana singularizata in illo beato uentre Mariæ Virginis, per opus, Spiritus sancti (quia, ut ait Ioan. Damascenus, & benè, Verbum Dei assumpsit naturam humanam in athomo, idest in indiuiduo) dum debuit personari in propria persona eiusdem naturæ, ut lex naturalis pręcipit, pręuenta fuerit à Diuina uirtute, à qua fuit personata in persona Verbi, idest Filij Dei, quę persona, est persona alterius naturę longè altioris, & inde prædicationem recipere, dicendo, hic homo est filius Dei; ratio humana non capit; in illo enim instanti, quo dependentia naturę humanę singularizata debuerat terminari ad personam suę naturę, & in illa subsistere, ut Philosophia docet: Verbum Diuinum dependentiam dictę naturæ humanę terminauit in propria sua persona, idest uniendo naturam humanam singularem, sine propria sua personalitate, cum sua natura, suppleuit uicem illius personę cum sua personalitate, qua illam personauit, & in se ipso subsistere fecit: ex quo facta est unio duarum naturarum, scilicet Diuinę, & humanæ in una persona, quę est Filij Dei, ut dictum est. Hinc communicatione idiomatum mirabiliter attribuitur illi naturæ humanæ, quæ sunt naturæ Diuinæ, & è contra; scilicet, Filius Dei naturalis natus est ex Maria Virgine; Crucifixus est, in Cruce, mortuus est, & similia. Ille homo Mariæ filius creauit cælos, & similia, quia natura Diuina est incarnata, hoc est carni personaliter vnita est: Filius Dei factus est homo, quia humanitatem in se personauit: caro est dedificata, non quia facta Deus, sed quia facta est caro Verbi Dei, per unionem in persona uerbi, ut dictum est. Quem effectũ ratio naturalis, non modo probare, immò nec capere ualet: est enim hæc vnio naturæ humanæ in persona Verbi, singularis, diuersa ab omni alia unione à Philosophis cognita. Et ideo non est mirum, quod à nobis assertum est suprà, scilicet, quod panis conuersio fiat in Corpus Christi præexistẽs, sine eius auctione, ut dictum est; quia opera infinitæ potentiæ Dei nõ possunt explicari, neque inuestigari à nobis, sed tantum credi; quia non est impossibile apud Deum omnę uerbũ. Et quamuis parti aduersæ, quæ dicta sunt satisfacere possint, tamen pro scholaribus, argumento posito suprà aliter responderi posset: erat enim argumentum; In

35 *Persona quid sit.*

tum; In omni reali actione, quæ propriè actio dici potest, terminus ad quem debet esse aliquod nouum, per ipsam actionem acquisitum: sed in hac conuersione terminus ad quem est corpus Christi præexistens, nihil noui acquirens per talem conuersionem; nisi nouum Vbi; ergo illa non est dicenda nisi adductiua, ut suprà dictum fuit. Ad hoc respondeo citrà præiudicium; per hanc conuersionem, Corpus Christi, ultra nouum Vbi, acquirere aliquid, qđ ante conuersionem non habebat. Pro quo nota (vt ait Caietan.q.76 artic. 1.) de conuersione panis in Corpus Christi posse nos loqui dupliciter, scilicet uel secundum esse simpliciter, & absolutum, uel secundum esse, ut Sacramentali: ideo dico ad argumentum, quamuis terminans hanc conuersionem sit idem Christus, qui manet in cęlo, quoad ueram entitatem; non tamen est idem omni modo, scilicet quo ad modum essendi; nam cum conuersio ista sit Sacramentalis, Corpus Christi terminat illam sub esse Sacramētali; qui modus est diuersus ab esse simpliciter naturali, quantum ad hoc scilicet, in cælo enim manet secundum esse naturæ, idest quantitatiuè, circumscriptiuè, & simili, sed in Sacramento manet quodam modo spirituali diffinitiuè, ineffabili & indicibilis, qui modus nouus acquiritur per conuersionem Sacramentalem. Et si quęris, ly. Sacramentalis, quid addit suprà conuersionem? Fateor non inuenisse adhuc, qui hoc declararet, cum multo tentauerim, nisi quòd Caietanus ait, scilicet addit aliquid nobis secundum se ignotum, cognitum autem vtcunque, per hoc, quòd est illatiuum huius ueritas, scilicet, Hoc est Corpus meum.

De modo existendi Christi in Sacramento.

Dubium. Quid intelligatur per corpus Christi. 36 Dictum est suprà, quòd tota substantia panis conuertitur in totam substātiam Corporis Christi; & tota substantia vini in eius Sanguinem. Quæritur modo ly. corpus, pro quo supponit, idest quid intelligimus propriè ibi, per corpus. Pro huius rei explicatione est aduertendum; quòd in Sacramento Eucharistiæ est totus Christus realiter, & veraciter qui natus est de Maria Virgine, passus, & sepultus est. Resurrexit, & ascendit in cęlum, & nunc sedet ad dexteram Dei patris, ut auctoritatibus Canonicis, & Sanctorum patrum comprobatur. Habetur enim de summa Trinitate, & Fide Catholica. Idem ipse Sacerdos, & Sacrificium Iesus Christus. Et Beatus Hieronymus ait, ut habetur de consec. dist.2.Can. Nec Moyses, dedit vobis panem verum, sed Dominus Iesus Christus, ipse conuiuium, & conuiua, ipse comedens, & qui comeditur. Idem dicunt August. & Ambrosius. Vnde sequitur, cum hoc nomen (Christus) nominet suppositum Verbi subsistens in duabus naturis, ut suprà explicauimus; quòd ibi sit humanitas, corpus, & anima, cum suis membris, & accidentibus, quæ sequuntur esse humanum: est ibi etiam Diuinitas, idest natura Diuina, & Verbum patris, quod sustentat illam humanitatem in sua persona.

37 Et quia Verbum, propter identitatem essentiæ, non separatur à Concistorio S.S. Trinitatis, sequitur, quòd sit ibi etiam Pater, & Spiritus sanctus (Hinc aduertant Parochi, qua reuerentia hoc dignissimum Sacramentum tractare debeant;

beant;quomodo custodire teneantur.ut etiam S.Concil.Tridentinum Sess.13. monet)Verum omnia ista nō eodem modo ibi esse, intelligunt Sancti patres; ut est forma uerborum Corporis, & Sanguinis deduxerunt. Nam etsi ex ui Sacramēti sint ibi omnia ista,idest,sola uerborum uis facit,ut ibi sint præsentia; tamen ex ui consecrationis, primò & per se est ibi id, in quod directè substantia panis, & uini conuertūtur; prout ex uerbi utriusque formę significatur; quæ sunt effectiua instrumētaliter æque in hoc,sicut in ceteris Sacramentis,ut in principio de Sacramentis in communi probatum est.Puta,per hoc, qđ dicitur.Hoc est Corpus meum;ex ui istorum uerborum, sub speciebus panis, est corpus primo,quod terminat panis conuersionem, per hoc, quod dicitur: Hic est Calix Sanguinis,meis ex ui istorum uerborū,sub speciebus uini est sanguis, terminans vna conuersione:reliqua uerò,quæ diximus, sunt in hoc Sacramento coniuncta Corpori, & Sanguini, ex naturali concomitātia; nō tamen eodē ordine,sed eò modo, quo habēt existentiā in modo naturali; idest sicut sunt in cęlo,quantum ad suam perfectam entitatem,ita sunt in Sacramento. Scilicet, primò, sub speciebus panis est corpus Christi,ex ui uerborū,ut dictū est. Secundò, est sanguis ex immediata concomitantia; quia post resurrectionem, sanguis non est extra uenas, cum totus fuerit reassumptus; & sicut modo est in cęlo, ita in sacramēto intelligi debet. Tertiò ex cōcomitātia mediata est ibi aīa Christi, aīa.n.informat corpus, mediantibus dispositionibus necessariis; inter quas sanguis; ideo aīa supponit sanguinem. Quartò, ex concomitantia remota est ibi diuinitas.idest tota Trinitas,nō tamen eodem ordine, & modo; nā quantū ad naturam Diuinam, quo sibi uniuit naturam humanam,est ibi Verbum patris, per concomitantiam, quod illam sustentat, in sua persona, quia est corpori assumpto hypostaticè unitum, qđ nunquam reliqs: Sed pater, & spiritus Sanctus, cum non assumpserint dictam naturam humanam,illam in se terminando, nec eius partes non sunt ibi per dicta concomitantiam; sed intelligitur esse ibi, quia sunt cōsubstantiales Verbo; itaque ubi est Verbum, ibi est Pater, & Spiritus sanctus. Et quamuis sint ubiq; qa Deus est ubique, & Pater, & Filius Spiritus sanctus sunt vnus DEVS: tamen in Sacramento, ultra illum modum communem, scilicet per essentiam presentiam, & potentiam, sunt quodam modo particulari; qui modus sicut est in intelligibilis; ita est indicibilis. Et ideo dicto Sacramento debetur adoratio latriæ. Vnde Gloss. in quadam Decretali, in eleuatione Sacramenti docet nos debere dicere.

Ex ui consecrationis,sub speciebus panis est Corpus, reliqua per concomitantiam.

Salue salus mundi, Verbum Patris, hostia sacra,
Viua caro, Deitas integra, verus homo.

Sunt denique ibi omnes proprietates, perfectiones, ac accidentia propria, quæ sequuntur, tum esse gloriosum, tum esse naturale Corporis Christi, scilicet membra corporis, ut est caput, manus, & pedes,oculi,capilli,barba,ossa, nerui,& huiusmodi:est etiam ibi quantitas corporis:sed non modo extensiuo, proprio & naturali, idest non est tota in toto corpore: & singulę partes quantitatis in singulis partibus corporis extentæ,prout manet in cęlo; nam in cælo est cum sua naturali quantitate,scilicet septem palmorum, uel circa, quia ibi est secundum esse naturæ, & ideo secundum modum quantitatiuum: in Sacramento aūt non est talī modo, quia conuersio directè terminatur ad corporis substantiam, & non ad quantitatem. quod patet ex eo,quòd facta conuersione panis in corpus Christi, quantitas panis remanet, & non conuertitur in quantitatem corporis: ergo ex vi Sacramenti non potest esse ibi quantitas corporis, sed ex naturali concomitantia, inquantum corpus non denudatur à sua

quantitate:nã quandocunque sunt duo naturaliter coniuncta, si sunt entiamitata, ubi est unum, ibi est opus ut sit & alterum.

Idem dicitur de alijs accidentibus consequentibus naturam. Sed quomodo sunt ibi? Ait D.Tho. q͏ sunt ibi per modum substantiæ, idest sicut substantia de sua natura est, ut tota sit in toto, & tota in qualibet parte totius: puta, tota substantia Aeris est in toto Aere, & qualibet parte ipsius Aeris, quantumcunque minima, est & tota natura, & substantia Aeris; sicut etiam in toto pane est tota substantia panis; & si panis diuidatur in plures partes, in quacunque illarum erit etiam tota substantia panis, idest integra, & indiuisibiliter, quamuis sit diuisibilis ad diuisiones partium. Sicut etiam uidetur in homine magno, ut est D.Christophorus, & in homine paruo, ut est Pigmeus; in utroque istorum est tota, integra, & perfecta natura humana, ita, ut ambo dicantur homines perfecti, quo ad substantiam. Ita dico in proposito, de quantitate in Sacramento. Eodem modo intelligendum est de membris, quamuis enim ibi sit caput, pedes, & reliqua, quia tamen non sunt ibi modo extenso, & quantitatiuo, idest secundum situm, ideo non est ibi demostrare locum determinatum, vbi sit caput, & ubi sint pedes, ita si hostia uolueret, caput remaneret inferius, & pedes superius; sed sunt ibi per modum substantiæ, idest, in quacunque parte hostiæ, est substantia corporis, ibi etiam intelliguntur esse membra eius: unde quomodocunque uoluatur hostia, semper corpus intelligitur esse

38 rectum. Hinc etiam sequitur, quòd in quacunque parte hostię licet minima, ibi est totus Christus, siue hostia maneat integra, siue diuisa. Nec intelligendi sunt qui dicunt, quòd hoc accidit, dum hostia frangitur, inducentes exemplum de speculo, in duo, dum est integrum, una in eo apparet imago; dum autem frangitur, tot apparent imagines, quot sunt partes fractæ; hæc nãq; similitudo non currit; nam multiplicatio imaginum causatur propter reflexiones diuersas, ad diuersas partes separatas, quæ si separatę non fuerint, non causabunt diuersas reflexiones, sed unam; sicut unum est corpus reflexionem faciens.

39 Sed in Sacramento, sicut in pluribus hostijs est unus, & idem Christus; quia una est consecratio in omnibus, ita in tota hostia, & in qualibet eius parte est idem totus Christus. Et hoc modo intelligitur, quod canit Ecclesia in missa.s. Fracto demum Sacramento, ne uacilles, sed memento, tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur. Ideo Parochi, & offerentes, multum studere debent in seruandis, & tractandis fragmenti, quæ in patena, uel uase remanent; quia in quolibet fragmento, quantumcunque minimo, dum in eo saluentur accidentia panis, est totus Christus, sicut in tota hostia, & ideo illi debetur idem honor, reuerentia, & adoratio. Idem intellige de gutta sanguinis in calice. Et quamuis hostia consecrata frangatur in plures partes, fractio illa per se fit circa speciem remanentem, s. quantitatem dimensiuam panis remanentem: proprium.n.quantitatis est ita diuidi: non tamen sequitur, q͏ Corpus Christi frangatur, aut diuidatur, ad diuisionem hostiæ: nec masticatur, aut dentibus conteritur, propriè, & per se: quia est incorruptibile, & impassibile: sed dici potest, masticari, conteri, & frangi per accidens: ad fractionem, & masticationem specierum Sacramentaliter, ut ait D. Th.q.77.ar.7. & ita intelligitur illa confessio Berengarii, ut habetur de consecrat. dist.2.Can. Ego Berengarius, ut etiam notat glos. Quæcunque sunt de corpore sub speciebus panis, intelligenda etiam sunt de Sanguine sub speciebus uini: nisi quòd ea, quæ Sanguinem concomitantur, non intelliguntur esse ibi eo ordine, quo sunt sub speciebus panis: nam ex ui consecrationis significatę p illa uerba. Hic est Calix Sanguinis mei, primò, & per se, sub speciebus

Admonitio Sacerdotum.

Ex vi consecrationis uini, est ibi Sanguis, & reliqua concomitanter.

bus uini est Sanguis. Secundò ex immediata concomitantia est Corpus. Tertiò ex concomitantia mediata est ibi Anima Christi: quia anima informat corpus integrum, ideo utrunque supponit. Quartò, ex concomitantia remota est ibi Diuinitas eo modo quo dictum est esse in corpore sub speciebus Panis: quia ita est in cælo, quo ad esse entitatiuum. Dico hoc: quia si Petrus Apostolus, postquam fuit ordinatus Sacerdos in Cœna, consecrasset in illo triduo, in quo Christi Corpus mansit in sepulcro, & sanguis effusus in terra: tunc in Sacramento sub speciebus panis fuisset corpus sine sanguine, & sine anima: quia tunc temporis ista erant à corpore separata: sed bene fuisset ibi Diuinitas: quæ nunquam fuit à corpore separata, nec ab anima: & in calice fuisset tantum sanguis, & non corpus, nec anima ratione prędicta. Sed dubium est de diuinitate, si fuisset cum sanguine? Franc. de Mairone, distin. 8. q. 1. ait, quod non: quia tunc sequeretur, ut sicut communicatione idiomatum, dicimus, Filius Dei fuit in sepulchro, & in inferno, fuit mortuus, & similia: quia diuinitas erat unita corpori in sepulcro, & animæ in inferno: ita potuisset dici, Filius Dei per terram diffusus, fuit in clauibus, & vestimentis, & aliis, quę fuerunt sanguine tincta, quod non conceditur, nec à doctis tenetur. Sed dices: Quod semel assumpsit, nunquam dimisit. Respondetur hoc intelligitur de partibus principalibus, quarum non est sanguis. Itaque si tunc calix in altari eleuaretur, non fuisset adoratus adoratione latrię, sed dulię. Nunc autem Corpus, & Sanguis adoratur adoratione latriæ, ratione Diuinitatis sibi coniunctæ, aliàs non, ut ait August. Hæc autem supradicta, scilicet Christum habere esse ita in Sacramento, sicut in natura propria, intelliguntur de facto, & non de possibili: Deus enim aliter facere potuisset, & potest. Secundum Scotum, quamuis non faciat propter ueritatem Sacramenti. *Quod semel assumpsit nũquam dimisit quomodo intelligatur.*

Redeundo ad dubium motum, scilicet, ly corpus, pro quo supponit: est secundo aduertendum. Corpus tripliciter sumitur, secundum quòd in tribus Prędicamentis ponitur. Primo modo, ut est in Prædicamento substantię, quod est prima species immediata sub substantia, substantia enim, quę est primum genus Predicamenti, diuiditur in corpoream, & in incorporea; substantia igitur corporea dicitur corpus de Prædicamento substantiæ: Secundum hanc significationem non sumitur hic: quia ut sic, corpus dicit esse substantiale, totale, cōpletum, & perfectum, cui nihil deest. Neque ut sic, sumitur pro parte substantiæ, quia partes substantiæ non sunt in Prædicamento nisi reductiuè, secundũ aliquos. Secundo modo sumitur corpus, vt est species de Prædicamento Quantitatis, quæ importat trinam dimensionem, scilicet longitudinem, latitudinem, & profunditatem. Et hoc modo, neque sumitur hic. quia ut sic est accidens substantię, & distinguitur à substantia tanquam res à re, quamuis existentiam non habeat nisi in substantia. Tertio modo accipitur corpus, pro altera parte compositi substantialis, ut dicimus, homo componitur ex anima, & corpore. Ita accepit Arist. secundo de anima, dum animam diffiniuit, s. anima est actus corporis Physici potentia uitam habentis; secundum quem modum, corpus est in Prędicamento relationis, secundum, quòd pars refertur ad totum. 40 *Corpus tripliciter sumitur*

Tertiò aduertendum est, quòd secundum hanc significationem, adhuc multipliciter accipitur, prout multiplices sunt opiniones de forma corporeitatis in composito substantiali. D. Thom. q. 75. art. 6. qui non concedit in composito substantiali, nisi vnam formam, & in homine solum animam intellectiuam, quę gerit uicem omnium aliarum formarum in homine, anima enim intellectiua, dũ aduenit corpori, omnibus formis præcedentibus, dat esse, & esse corpo-

reum,& esse animatum,& esse intellectiuum:dicit, ꝙ corpus de quo loquitur supponit pro materia prima,& anima intellectiua, non secundum illam rationem,qua dat esse intellectiuum,per quod constituit hominem in esse hominis: sed secundum quod dat esse corporeum. Itaque corpus,in quod conuertitur immediatè panis,est compositum ex materia prima,& anima,sub illa ratione,qua dat esse corporeum. Hæc opinio fundatur in principiis Arist. dicentis, unumquodque compositum,siue sit simplex,siue sit mixtum, habet esse specificum, per unam formam substantialem,quæ est illius quidditas, & ratio essendi. Secundum fundamentum est.s.cum in lib.de Generat. Arist.dixerit: generatio, siue corruptio est mutato totius in totum,nullo sensibili remanente. Vnde cum forma specifica corrumpatur, fit resolutio usque ad materiam primam;& corruptio unius sit generatio alterius; ex his conuincitur; in composito non esse nisi unam formam substantialem,dantem esse totale.

Opinio Scoti, & Occham.

Est alia opinio Occham,Gulielmi,& Scoti,tenentium,in homine saltem ultra animam esse formam mixtionis; quam uocant corporeitatis, quæ remanet in composito, adueniente anima intellectiua, quę forma non corrumpitur in eius aduentu,immò perficitur. Dixi (saltem) ut excluderem opiniones aliorum ponentium plures formas in quocunque composito substantiali,quorum positio non est ita sustentabilis. Dicunt ergo isti, ꝙ Corpus Christi in quod primo conuertitur panis,per se includit materiam primam,& formam mixtionis priorem anima,ut dixi,qua forma constituitur corpus, quod est altera pars compositi: Hæc positio potius defenditur principiis Theologicis, quam Peripateticis. Vnde arguunt contra primam opinionem multipliciter;quæ rationes,cum soluantur à Gregorio de Arimino in secundo Sent.dist. 16.q.2.transeo. Ego autem pro ueritate huius opinionis tangam vnam rationem fundatam in fide, s. Si in homine non esset,nisi una forma substantialis,tunc sequeretur,ꝙ non esset idem corpus in genito,& corrupto:ex quo sequeretur,vnum inconueniens in Theologia. Prima opinio concedit consequens, sed negat inconueniens. Probo inconueniens,tunc sequeretur, ꝙ in illo triduo non fuisset in sepulchro idem corpus Christi,quod fuit in ventre Virginis, & in cruce antequam expirasset;contra auctoritates Sanctorum:dicit enim Ambrosius,& habetur de consecratione,dist.2.Can.Omnia,loquendo de corpore,in quod conuertitur panis in Sacramento. Idem corpus, quod de Virgine sumptum est,quod passum est, & sepultum,quod resurrexit,& ascendit in cælum. Si dices, ꝙ ly, idem, dicit identitatem materiæ,quæ fuit eadem numero sub forma Christi viuentis, & forma cadaueris,dum mortuus fuit; adhuc insto; Cum transubstantiatio (ut suprà dictum est) fit mutatio totius in totum, & partium in partes: itaque sicut materia panis conuertitur in materiam Corporis Christi,ita & forma in formam: sed in triduo si consecraretur, forma panis non fuisset conuersa in animam, sub illa ratione, qua dicunt; quia cum fuerit separata, nullum officium gerebat in corpore, quod desijt informare, ergò dicendum est, secundum eos, quòd conuersa fuisset in formam cadaueris, quod est absurdum. Caietanus (ut non discedat à præceptoris opinione) concedit hoc absurdum. Sic facilè est omnia soluere : sed nescio, quomodo saluaret hoc inconueniens, scilicet, quòd tunc non potuisset uerè dici, panem conuersum esse in Corpus Christi, quia illa forma cadaueris nunquam fuit in Christo. Nec uerè potuisset dici, filius Dei fuit sepultus ratione materiæ tantum, cum secundum eos, nil aliud Christi fuit in sepulchro, nisi sola materia. Et confirmatur hæc ratio auctoritate Leonis, in Sermone de Ascensione, dicentes: Non dubia fide, sed certissima scientia tenemus, eam

naturam

naturam in patris concessuram throno, quæ fuerat in sepulchro. Si ergò per naturam humanam, de qua loquitur Leo, intelligere velles, materiam tantum; uana esset hæc glossa, ut cunctis patet. Ergò illa identitas intelligēda est ratione corporis, quod fuit idem numero in uiuo, & mortuo, ut melius secunda opinio dicit. Et quamuis hęc opinio fundetur in ueritate fidei, habet tamen aliquam probabilitatem in Philosophia, vbi isti se fundant. Vnde ad eorum fundamenta facilè respondetur. Ad primum dicitur, quòd vnumquodque compositum est per vnam formam specificam, completiuam, quæ dat esse ultimum, non per hoc tollitur, quin possit dari in eodem composito alia forma imperfecta, quę non dat esse ultimatum, sed est dispositio ad ultimam formam, qua adueniente, illa prima imperfecta non corrumpitur, sed perficitur ab ultimata, respectu cuius postea se habet velut materia, & ut altera pars compositi perfectibilis ab ultima forma. Vnde non sequitur, quod sit de se perficiens materiam, aut sit finis eius, nisi quando corrumpitur ultima, & ipsa remanet postea, ut perficiens corpus in esse corporeo, & non in esse animalis, vel hominis.

Et si diceretur per secundum fundamentum, dum aliquod corrumpitur, nihil eius remanet, sed generatur aliud, quia corruptio unius, est generatio alterius. Dico, quod hoc est verum: sed non est intelligendum eodem modo in omnibus corporibus; nam in corporibus simplicibus intelligitur immediatè; idest ad corruptionem vnius statim succedit alia forma, sed in mixtis intelligitur mediate per gradus: nam clarum est, quod separata anima à corpore humano, si corpus relinquatur in proprijs principijs, resoluetur usque ad materiam primam; non autem statim, sed per gradus, cum remaneat forma corporis, ut dictum est. Quod patet in corpore Christi, dum fuit in sepulchro. Et ne uidear petere principium, probo: quia de ipso dictum fuit. Non dabis sanctum tuum videre corruptionem; nam si in separatione animę Christi, statim fuisset generata forma cadaueris, iam corpus sumeretur pro materia quantum ad suum proprium esse: itaque, si corpus sumeretur pro materia tantum, ut patroni illius opinionis dicunt, Prophetæ dictum nihil esset, quia materia de se est corruptibilis, & ingenerabilis: Nec sumi debet pro sancto cadauere; nam Glossa exponit, (sanctum tuum,) idest corpus sanctificatum humanæ fragilitatis expertem, & supergressum esse humanam conditionem, Quod non potest intelligi de sola materia, nec de cadauere. Hæc ratio tantæ energiæ est, ut induxerit Gabrielem ad sentiendum nobiscum. Verum coactus à veritate, concedit de solo Corpore Christi, de reliquis autem corporibus, ob auctoritatem Aristotelis, id negat. Ego autem dicerem, eandē rationē esse de omnibus mixtis, sine trepidatione, rationibus iam dictis: Nec mirum, si hęc determinatio videatur contra doctrinam Peripateticam, quæ fuit causa, ut isti nō acceptarent hāc opinionē magis uera: multa namq; demostratiuè probantur in Philosophia Aristotelis, quę in vera Philosophia sunt falsa. Aristoteles enim habet pro axioma hoc principium; Ex nihilo nihil fit: probat ēt demostratiuè, mundum esse æternum, & multa alia dicit, quę sunt falsissima, ut ex sacra Theologia nobis innotuit. Nec per hoc reprehendēdus est: q a fecit quantū natura facere pōt. Ad veritates Theologicas natura ascēdere nō valet: & iō ex principijs fidei illis adhæremus, & multa probamus cōtra doctrinam Peripateticā. Vnde miror illorū amentiā qui theologare volūt, cū obseruatione oium, quę naturalis Philosophia docet: aliud est enim in schola Arist. ingenioṡè defendere suas falsas determinationes; & aliud est defendere, & disputare veritatem rei in vera Philosophia, fundata in articulis fidei, quibus multa

dilucidantur, ad quæ intellectus noster uiribus naturæ ascendere non ualet. Quibus hæc prædicta non placent; dicant saltē cum Ægidio Romano in quinquaginta theorematibus; qui ex una parte videns doctrinam Peripateticam, & ex alia veritatem sacræ scripturæ, fatetur se non esse certum de sua opinione, qua sequabatur D. Tho circa hoc. Vnde dicit, sufficit mihi scire, quod panis conuertitur in Corpus Christi, quod fuit formatum ex Sanguinibus purissimis Mariæ Virginis, quod fuit immolatum in cruce; & uinum in uerum Sanguinem, qui pro redemptione humani generis fuit effusus. Cui hoc non sufficit cum fræno fidei quærat vlterius: mihi autem hoc sufficere videtur: malo enim in simplicitate manere, quam de arduis temerè iudicare.

De accidentibus panis, & uini, quæ in Sacramento remanent.

Reliquum est nunc videre de accidētibus panis, & uini, quę in Sacramento remanent, sine proprio subiecto. Quamuis enim secūdum Arist. Accidētis esse sit inesse, hoc tamen nō debet intelligi actuali inhærentia; quia contrariū credimus esse in hoc Sacramento. Deus autem cum non possit conseruare rē in esse proprio sine sua essentia; quia contradictionem implicat, sequitur, ut illa actualis inhærentia nō sit de essentia accidentis; itaque intelligēda est de actitudinali, quidquid contendāt Philosophi in via Arist. Sūt igitur accidentia panis, & vini in Sacramento, sine actuali inhærentia; non enim dici potest, quòd inhæreant substantiæ panis, & vini; quia iam esse desierunt; neque inhærent Corpori, & sanguini Christi: quæ ibi succedūt; quia vt ait Magister, distin. 12. Corpus Christi non afficitur illis: neque inhęrent Aeri circunstanti, ut aliqui uoluerunt, quia Aer non est susceptiuus illorum, cum non sint eius accidentia, nec moueantur ad motum aeris, remanent ergo ibi sine inhærentia ad subiectum substantiale. Dico (substantiale) nam hic est naturalis ordo: quantitas immediatè subiectatur in substantia composita; cetera autem accidentia, vt sunt qualitates sensibiles, subiectantur substātię, mediante quantitate. Itaque quantitas est id, quo substantia recipit alia accidentia, dicimus enim, quod superficies est colorata. Sed in Sacramento quantitas subsistit virtute diuina, ad modum substantię, remanetq; subiectum aliorum accidentium, ut prius. Et hoc dico de facto, nam de possibili, dico, quòd Deus posset conseruare alia accidentia sine quantitate, sicut quantitatem sine substantia conseruat. Et consequenter dicitur, quod dicta accidentia agunt uirtute naturali, immutando sensus, vt agebant, dum erant in substantia panis, & vini. Insuper, vt etiam ait Alexand. de Ales, 4 p. quæstio. 40. articulo 1 habēt eandē virtutem agendi circa materiam exteriorem, quam habebant, dum erant coniunctæ substantię panis, & vini, allegans Innocentium dicentē, Species, prout sunt mirabiliter; non priuari virtute, nec proprietatibus naturalibus; vnde sequitur, si quis multū sumeret de sanguine, inebriaretur, ab accidentibus vini, ac si biberet vinum ante consecrationem: & ita de alijs qualitatibus actiuis dicendum est. Itaque non solum modo materiam immutare possunt, sed etiam substantiam producere, vt facerent in proprio subiecto.

Dubium de actione accidentium quātum ad generationem.

Sed dubiū est, an hoc agerent virtute propria; Dicitur breuiter: Scotus negans

gans absolutè, quòd accidens possit producere substantiam, nec virtute propria, nec alterius, substantia enim producit substantiam, accidens autem disponit tantum: puta calor disponit tantum lignum, remouendo contraria, sed forma substantialis introducit in lignum formam ignis: unde multo magis negat, accidens separatum posse hæc facere, etiam instrumentaliter, cum ibi substantia ipsius non adsit, quæ agere possit.

Accidentia ergò in Sacramento, cum sint sine substantia, agunt disponendo tantum, Deus autem supplet uicem substantiæ creatæ in causando. Sed D.Th. tenens qualitates actiuorum agere virtute formæ substantialis; ignis enim nõ producit ignem, nisi per calorem expellendo contrarium, & introducendo calorem vsque ad gradum summum, in quo forma ignis in ligno consequitur, (quod patet ad sensum, nam igne aliquantulũ distante à ligno, in tantum calor agit, ut sine applicatione ignis, lignum ignitur, quod non faceret, nisi in eo esset virtus formæ substantialis: nam substantia corporea agit per contactum) ait, ꝙ species panis, & vini separatæ agunt, per uirtutem; quam à forma panis & vini acceperunt: dum in pane, & vino productæ fuerunt. Quæ uirtus desinente substantia panis, & vini, in eis remansit, sicut remansit esse, quod acceperunt. Hæc autem uirtus, ait Caietanus, & Richard dist. 12. art. 3 q. 2. non est aliquod absolutum, nec respectiuum, distinctum ab ipsa qualitate, sed ipsamet qualitas est uirtus suæ substantiæ, quæ sicut miraculosè remansit, ita miraculosè agit, non tamen per nouum miraculum, sed antiquum.

Similiter dictæ species corrumpi possunt, quemadmodum corrumperentur, si essent in substantia propria panis, & vini, & ex eis generari aliquid, quia idẽ esse seruant sic separatæ, quod seruabant ante consecrationem in proprijs substantijs. Vnde, si hostia consecrata combureretur, ex illis speciebus generarentur cineres, uel si in pixide longo tempore conseruaretur, ex dictis speciebus generarentur uermiculi, sicut ante consecrationem. Hoc idem dicitur de Sanguine, scilicet, si diu moraretur in calice, ex illis speciebus generaretur acetum. Itaq; omnes transmutationes, quæ naturaliter fierent circa istas species, siue in substantijs, siue in quantitatibus, siue in qualitatibus, per generationẽ, corruptionem, alterationem, & similia, si nulla facta fuisset consecratio, etiam nunc fiunt facta consecratione. 42 *Quantum ad corruptionẽ.*

Sed est aduertendũ, ꝙ in quibusdam prędictarum mutationũ, corpus Christi manet sub accidentibus, in quibusdã aũt desinit ibi esse. Quę sunt istę? Ex hac regula dignosci possunt: vnũ qñcunq; per aliquã transmutationẽ factam circa species pdictas, substãtia panis, & uini, si adesset ad eorũ transmutationẽ corrumperetur: tunc in eodẽ instanti desinet esse ibi corpus Christi, quo desineret esse panis, & uinum, si adesset. Et qñcunque per aliquam mutationem factam in dictis speciebus, ad eorũ mutationem, substantia panis, & vini non deperderetur, si adesset; tunc Corpus Christi ibi perseuerat; uoluit enim Deus, ut Corpus Christi tamdiu sit sub speciebus, quamdiu sub illis substantia panis, & uini conseruaretur, si conuersi non essent. Hinc Parochi addiscant, qua ratione eis pręcipiatur, ut Sacramentũ, quod pro infirmis conseruatur in pixide, sępè renouetur, nec ad plus quindecim dies transire sinant, & tanto citius, quanto hostiæ non sunt recentes. Sed quæres, qũo Christus inde discedit? Nescitur, unũ aũt scitur, ut sicut per consecrationem modo ineffabili incipit esse ibi: ita ad corruptionẽ specierũ ineffabiliter desinit esse ibi. Hoc aũt totum, ita Deus obseruari uoluit, s. ut omnes transmutationes, & effectus circa illius species fierent præsente actiuo, & passiuo naturali, quę fieret, si panis, & uini substantia cõuersa nõ fuisset in Corpus, & Sanguinem. Ne fortè si species illę ali-

43 *Corpus Christi quousque maneat sub accidẽtibus.*

Admonitio Parochorum.

Corpus Christi quomodo desinat esse sub speciebus.

quo modo intransmutabiles viderentur, potuisset probari, ex aliqua naturali experientia, præsentia Corporis Christi in Eucharistia: vnde meritum fidei eua cuaretur: sed placuit suæ Diuinæ sapientiæ, vt sola fides cerneret hanc veritatem; vt inde homo meriti sui fructum reportaret.

Quomodo aliquid generetur ex accidẽtibus Sacramentalibus.

Et quoniam nulla trãsmutatio acquisitiua alicuius termini substãtialis fieri pôt à causa naturali, nisi in subiecto præsupposito, aliàs diceretur, ꝙ creatura creare posset; quidqd.n. pducitur nõ de potẽtia subiecti, de nihilo producitur, & consequenter creatur. Et sub speciebus Sacramentalibus, cũ nullum sit subiectũ transmutationis; ideò quęritur, quõ generaretur aliquid ex illis accidentibus, nã ꝙ aliquid generaret, patet ad sensum: sed modus, quo fit, inquirit; R ñdetur, in casu, quo species Sacramentales in tantum alterarentur, ut si ibi maneret substantia panis, & uini, corrumperetur, tunc, & eo casu, quidquid ex illis generaretur, à Deo produceretur. Sed quæritur ulterius, produceretur ne à Deo sola materia, an totum compositum? Ad hoc multipliciter respondent

Innocentius. Alexander.

Doctores: recitabo tamen opiniones magis probabiles. Innocentius in lib. 4. de officio Missæ, quem sequitur Alexander de Ales, & D. Bonauent. dicunt, quod redit substantia panis, & vini, & ex illis pullulant generationes conuenientes, quæ pullularent, si non essent conuersæ in Corpus Christi. Sed D.

D. Tho.

Tho putans dictas substantias easdem numero redire non posse, nisi Corpus, & Sanguis, in quæ conuersæ fuerant, iterum in illas conuertantur, quod non est imaginandum: & multo minus redirent, si essent annihilatæ: ideò aliter dicit, quòd generatio fieret ex quantitate relicta in Sacramento, quæ sicut remansit subiectum aliarum formarum accidentalium, ad modum substantiæ, ut suprà dictum est, ita nunc remanet subiectum formarum substantialium, quæ ibi generarentur, uirtute qualitatum actiuarum relictarum. Itaque, secundum eum, totum compositum fieret uirtute naturali: quia quantitas gerit vicem subiecti, in quo qualitates actiuæ, uirtute sibi derelicta à forma panis, & vini (vt suprà ad mentem eius dixi) nouam formam generant Verumtamen quomodo quantitas possit esse subiectum formę substantialis, difficile est in-

Ægidius Roman. Caietanus.

tellectu; Ideò Thomistę uariè hunc passum exponunt. Ægidius Romanus Theoremate 44. dicit quantitatem seruantem naturam accidentis, fungi vice, & officio materiæ, ex qua generantur vermiculi, cineres, & cetera supradicta. Caietanus autem reputans impossibile, quòd accidens stare possit pro materia formæ substantialis, aliter exponit dicens, In illo instanti corruptionis specierum, quantitatem transire in esse materię proprię, ex qua fit generatio: itaque sicut prius erat subsistens sub alijs accidentibus, gerens uicem subiecti ad modum substantię, ita nunc efficitur uerè subiectum formę substantialis.

Sotus.

Sotus uerò, cui neutrum placet, aliter hunc passum exponere conatur, dicens, ꝙ dum quantitas per corruptionem desinit esse, statim ad primum sui non esse, succedit per primum esse materia informata formę cineris, aut uermis, uel similis: undè, hoc modo saluat positionem D. Th. ut non dicatur materiam simpliciter creari, s. ꝙ terminus à quo est quantitas, quę desinit esse, nec per hoc dicetur simpliciter annihilari, quia terminus ad quem est materia quę producitur; ei succedens. Itaque ꝙ negat per se de creatione, affirmat per accidens.

Richardus. Occham. Scotus.

Huic simile dicit Richardus dist. 12. art. 2. q. 2. is scilicet negat creationem materię, & illam quodammodo ponit sub uerbis ualde obscuris. Tertia opinio magis communis est, quam sequitur Occham, Guilielmus, Scotus, & Gabriel, scilicet, ꝙ in illo instanti corruptionis specierum Sacramentalium; ad quorum corruptionem panis & vinũ corrumperentur, si adessent, creatur noua materia, in qua forma generati existit. Et in hanc positionem incidunt suprà dicti,

quo

quo ad modum ponendi, licet creationem vocare nolint. Verum Scotus, tenēs accidentia non posse producere substantiam, dicit, totum compositum immediatè fieri à Deo. Alij ponentes virtutem formæ in qualitatibus actiuis (vt diximus) dicunt solam materiam à Deo produci in tali casu. Ex his intelligi potest, quomodo species illæ Sacramentales, si sumerentur in magna quantitate, nutrirent corpus sumentis ipsam Eucharistiam; non quòd illæ species conuerterentur propriè in nutrimentum; sed ad corruptionem specierum factam in stomacho, produceretur materia de nouo, vt dictum est, quæ formam nutrimentalem reciperet, ex quibus fieret compositum, idest nutrimentum, quo corpus reficeretur. Hinc sumentes Eucharistiam, addiscant, quanto tempore post illius sumptionem à cibo abstinere debeant ob sacramenti reuerentiam: scilicet dum illæ species in stomacho alterentur, & corrumpantur: non enim decet, ut cibus corporalis maneat cum spirituali in stomacho. 44 *Sumentes Eucharistiā quanto tēpore debeāt abstinere à cibo.*

Ex suprà dictis colliguntur quædam corrolaria circa Sacramentum Sanguinis, dum aliquid misceretur Calici post peractam Consecrationem. Primū est, si liquor appositus Calici erit alterius speciei, & erit grossus, pinguis, vel durus, propter quæ eius qualitates non agent contra qualitates vini consecrati relictas, eas destruendo, nec partes illius liquoris subintrabunt partes specierum vini, eas penetrando, ut accidit oleo, vel simili alio liquori, qui non miscetur, sed semper separatus manet: nec sua virtute uinum afficit, tunc species vini in Calice derelictæ non corrumperentur, & consequenter Sanguis maneret. Secundū est, si liquor alterius speciei erit subtilis, facilè penetrabilis, cuius partes subintrabunt partes specierum vini, ut accidit aquæ, uel eius qualitates multum afficient qualitates vini, ut accidit in melle, musto, succo alicuius herbæ acutæ, uel simili: tunc dico quantum ad aquam, si aqua apposita erit paruæ quantitatis, conuertetur in uinum à speciebus vini, uirtute sibi relicta, ut suprà dictum est, à substantia uini conuersi: nec tamen Sanguis erit sub speciebus vini generati de nouo, ex aqua illa, illæ namque erant in proprio subiecto: sed erit sub speciebus uini prioris, & uinum de nouo generatum erit à Sanguine Christi separatum. Nec dici potest (vt aliqui dicunt) quòd per contactum Sanguinis, vinum illud transubstantiaretur in Sanguinem, vt accidit acquę appositæ in aqua benedicta, quæ propter mixtionem redditur benedicta aqua, quia illæ species non habent uirtutem transubstantiandi uinum in Sanguinem, sicut mutandi aquam in vinum: transubstantiatio namque fit uirtute uerborum, & non aliter: sed aqua benedicta reddit aliam benedictam ex institutione Ecclesiæ: Si autem aqua apposita erit in magna quantitate, ita, vt virtus illius plenè dominetur, tunc aqua illa, uel similis alius liquor, conuertet species Sacramentales in suam naturam; in qua conuersione succedet noua materia, ut dictum est suprà, dum aliquid ex speciebus generatur: quo facto non erit ibi amplius Sanguis. Verùm, hęc conuersio non fiet statim, quod est ualde aduertendum, ne fiat Sacramento irreuerentia: nam si in Calice misceretur multum aquæ, dicta aqua non statim corrumperet species uini consecrati, propter earum actiuitatem, maximè, si uinum erit forte, merosum & non tenuis substantiæ: & multo minus, si apponeretur tantum aquę, quantum erat uini. Quantum ad mel, succum herbarum, uel similem alium liquorem, tunc attendenda erit excellentia qualitatum actiuarum rerum miscibilium, scilicet, si qualitates erunt æqualiter actiuæ, tunc ex illis generabitur tertia natura, uel statim, si erunt species facilè penetrabiles, uel in tempore, si erunt crassæ, sed dubium est in quanto tempore, & hoc tam si mixtio erit in æquali quantitate, quam in æquali proportione.

45 *1. Corrol.* *2. Corrol.*

Tertium

3. Corrolar. Tertium corrolarium est, si liquor Calici appositus, erit eiusdem speciei, puta, miscetur vinum cum speciebus vini consecrati, tunc erit maior difficultas in iudicando mixtionem, propter opinionum uarietatem: vidi namque confusionem inter Doctores; Sed resolutionem huius difficultatis vide suprà, in materia Sanguinis. Hic autem discursus non tantum iuuat Parochos pro vino consecrato, (cum non sit mos seruandi Sanguinem in Calice, vt dici possit, species Sacramentales per admixtionem alicuius extranei liquoris tam cito esse corruptas, & consequenter Sanguinem desijsse ibi esse) quam pro lotione facienda, dum celebrans purificatur, & pro uino consecrando, vt euenire solet, ut dum sacrum fit, apponitur in Calice vinum limphatum, vel aquosum, uel illud, quod vulgariter *acquata* dicitur. Vel quando ex errore aqua pro vino ponitur, vt ibi diximus. Ceterum hæc dicta sint ad complementum doctrinæ, propter curiosos.

De Forma Consecrationis.

46 DIctum est, sequendo Definitionem, (sub certis verbis) quibus Forma Consecrationis Corporis, & Sanguinis Christi exprimitur. Quamuis enim Dominus noster Iesus Christus, Dei patris naturalis, & consubstantialis filius, æqualis in uirtute & potentia, sua Diuina potestate, & virtute, panem & vinũ in corpus, & Sanguinem suum transubstantiare potuisset absque uerborum prolatione, sed solo imperio suæ uoluntatis, sicut cuncta de nihilo creauit; tamen vsus est quibusdam paucis uerbis, & certis, quibus dedit uirtutem consecratiuam transubstantiandi Corpus, & Sanguinem suum, quibus uti deberent Apostoli, & eorum successores, dicente ipso: Hoc facite in meam commemorationem. Vnde Ambrosius, in lib. de Sacramentis dicit: Consecratio fit uerbis, & sermonibus Domini Iesu. Quæ sunt ista uerba? sunt illa, quibus in Canone vtitur Ecclesia, ab Apostolis edocta, & ab Euangelistis, prout à Christo acceperunt; quibus vsus est in cęna agni Paschalis, dum hoc Sacramentum instituit, scilicet pro consecratione panis. Hoc EST CORPVS MEVM. cetera autem quæ Sacerdos dicit, sunt laudes, & gratiarum actiones, aut obsecrationes, postulationes, & petitiones fidelium. Circa quę primo insistendum est quęrendo, quę sint uerba præcisa Consecrationis, & ita necessaria, ut sine ipsis consecratio non fieret? Quantum ad hanc panis consecrationem, manifestum est, secundum omnes Doctores, quòd hæc dictio (enim) non est de essentia formæ: sed apposita est in hac forma, secundum consuetudinem Romanæ Ecclesiæ, deriuatam ab Apostolo Petro, quod verbum significat ordinem consecrationis, uel continuationem uerborum pręcedentium. Itaque, si talis particula omitteretur, consecratio fieret: tamen Sacerdos peccaret mortaliter, si scienter, uel culpabili negligentia id faceret.

Dubium de uerbis præcedentibus Formam.

Sed dubium est de illis uerbis pręcedentibus, scilicet: Qui pridiè quam pateretur, &c. vsq; ad verba Consecrationis: si omitterentur, consecratio fieret, solis uerbis Canonis prædictis, an non? Hic sunt duę opiniones. Qui tenent uerba Consecrationis accipi materialiter, dicunt prędicta uerba Formam pręcedentia, esse necessaria: nam cum illa quattuor uerba Formæ recitatiuè dicantur à Sacerdote in persona Christi, debēt sumi materialiter; Vnde, si nõ continuarentur cum pręcedentibus, sed absolutè dicerentur, s. Hoc est Corpus meum,

Opinio tenentiũ uerba Formæ accipi materialiter.

ex ui

ex ui uerborum intelligerêtur, illud esse Corpus Sacerdotis quamuis ex intentione proferêtis significaret esse Corpus Christi: et quia verba Consecrationis ex ui uerborum significare debent, quod efficiunt, vt de aliis formis dictum est: ideo secũdum hanc opinionem, ad hoc, ut dicta uerba, in persona Christi, & non Sacerdotis prolata esse intelligantur, necesse est, ut continuêtur, cum præcedentibus; nã in tantum significant, inquantum, Christum illa dixisse exprimitur; hoc non fit, nisi prius dicatur: Qui pridie quam pateretur, accepit panem, &c. Et confirmatur per Ambrosium, ut habetur de Consecratione, dist. 2. Can. Panis, ubi habet hæc uerba Sermo Christi Creaturam mutat, & sequitur: Consecratio quibus uerbis fit? Attendite, quæ sunt uerba: Accipite, & comedite ex hoc omnes Hoc est Corpus meum. vbi ipse videtur coniungere ipsa uerba Consecrationis cum præcedentibus, tanquam uerba necessaria in Consecratione. Picus de Mirandula in Apologia, q. 10 sequens hanc opinionem, cũ Glos. in Can. Timorem, de Consecrat. dist. 2. subiungit hanc rationem: Si uerba, quę dicuntur in consecratione Sanguinis, s. Qui pro uobis, & pro multis effundetur: non acciperentur materialiter, essent falsa; quia Sanguinis Christi non amplius effundentur; quamuis dum Christus illa dixit, nõ erat iam effusus. Itaque dicta uerba, dum à Christo dicta fuerunt, significatiuè accipiebantur: nunc autem dum à Sacerdote dicuntur, materialiter, & recitatiuè accipienda sunt; aliàs Sacerdos dicere deberet: Qui pro nobis effusus est. Quam opinionem reputat probabiliorem, illam tamen contrariam non respuendo, cum ab Ecclesia in præsens usque, non sit reiecta. Vnde Scotus, dist. 8. q. 2. in hac materia anceps redditur, dicit enim, uerba essentialiter ad Consecrationem pertinentia, sunt illa quattuor prędicta: sed alia præcedentia sunt necessariò pręmittenda, rationibus iam dictis. Ambrosius. Picus. Scotus.

Vnde si casu aliquis proferret uerba Consecrationis sine illis præcedẽtibus, dubius esset, an fuisset facta consecratio. Richardus in 4. dist. 8 art. 2. q. 1. quem sequitur D. T. quo suprà, Gabriel Biel, in Canone Missæ, Lectione 38. & maior pars Doctorum, dicit, sola illa quattuor uerba Formæ Consecrationis sufficere ad conficiendum corpus Christi. Verum omittendo alia uerba præcedentia ex proposito, grauiter peccaret, ritum Ecclesiæ non seruando, tanquam contemptor ordinationis Ecclesiæ & reuerentiæ Sacramenti, Rationem assignat D. T. uerba nãque prædicta accipiuntur significatiuè, ex ui propria uerborum, prout recitantur & à Sacerdote, contra dictum Pici supradicti. Vnde Sacerdos ex hoc quòd intendit consecrare, ex tali intentione gerit personã Christi, & proferẽdo uerbo, intẽtio sola facit, ut uerba dicantur in personæ Christi, etsi reliqua omittantur. Vnde ait Richardus, per hoc Sacerdos non dicit mendaciũ, sicut non dixit mendacium Angelus, qui loquebatur Moysi in persona Dei, dicendo: Ego sum Deus Abraham, &c. Aliàs non diceretur, Sacerdotem conficere in persona Christi, sed Christum conficere in persona propria, ad probationem uerborum à Sacerdote, Contra determinationem 3. Concil. Florentini, ubi leguntur hæc uerba. Sacerdos in persona Christi loquens, hoc conficit sacramentum. Et confirmatur: nam uerba Canonis non sunt eadem apud omnes, ait D. Th. nec omnia simul posita fuerunt, sed secundum diuersitatem temporum à diuersis Pontificibus posita inueniuntur: verba. n. prædicta, s. Qui pridie quam pateretur, non dicebãtur tempore Apostolorum, sed in Canone addita fuerunt ab Alexandro Papa Romano ut legitur in eius vita, cuius festum agitur die 3. Maij. Richard. D. Thom. Gabriel.

Pro Cõsecratione uini ponitur hęc forma. HIC EST ENIM CALIX SANGVINIS MEI, noui & æterni testamenti, mysteriũ fidei, qui pro uobis, & pro

multis

multis effundetur in remissionem peccatorum. Ita S. Mater Ecclesia Romana docet, esse à Christo institutum, & ab Apostolis prędicatum Sanctis Patribus, & ab illis, per eorum traditionem ad nos deriuatum.

Dubium de Forma Sanguinis.

Dubium quoque insurgit circa dictam formam, sufficiant ne ista uerba, an plura alia requirantur? Qui tenent, uerba ista sumi debere materialiter, consequenter dicere deberent, quòd dicta uerba non haberent efficaciam, nisi coniungantur cum præcedentibus, scilicet: Simili modo postquam cœnauit dicens, &c. Sed de his eadem ratio habendā est, ut de uerbis præcedentibus formam corporis, habita est, ut dictum est. Ad rationem autem Pici de Mirandula, quantum ad illud uerbum (effundetur) dicitur, quod Sacerdos non dicit mendacium: nam illud uerbum refertur ad tempus, quod in hora institutionis Sacramenti iam futurum erat: itaque tantum ualet, (effundetur) ac si diceret, effundendus erat: & non ad tempus, quod nunc in hora consecrationis est præteritum: & sic uera est oratio. Potest aliter responderi; cum uerbum istud non sit de essentia Formæ, ut nunc probabitur, parum refert, quomodocunque dicatur.

Raimundus.

Raimundus in Summa dicit, non solum uerba suprà dicta sunt absolutè necessaria: sed quę sequuntur, s. Hoc facite in meam commemorationem.

Hæc opinio sicut est singularis, ita falsa est: nam per hæc uerba, Christus ordinauit Apostolos Sacerdotes, & pręcepit usum huius Sacramenti, ut ipsa verba ostendunt: sed collatio Ordinis, & præceptum vsus Sacramenti, non fit per eadem uerba consecrationis, uerba namque consecrationis respiciunt materiā consecrandam, sed uerba ordinis, & pręcepti respiciunt personam, & ideò dixit, (hoc facite). Præterea, si hæc uerba pertinerent ad consecrationem, non magis pertinerent ad consecrationem Sanguinis, quam Corporis: Christus enim, dicendo, hoc facite, præcipit fieri cōsecrationem Corporis, & Sanguinis: & si ita esset, sequeretur, quod Corpus non esset consecratum, donec illa uerba dicerentur à Sacerdote, & consequenter cōmitteretur Idolatria in eius eleuatione, ergo, &c. Verbum enim accipitur hic, ut in alia forma corporis. Et iā omnia prædicta clara sunt, sed quod magis nos molestat, propter uarietatem

Difficultas de integritate Formæ.

Doctorum, est: An forma Sanguinis à nobis posita, ita sit necessaria secundum omnes partes eius, ut si vna illarum dematur, Consecratio non fieret? Et ratio dubitandi est: nam aut Christus in Consecratione Sanguinis, usus est omnibus prædictis uerbis; aut aliqua ab Apostolis adiuncta fuerunt, & Ecclesiæ tradita. Primum, per auctoritatem Sacrę scripturæ non habetur: nam Euangelistæ uariè loquuntur circa traditionem Formæ Sanguinis. Lucas enim dicit: Hic est Calix Noui Testamēti in meo Sanguine, qui pro uobis effundetur. Matth. aūt dicit: Hic est Sāguis meus, Noui Testamēti, qui pro multis effundetur, in remissionē peccatorum. Secūdum assertum stare non potest: nam sicut Apostoli aliquod Sacramentum instituere non ualent (ut in principio exposuimus) ita nec formam instituere, aut aliquid formæ essentiale addere. Accedit & alia ratio: nam Græci, qui formam ab Apostolo Paulo acceperunt, aliter dicunt, scilicet: Hic est Sanguis meus Noui Testamēti, qui pro uobis, & multis effundetur: quæ, (ut uidetis) multū differt à nostra, quam accepimus à Petro, ut refert Richardus, quo suprà. Et quidem Caietanus affirmat formā Græcorum ita esse, & tamen Ecclesia Romana illos non reprahendit de insufficientia eorum Formę: Et maximè, cum in Ecclesia Græca fuerint tot uiri illustres, & sancti, signum est, quòd non omnia dicta uerba sint de essentia Formę.

Richardus.

Richardus dist. 8. art. 2. q. 2. ait omnia prædicta uerba pro Forma Sanguis assignata, usque ibi: in remissionē peccatorum, inclusiuè, esse de essentia Formæ:

Rationem

Rationem assignat: nam post illa uerba (Hic est Calix Sanguinis mei) alia, quæ sequuntur, vsque ad, remissionem peccatorum, inclusiuè, non constituunt nouã orationem, sed sunt determinationes prædicati, s. Sanguinis mei, ex quo sequitur, esse de essentia, & ideo non oportet de illis aliquid adimere. Hæc ait in corpore art. In responsione autem ad argumenta, uolens satisfacere rationibus ante dictis, asserit, q Christus istis proprijs uerbis vsus fuit, quæ, etsi per Sacram Scripturam non habeantur expresè, Ecclesia tamen ab Apostolis ita edocta est & per Patres ad nos eorũ traditio peruenit, dicit enim Innocentius IIII. Cap. Cum Martæ, de Celebrat. Missarum. Sanè, multa tam de uerbis, quam de factis Dominicis inuenimus ab Euangelistis omissa, quæ Apostoli, uel suppleuisse uerbo, uel facto expressisse leguntur. Euangelistæ quoque, aliqua inter se mutuo suppleuisse, legitur, sed utrum per uerba similia ab Euangelistis dicta, uinũ consecretur? Respondet affirmantiuè: nam idem in sententia dicunt cum forma superius dicta. Ex his uerbis non habetur resolutio quæstionis; nam in corpore Articuli dicit, omnia uerba supradicta esse de essentia: hic dicit, per quamlibet formam traditam ab Apostolis, confici Sacramentum sanguinis, quia idẽ in sententia dicunt. Neque per hanc responsionem satisfit instantiæ de forma Græcorum, quamuis enim loco illius verbi (Sanguis) ut habet forma Græcorum, possit dici (Calix) ut habet forma nostra, quia idem significat: ponitur enim hic continens pro contento: quia Sanguis in hoc Sacramento consecratur, ut est potus fidelium: & ideo oportuit designari per uas huic usui accommodatum: tamen forma nostra habet tres alias dictiones, quæ non sunt in forma Græcorum, s. (æterni, & misterium fidei.) Itaque si talia essent de necessitate essentialiter, Græci non conficerent. Puta, pone casu, ut ait Scotus, si Sacerdos consecrans, dicendo: Hic est sanguis meus, statim moreretur, antequam finiret reliqua uerba consecrationis: nunquid habendus esset sanguis pro consecrato? si dixeris, quòd omnia prædicta uerba sunt de essentia: respondendum quòd non: si autem dixeris, quòd omnia sunt idem in sententia, respondendum est, quòd sic, itaque usque modo non habetur resolutio D. Thom. q. 78. art. 3. respondet. Qui dicit, de substantia formæ esse hęc uerba tantum, s. Hic est calix Sanguinis mei, non autem quę sequuntur, aberrat: nam ea, quæ sequuntur, sunt quædam determinationes prædicati, s. Sanguinis Christi: Vnde pertinent ad eorum integritatem, & propter hoc, sicut alij melius dicunt, omnia sequẽtia sunt de substantia formæ, usque ad illa verba, s. in remissionem peccatorum (inclusiuè.) Ex quibus uerbis eandem perplexitatem habemus, utitur. n. uerbo, (aberrat) & non dicit (non conficit) dicit etiam (sunt de substantia) & non dicit (de essentia) cum hæc ualde differant. Et quia eandem rationem assignat, ut Richardus, uidetur cum eo concurrere. Vndè, eius discipuli, non eodem modo eum exponunt. Paludanus enim dist. 8. q. 3. & Capreolus intelligunt, D. T. tenere omnia supradicta esse de essentia, itaque unum relinquendo, Sacerdos non conficeret, & hanc opinionem sequuntur ipsi. Ita etiam Caietanus interpretatur D. T. tamen tali opinioni non consentit, propter rationes prædictas Ioãnes Bacchonus in 4. dist. 8. q. 6. art. 4. & Sotus in 4. dist. 11. q. 1. art. 3. concurrentes cũ Caietano circa opinionem conantur reducere D. T. ad bonum sensum, dicendo D. T. intelligere reliqua uerba esse de substantia, idest integritate formæ, & non de essentia; hæc enim differentia est inter partes essentiales, & integrales; nam essentiales sunt sine quibus res esse non potest; ut hominis partes essentiales, sine quibus homo non est homo, sunt corpus, & anima: sed partes integrales sunt illæ sine quibus res potest esse; licet esset deformis; puta partes integrales hominis sunt manus, brachia, pedes, & similia, sine quibus, adhuc homo esset

Calix quid significet.

D. Thom.

Paludanus.

Gaietatus.

Io. Bacchon.

Sotus.

47 *Pars essentialis, et integralis, quid.*

esset homo, licet deformis: ita in proposito, Patres essentiales formæ consecrationis Sanguinis sunt illa uerba præcisè, sine quibus consecratio non fieret, s. Hic est Calix Sanguinis mei; quia ipse significant totum effectum Sacramenti; forma namque id efficit, quod significat, talia sunt illa præcisè dicta. Reliqua verò sunt de integritate, quia pertinent ad integritatem formæ; per ipsa enim designatur uirtus Sanguinis effusi in passione, qui operatur talem uirtutem in Sacramento: itaque, sine ipsis conficitur Sacramentum. Huius rationem assignat Caietanus, dicens: Græci namque in consecratione Corporis, utuntur hac forma, s. Hoc est Corpus meum, quod pro uobis frangitur in remissionem peccatorum: ut à Paulo Apostolo acceperunt. Quę uerba Paulus affirmat ad Cor. 11. Christum dixisse, asserens: Hoc est Corpus meum, quod pro uobis tradetur. Quæ uerba adiuncta, cum ab Ecclesia Latina non dicantur, argumentum est, ꝙ non sunt de essentia formæ, quamuis à Christo dicta sint. Pari mòdo dicitur: ea, quę adiuncta sunt in forma Sanguinis, non sunt de essentia, quamuis à Christo dicta sint, ut testantur Euangelistę.

Alex de Ales. Bonauent. Durandus. Gabriel.

Huius sententiæ est & Alexander de Ales, 4. p. q. 33. Bonauentura dist. 8. art. 1. q. 2. Durandus ead. dist. q. 2. art. 2. Gabriel Biel, in Can. Missæ, lectiones 31. & 52. Quæ opinio est magis communis, & rationabilior. Verumtamen in re tanti momenti non est despicienda sententia Scoti dicentis: Cum non sit traditum nobis certitudinaliter, an consecrationem Sanguinis pertineant aliqua alia uerba, tamquam absolutè necessaria, post illud uerbum (Sanguinis mei) periculosum esset asserere illud determinatè, de quo sufficiens auctoritas, & ratio nō habetur: & illud ignorare periculosum non est, maximè cum Ecclesia Latina omnia illa uerba assignet pro forma consecrationis Sanguinis, literis rubeis, ad distinctionem aliorum, quæ certò non pertinent ad formam. Itaque, in casu proposito cautè procedendum est: scilicet, si Sacerdos propter aliquod accidens, non dixisset totam formam, ut scripta traditur, tunc Sāguis non esset adorandus, nisi sub conditione: nec opus est, dicit ipse, ut forma repetatur sub cōditione in casu dubio, sicut in Baptismo: quia Baptismus est Sacramentum necessitatis: sed in casu nostro sufficeret, ut illæ species sumerentur à Sacerdote post communionem in sua Missa reuerenter, & conditionaliter. Hæc uerba Scoti, quamuis pro serenitate conscientiarum scrupulosorum hominum sint amplectenda, indigent aliquali consideratione; primò fateor, nos non habere sufficientem auctoritatem, qua negotium claresceret. Nec S. Conc. Trid. de hac re distinctè loquitur: sed supponit consuetudinem Ecclesiæ, quę utitur pro forma omnibus prædictis uerbis: ut per traditiones patrum accepit. Secundò, dico, ꝙ instantia facta de forma Græcorum, est ratio sufficiens ad concludendum, non omnia uerba posita in forma Sanguinis, esse de essentia, ut uidistis, quæ forma Gręcorum si Scoto innotuisset, aliter certè dixisset. Et ꝙ Ecclesia assgnauerit omnia dicta uerba in rubeo, pro forma, nō sequitur ꝑꝑ hoc, oīa esse de essētia, seu de integritate, ratione, qua suprà; ut etiam apud Græcos forma Corporis continet aliqua uerba non pertinentia ad essentiam. Tertiò, si aliquis scrupulosus tali rationi non aquiesceret, sua consultatio non placet circa hoc, s. non repetere formam pro securitate: sed Sanguinem adorare sub conditione, & ita sumere, in casu, quo succederet, non omnia dicta uerba pro forma assignata, à Sacerdote dicta fuisse; quamuis enim nō fuerit necessarium ratione iam dicta: tamen non apparet usque huc, quin non possit repeti; quia non īuenio prohibitum, sicut in Sacramento Baptismi, & Confirmationis: in illis enim cū imprimatur character, sacrilegium esset formam reiterare, nisi propter necessitatem Baptismi, in dubio conditionaliter illa repeteretur; sed in Consecratione, cum

non

non fiat talis impressio, non accidit inconueniens, super hostiam consecratam, & maximè ex causa, formam repetere: quod videtur permitti ab Ecclesia in ordinatione sacerdotum: qui recitando canonem, omnes intendunt consecrare, vt dicitur in Pontificali Romano: & tamen impossibile est, dum sunt multi ordinati, ut simul omnes in eodem instanti firment verba Canonis. Hoc dico propter scrupulosos, qui non acquiescunt rationi.

Nota vnum, quod asserit Franciscus de Mairone, in 4. d.8.q.1. art.4. scilicet, quod nesciens, quæ sunt verba præcisa consecrationis, crederet tamen omnia cõcurrere ad consecrationem, si dicit ea cum tali intentione, scilicet, se intendere conficere cum illis verbis, quæ in hoc ordinat Ecclesia, tunc verè conficit, quãuis nesciat determinatè quæ sint illa: Et consequenter, si tenet, & credit omnia esse de essentia, & tali intentione ea dicit, non se remittendo intentioni Ecclesiæ, si forte aliquod illorum deficit, non consecrat, quamuis illud in rei veritate non sit de essentia, quia deficit recta intentio eius, quę, ut infrà dicetur, requiritur in hoc Sacramento. Hinc prudens Sacerdos aduertat, ne se inuoluat his varijs Doctorum conceptibus, in illo actu consecrandi, sed simpliciter facere intendat, quod ordinat Ecclesia. Hæc autem dicta sint, non ut animus Sacerdotis se implicet in his difficultatibus, sed vt sciat, quid resoluendum sit in casu, quo facta consecratione, aliquod supradictorum verborum defuerit.

Nota. Franc. de Mairon.

Admonitio Sacerdotis cõsecrantis.

49 Multa alia circa hanc partem de transubstantiatione huius miraculosi, & mirabilis Sacramenti dici possent, quæ potius pertinent ad solos scholasticos, quibus tantum satisfacere non intendo, ideò pertranseo. Dico (miraculosi) sunt enim hic, multa credenda, eo quod sunt cursui naturæ contraria, & intellectu difficillima, ut in parte uidistis; propter quæ requiritur magna fides: hic.n. sunt multo plura credenda, quam in alijs Sacramentis, & articulis fidei, propterea Ecclesia ordinauit, ut in sumptione huius dignissimi Sacramenti, præmitteretur illa verba Centurionis. Matth. 8. scilicet: Domine non sum dignus, &c. qui inter cetera de fide à Christo fuit commendatus. Dico etiam (mirabilis) nam inter cętera diuinæ pietatis opera, & beneficia nobis præstita, hoc fuit mirabile, scilicet, institutio huius Sacramenti, quod excedit humanam considerationem: ex quo quisque in prædicando, & contemplando deficit; ideo ait profeta: Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors, & miserator Dominus, escam dedit timentibus se. Itaque, cum omni humilitate, & timore præsupposita fide certissima, absque temeritate scrutandi pelagum Diuinę sapientię, quiescamus in his quę dicta sunt conformia Sanctis Patribus, & Orthodoxis Doctoribus, à quibus discedere non intendo.

Domine non sum dignus, quare dicatur à communicante.

De erroribus circa prolationem Formæ.

50 QVæritur modo, an aliqua variatio in verbis formarum prædictarum, impediat effectum Consecrationis? Ad hoc dicitur, suppositis primo, quę dicta sunt, circa variationem formę baptismi, pro quibus vide ibi, ꝙ variatio erit circa mutationem substantialem, per verba sinonima, idest idem significantia, puta, loco (Sanguis) nos dicimus (calix) quod idem significat, ut dictum est suprà; uel per verba alterius idiomatis, puta profert verba Gręca, aut Hebraica idem significantia, tunc talis uariatio non impedit effectum Consecrationis.

secrationis. Si autem mutatio erit per verba disparata; puta loco, Corpus dicat, Vestem, & loco meũ, dicat, tuum, vel Petri, & simile; tunc clarum est, quòd non consecret. Si variatio erit circa mutationem quantitatiuam, hoc accidet dupliciter, scilicet, vel addendo, vel minuendo. Si addendo, vel in principio, vel in medio, aut in fine; & hoc modo si verba erunt determinantia, vel explicantia formam, tunc vbicunque ponantur, non impediunt quin consecratio fiat. Puta dicendo, Accipite, & comedite ex hoc omnes deuotè, & reuerenter, Hoc est enim Corpus meum. Vel dicendo: Hoc quod videtis, est Corpus meũ; vel Hoc est Corpus meum, quod traxi de Maria Vergine, & simile dicat; quia hæc verba non corrumpunt sensum formę. Idem dicendum, si verba erunt impertinentia, non repugnantia verbis consecrationis, puta, tacete, Hoc est enim Corpus meum. Videte ne contemnatis unum de pusillis istis, vel simile quid dicatur. Quæ etsi pertineant ad consecrationem; tamen non destruunt sensum formæ; Sed si illa verba addita repugnarent sensui formæ, puta dicendo: Hoc non est Corpus meum; vel, Hoc est enim Corpus meum phantasticum, uel simile; tunc non conficeret: quia talia verba destruunt sensuũ formæ. Si minuendo, tunc subtrahendo aliquid essentiale formę, ut iam dictũ est, non conficit, etsi illud quod subtrahitur non erit de verbis essentialibus, tunc verè consecraret, quamuis grauiter peccaret, quę sint talia, ut suprà dictum est. Si verò variatio erit secundum qualitatem; mutatio fieri potest in modo proferendi verba, scilicet, proferendo illa incongruè, quod accidere potest, vel defectu linguę, dicendo, Hic est Corpus, vel imperitia, dicendo: Hoc est Corpum meum, aut Corpos meus: vel simile quid, & tunc talis variatio non impedit consecrationem; sic enim audiens concipit sensum verborum, quantum ad verum significatum: & si variatio esset talis, quòd ex illis verbis non posset intelligi, quid significetur per illam orationem; dicendo: Hoc erit Corporis meus, vel simile, non conficeret. & si loco, Hoc, diceret, Hic aduerbialiter, est Corpus meum; mutando sensum à Christo positum, & intentum, tunc neque conficeret, & ita in similib. Quantum postea ad mutationem localem, scilicet, transponendo verba, ante, & retrò; si talis transmutatio non destruit sensum verborum: puta dicendo, Corpus meum est hoc, vel Hoc est meum Corpus, vel simile; non impeditur consecratio; ait enim Arist. Verba transposita idem significant. Si autem variatio, & transpositio talis esset, quæ sensum destruet, tunc impediretur consecratio, in quibus casibus est valde mirandum, si acciderent.

Nota. Nota si in prolatione formæ interueniret aliqua breuis mora, tussiendo, vel spuendo, vel aliquod breue verbum dicendo, puta: Hoc est, enim (tacete) deinde sequatur, Corpus meum, non per hoc impeditur consecratio. Si autem inter prolationem verborum interponeretur aliqua longa mora; vel in medio ponerentur multa verba, nunc incipienda est iterum forma alias non consecraret, illa enim mora interrumpit sensum consecrationis. Et quod dictum est de forma consecrationis Corporis; est etiam intelligendum de forma consecrationis Sanguinis.

Nota. Nota Secundò, quòd omnia hæc supradicta fieri possunt, vel inaduertenter, vel scienter, seu aliqua crassa ignorantia aut negligentia. Si fiunt inaduertenter, erit veniale; si crassa ignorantia, & negligentia, peccaret mortaliter. Si scienter, vel imprudenter tantum, & tunc conficeret quidem, si error non esset in essentialibus, sed grauiter peccaret; vel cum quadam temeritate, intendens inducere aliquem errorem, vel quod peius est, hęresim, tunc non conficeret omninò, ait Alexander de Ales, quamuis verba, quę diceret, non essent de se talia. Et si diceres: Dominus dedit virtutem transubstantiatiuã his verbis, ut iacent,

ergo

ergò quomodocunque varientur, amittunt virtutem consecrandi: Respondet prædictus Alexander. Dominus dedit virtutem huic formæ, & non aliæ. Vnde quomodocunque varietur, si remanet idem sensus verus dictę formę, semper dicetur eadem forma: Qui sensus attendendus est, secundum accommodationem vsus, & hoc sufficit; Si autem sensus varietur, non dicetur eadem forma: & si intentio alium ritum introducere uult, tunc non conficit, quia deficit vera intentio, quę necessariò requiritur, ut infrà dicetur. Vnde ait Innocentius, de officio Missæ. Sanè fecit Dominus hominem rectum: ipse autem se miscuit infinitis quęstionibus, quæ quandoque magis subuertunt animum, quam ędificant.

De Ministro huius Sacramenti:

Dictum est (à Sacerdote prolatis) ad significandum causam efficientem, instrumentalem, & ministerialem. Super quo est valde aduertendum, quòd minister huius Sacramenti non potest esse nisi Sacerdos ritè ordinatus vnde canit Ecclesia: Cuius officium committi voluit, solis presbyteris, quibus sic congruit, ut sumant, & dent ceteris. Hæc autem veritas aliter probari non potest, nisi auctoritate Sanctę Romanæ Ecclesię, ut habetur Can. Pręlatis, dist. 25. ubi Isidorus habet hęc verba: Ad presbyterum pertinet Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini in altario Dei consecrare. Et in cap. Firmiter, de Summa Trinitate, & fide Catholica. Et in Concil Florentino; ac denique, in Concil. Trid. Sess. 22. Can. 2. in quibus habetur, solis Presbyteris collatam esse facultatem consecrandi. Itaque, si alius, quam Sacerdos hoc Sacramentum conficere attentaret (licet haberet omnia alia requisita) nullo pacto consecraret. Quomodo autem detur Ordo Sacerdotalis, & quibus verbis conferatur potestas consecrandi, & quomodo intelligatur ritè ordinatus in Sacramento Ordinis, Deo duce dicetur inferius. 51 *Sequitur Diffinitio.*

Quæritur autem hic, an prauus Sacerdos hoc Sacramentum conficere queat? Respondet Scotus dist. 13. q. 2. quod de Ministro conficiente hoc Sacramentum dupliciter loqui possumus, vel an possit simpliciter conficere, vel an possit ordinatè conficere. *Dubiũ de prauitate Ministri.*

Quantum ad primum, ait Magister dist. 13. si nomine praui, intelligere uelis Sacerdotes peccatores, & malæ uitæ, utique hoc Sacramentum conficiunt; nam ad simpliciter conficiendum, tria requiruntur ex parte Magistri, scilicet quòd sit Sacerdos (ut dictum est suprà) quòd possit verba proferre; mutus. n. Sacerdos conficere non valet, propter defectum linguę; & tertiò, qui possit habere intentionem debitam faciendi, quod Ecclesia intendit: de qua intentione inferius dicemus Deo fauente: Et notanter dixi (possit habere) propter Sacerdotes, dementes, & carentes usu rationis, qui talem intentionem habere non possunt, & consequenter non possunt conficere. Itaque, dum habeant hæc tria, simpliciter conficere valent: quia peccata, effectum Consecrationis non impediunt. Dicit enim August. in lib. de Corpore Domini, & habetur 1. q. 1. Can. Intra Catholicam Ecclesiam, in ministerio Corporis & Sanguinis Domini, nihil à bono maius, nihil à malo minus perficitur sacerdote, quia non in merito consecrantis, sed in uerbo perficitur creatoris, & virtute Spiritussancti. Huic sententiæ omnes Doctores concordant: quia res est clara. Si autem nomine praui, intelligere uelis illos, qui aliqua pœna Canonica, uel Censura sunt innodati, ait di- *Sacerdotes.* 52 *Peccata non impediant effectum Consecrationis.*

ctus Magister quo suprà, tales non conficere; Rationem assignat dicens: nullus Sacerdos in ipsa Consecratione, dicit (Offero) sed (Offerimus) quasi in persona Ecclesiæ, & ideò cum illi tales sint extra Ecclesiam non possunt hoc Sacramentum perficere, licet alia Sacramenta ministrando perficerent.

53 *Censura non impedit effectum Consecrationis.*

Sed ista opinio Magistri quantum ad hoc, non tenetur: ideo cum Richardo, dist. 13. Scoto, Francisco de Mairone, ead. dist. & D. Th. quæst. 82. art. 7. respondemus, quòd verè conficiunt: quoniam, dum isti ordinati fuerunt: aut erant intra gremium Ecclesię, & secundum eius statuta ritè ordines acceperunt: deinde per excommunicationem, vel aliam Censuram pręcisi sunt, & tunc, cum rectè facultatem consecrandi susceperint, effectus consecrationis per hęc non impeditur, quamuis non rectè utantur; quia contra ordinationem Ecclesiæ illam exercent: Vnde peccant mortaliter, & efficiuntur irregulares. Aut dum ordinati fuerunt, erant extra gremium Ecclesiæ, quia præcisi, si fuerunt ritè ordinati, verè potestatem consecrandi acceperunt, sed peccant grauius, quam prædicti. Probatur, quòd potestatem acceperunt: dicit enim August. in lib. 2. contra Parmenianum. Aliud est, aliquid omninò non habere; & aliud est, illud non rectè habere: & similiter aliud est, non dare, & aliud non rectè dare. Et quòd potestatem habeant, subdit ibidem: Cum redeunt ad unitatem Ecclesię, non reordinantur, sed recipiuntur in suis ordinibus, signum est, quòd ordines verè acceperunt. Probatur quòd peccant grauiter, nam non rectè potestatem accipiunt, nec illam exercent, qui contra ordinationem Ecclesiæ cohibentis taliter accipientes, faciunt. Ad rationem Magistri respondetur: Sacerdos dicit (Offerimus) quia in orationibus loquimur in persona Ecclesiæ, sed dum consecrat, loquitur in persona Christi, cuius uicem gerit per Ordinis potestatem, quam non amittit per censuras, & pœnas, sed impeditur usus, ne Ordinis potestatem exerceat: & ideò contrafaciendo, peccat quidem, sed conficit.

Dubium de degradatione, an impediat consecrationem.

Difficultas quæ magis afficit, est, an Degradatio impediat effectum Consecrationis, propterea, quod Iuristę tenent Degradatum non conficere, nam in forma degradationis hoc exprimitur: aufertur enim ei gradus Sacerdotij, & remittitur seculo, & ita habetur tanquam secularis: itaque, si hæc priuatio extenderetur quo ad vsum tantum, & non quo ad ordinem, Degradatio non adderet aliquid suprà excommunicationem. Vnde glo. super Can. Accedens, dist. 50. sequens Raimundum, dicit, quòd Degradatus non conficit, quia omnem potestatem amisit, & omni priuilegio Clericali caret. Sed oppositum est verum: nā ut aiunt omnes Theologi: potestas consecrandi pertinet ad characterem Sacerdotalem, qui cum sit indelebilis, eius effectus auferri non potest, per quamcunque pœnam Canonicam, sicut ipse amitti non potest, sed impediri. Vnde August. lib. 2. contra Parmenianū, & habetur Can. Quod quidam, 1. q. 1. Disputans contra quosdam, concludit, talem potestatem non amitti per Degradationem. Et confirmatur: nam si potestas amitteretur, Papa remittendo Degradato omnem pœnam, & culpam, prout remittere potest, eum ad iteratam ordinationem licentiare posset, quod dicere, absurdum est: quod si non potest, ergo non amisit ordines. Ad rationem Glossæ respondet Scotus, quo supra. Priuilegium Clericale non esse Ordini ita essentiale, ut sine vno alterum stare non possit, legitur enim, quandoque Sacerdotem fuisse sine tali priuilegio, scilicet antequam à Constantino Imperatore concessum fuisset.

Opinio Legistarum.

Opinio Theologorum.

54 *Priuilegia clericis data fuerunt à Cōstantino Imperat.*

Præterea, priuilegiū Clericale consistit in hoc, ut Sacerdos iudicari nequeat à Iudice seculari, dum autem Papa spoliat aliquem tali priuilegio, commendās eum Curiæ seculari, tunc Iudex non acquirit proprium ius super Degradatum, sed efficitur minister, & executor Iudicis Ecclesiastici, quia nullus alius, quam

Iudex

Iudex Ecclesiasticus potest eum committere Iudici seculari. Itaque non spoliatur suo priuilegio omninò, sed suspenditur, & ita tenendum est, nam Iuristæ non attingunt fundamenta S. Theologiæ.

Quantum ad secundum, scilicet, quæ requirantur, ut possit ordinatè conficere, idest, sine peccato mortali, posterius dicetur, dum de Sacrificio Missæ agemus.

Dicto de Ministro consecrationis: Quæritur modo de Ministro dispensationis. Ad quod dicitur: Solis presbyteris de iure conuenit hoc sacrificium dispensare populo. Probatur iure, per Can. Peruenit, de Consecratione, dist. 2 ubi reprehenduntur quidam Sacerdotes, qui per Laicos, Corpus Christi ad infirmos mittebant, de quo abstinere ibidem eisdem præcipitur sub pœna depositionis. Quòd etiam sit conueniens, probatur per D. T. quo suprà, art. 3. triplici ratione: Prima est. Sicut Christus in Cęna suum Corpus consecrauit, & Discipulis tradidit, ita etiam Sacerdos, qui in persona Christi consecrat, ipsum imitando, Sacramentum dispensare debet. Secundò, cum Sacerdos constituitur medius inter Deum, & hominê, sicut ad eum pertinet dona, & oblationes populi Deo offerre, ita dona Dei populo tradere. 55

Tertiò cum Sacramentum sit res sacra, non debet tangi, nisi à re sacra, vnde, sicut Corporalia, Calices, & similia, Corpus tangentia consecrantur, ita non debet tractari, nisi per manus sacratas, quæ sunt Sacerdotis, præterquam in casu necessitatis, ait D. T. dum caderet in terram, uel simile, aut porrigendum esset infirmo, & Sacerdos non adesset. Nec obstat instantia, quæ fieri posset de Oza tangente Arcam Domini, dum claudicabat, qui cecidit mortuus, ut legitur 2. Regum cap. 6. Nam Deus strictè iusserat, ne alius, quam de sola stirpe Leui Arcam tangeret, sed ipse sine necessitate ausu temerario tangens, condemnatus fuit, ne alij tantam licentiam sumerent, tempore illius legis seueræ; sed in lege Euangelica non ita seuerè procedit Deus: temeritas magna tunc esset, quando aliquis, præter Sacerdotem, sine necessitate hoc attentaret. Verumtamen, Diacono ex officio competit Sanguinem in calice dispensare, ut in sua ordinatione apparet, & legitur de beato Laurentio, qui Beato Pontifici Sixto dixit: Vtrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici Sanguinis dispensationem ut in primitiua Ecclesia obseruabatur; nunc autê non est in consuetudine populum sub vtraque specie communicare: Quare autem hoc, posterius dicetur: hoc autem fuit concessum, quia Sacerdos non poterat toti populo, qui communionem frequentabat, utrumque porrigere: Vnde conueniês fuit Leuitæ, qui est Sacerdoti propinquus, & eius minister, ut in hoc eum adiuuaret. Nec ratio hæc ualet de Corpore, sicut de Sanguine, quia Sanguis porrigebatur in calice, Corpus autem tangi manibus oportebat, quod extrà necessitatem fieri non poterat, ratione iam dicta, & hoc iussu Episcopi, uel Parochi.

De Causa Finali huius Sacramenti.

Dictum est (cum debita intentione prolatis) nam in hoc Sacramento requiritur intentio consecrandi, quæ intentio concurrit essentialiter, sicut in alijs Sacramentis, ut in Conc. Flor. declaratum est. 56 *Dubium de intẽtione Ministri conficientis.*

Sed hic dubitatur, cum intentio celebrantis multa respicere possit, tamquam obiecta, circa quę fertur eius actio; quęritur modo, quid consecrans intendere debeat? Secundò, cum intentio possit esse triplex, scilicet actualis, uirtualis,

3. *Corollar.* & habitualis: quæritur, quæ istarum necessaria sit? Ad primum dicitur, quòd sufficit Ministro tam huius Sacramenti, quam alterius cuiuscunque, ut intendat facere; quod facit Ecclesia, seu facere præcepit. Sed nunquid teneatur conformari intentioni Ecclesię Romanæ? nam Græci non habent intentionem faciendi, quod facit Ecclesia Romana, & tamen conficiunt. Dico, quo ad ritum, & cęremonias, vnusquisque tenetur obseruare ritum, & ordinem Ecclesiæ suæ, sub pœna peccati mortalis, sed quo ad intentionem, sufficit habere intentionem uniuersalem faciendi, quod facit Ecclesia vniuersalis in communi, idest facere, quod fecit Christus, & Ecclesiæ faciendum mandauit.

Imperitia Sacerdotum circa intentionem. Sed hic urgentius quæritur, sunt enim multi Sacerdotes simplices, & imperiti, qui talem intentionem formaliter nunquam habuerunt, nec ante, nec in actu consecrationis, scilicet, cogitare, quòd in illo actu debemus habere intentionē Christi; immò nesciunt, quid sit habere intentionem Christi, & Ecclesiæ in illo actu. Quid ergo dicendum? Respondent aliqui, quòd duplex intentio concurrit ad consecrationem; Vna interior, mentalis; quod est cogitare in actu cōsecrationis, se imitari Christum, qui hoc Sacramentum instituit, & ita fieri mādauit; Altera est exterior, uerbalis; quod est, applicare formam super materiam debitam, idest, proferre illa uerba Consecrationis tantum. Dicunt ergò, quòd sufficit intentio illa exterior, siue mentalis, nam Minister, cum non sit agens principale, sed merum instrumentum, non opus habet, ut illam mentalē intentionem habeat faciendi, quod Christus fecit, & Ecclesia intendit, sed sufficit, ut habet solam intentionem exteriorem proferendi uerba formæ super materiam; tunc enim habetur intentio Ecclesiæ. Hanc opinionem refutat Durandus, dist. 6. q. 2. Adrianus, & Sotus, quo suprà: nam si nil aliud requireretur, ut isti dicunt; frustra Doctores laborarent in probando, quòd preter formam, & materiam, requiratur intentio Ministri; est enim illa consecratio actio humana, ab instrumento humano producta; & ideò conformari debet principali agenti: hoc autem fieri non potest sine mentali intentione, ut ait D. Th. quo supra, ad 1. & 2. argumentum. Sed difficultas est, quòd Sacerdotes imperiti non valent tantum penetrare, ergò dicemus, quod non consecrant; Respondet Sotus in 4. dist. 1. q. 5. art. 8. non opus esse ut Sacerdos semper habeat illam actualem intentionem ita formaliter, & distinctè faciendi, quod Christus fecit, & Ecclesia mandat, puta, dum dicit; Accepit panem, ipse accipit hostiam in manu sua, & dum dicit eleuatis oculis ad Deum, &c. ipse eleuat oculos, & dum dicit, benedixit, ac fregit, ipse benedicit, & similia; opus non est, dico ut semper actualiter cogitet, cum ista facit, ita Christum fecisse, & eum imitari; deberet utique semper cogitare actualiter illos actus, quibus Christum imitatur in consecratione: ad hunc enim finem Ecclesia illos posuit, ut fiant, & cum attentione fiant. Sed non est ita necessaria illa actualis intentio, ut si non semper habeatur, Sacerdos non consecraret; sed sufficit habere illam in confuso in qua illa distincta includitur, uerbi gratia. Si quis ordinem Sacerdotalem suscipit hac intentione, ut sit Sacerdos, & minister Christi, & Ecclesię: deinde celebraret cū intentione perficiendi, quidquid Ecclesia iubet, & ita continuat, in qua continuatione postea factum positiuum non habet, scilicet non cogitat actualiter se uelle ministrare, ut Ecclesia iubet; tamen nunquam habuit actum contrarium, idest putauit, aut cogitauit se velle consecrare, & facere aliter, quam Ecclesia præcipit; hęc consuetudo; sic continuata facit, ut quoties consecrare intendit, censeatur facere, quod Ecclesia facit. Qui autem hanc cogitationem nunquam habuit, nec sic in confuso saltem continuauit; uæ illi, & qui eum ad talem ordinem approbauit.

Vna opinio. *Refutatur opinio.* *Altera opinio.*

Ad

57

Ad secundum pro resolutione nota primò, quod intentio actualis, est: dum quis actu uoluntatis elicito, cogitat actualiter, aduertit id, quod facit, tam in principio, quã in medio, & fine. Puta aliquis uisitat Ecclesias Romæ pro lucrandis indulgentijs, passim cogitat super id, quod ambulando facere intendit. Intentio habitualis est, dum, quis ex multis actibus frequentatis habet habitũ quendam derelictum ex illis, quo faciliter inclinatur ad faciendum similes actus, quamuis de illis nec cogitet, nec ex aliquo tempore cogitauit. Intentio uirtualis est media inter habitualem, & actualem: & est, dum quis incipiens facere aliquid actualiter cogitat de illo faciendo; postea distrahitur ab illa actuali intentione, dum operatur, cogitando alia; tamen actio illa adhuc continuatur uirtute illius actualis intentionis, quam habuit in principio operationis: unde talis operatio sic continuata, dicitur dependere ab illa actuali operationis intentione in principio habita, cuius uirtute operatur: puta, quis proponit uisitare Ecclesias Romæ propter stationes; incipit ambulare hac intentione, si autem dum orat in Ecclesia non cogitat de Indulgentijs, quę ibi lucrantur à sic uisitatibus dictam Ecclesiam, & orantibus; lucratur indulgentias uirtute primæ intẽtionis, quæ fuit causa proxima ut ille Ecclesias uisitaret: quas non lucraretur, si habuisset solam habitualem intentionem; scilicet erat solitus facere stationes, in quo itinere multa delectabilla uidebat: incipit uisitare Ecclesias ut moris erat, delectando se in aspiciendo illa delectabilia: non habens in principio itineris, nec in medio intentionem ad Indulgentias quę ibi lucrari solent à uisitantibus; iste non lucratur illas; quia sola intentio habitualis non sufficit, quam in aliis itineribus habuerat: non enim dicitur uisitasse Ecclesias propter indulgentias, quamuis fecisset idem iter, ut mos illi erat; quia de illis indulgentijs nunquam cogitauit. Sic dico in proposito; dum Sacerdos uult facere sacrum, non sufficit habere intentionem habitualem illam scilicet quam solitus erat habere, dum alijs uicibus consecrauit, quia illam etiam habuit à tempore, quo factus est sacerdos; immò quando dormit; unde sequeretur, si illa sufficeret dormiendo consecrare posset, si somniando uerba consecrationis proferret super materiam debitam. Et quia actus Sacerdotis est actus humanus, debet esse iudicio deliberatus, cui non sufficit habitus, qui nullam mentis aduertentiam habet circa finem rei, quam facit. Nec intẽtio actualis continua simpliciter est necessaria, esset enim ualdè periculosum, nos ad id obligari: eo quod non semper essemus certi, an consecrauimus, cũ sit impossibile quasi naturæ humanæ illam habere, propter defectum naturæ: quia non est in potestate nostra, firmum intellectum habere, semper ad idem, dum enim uisa, tangimus, phantasmata irruunt, & distrahimur: Deus autem non obligauit nos ad impossibilia, uel saltem nimis difficilia, ut est, non distrahi à prima intẽtione: cum ergo actualis intentio continua propter naturæ defectum haberi non potest, non tenemur illam habere: optimum tamen consilium est, ut conemur, mentem reducere ad actum consecrationis. Relinquitur ergo, ut ait Richard. dist. 6. art. 1. q. 3. & Scotus ead dist. q. 6. & communiter Doctores, ꝙ uirtualis intentio sufficiat: quia alia nõ datur, quando scilicet actualis haberi non potest. Et quamuis D. T. uideatur dicere, q. 64 ar. 8. ad 3. argum. quod sufficit intentio habitualis Caietanus, & Sotus interpretantur eum pro uirtuali, aliter stare non posset eius sententia: quod ex eius modo loquendi colligi potest. Notanter dixi (quando actualis haberi non potest) nam consecrans conari debet ut in actu consecrandi actualem intentionem habet. Quod si propter mentis distractionem, & vacillationem, dum consecrat, ad alia se rapuerit, turbari nõ debet si uirtualem habet, idest si antequam ad sacrum faciendum fuit, actualem intentionem habuit consecrandi, quæ si postea propter distractionem nõ

Intẽtio actualis quid sit.

Intentio habitualis quid sit.

Intentio uirtualis quid sit.

Intentio habitualis non sufficit ad consecrandum.

Intẽtio actualis non est simpliciter necessaria.

Cõsilium optimum.

Intentio uirtualis sufficit

maneat, quidquid postea facit, dicitur fieri uirtute illius primę intentionis habitę, qua mouetur ad sacrum faciendum. Nisi habuerit postea actum contrarium, .i. reuocando illam primam intentionem: quia tunc non maneret amplius uirtualis intentio.

Dubium de attentione uirtuali. Et si quęritur quanta intercapedo temporis requiratur ad conseruandum illam uirtualem intentionem, ad hoc, ut sufficiat: nam si hodie propono, quod mane sacrum faciam, & postea mane nihil cogito de hoc, sed accedo, ut soleo cũ habitu primo, valde distractus, absque eo ut reuocẽ mẽtem ad id, quod facio, aut facere intendo, hæc sola pręparatio non sufficit. Dico igitur, quod requiritur intentio proxima, scilicet, ut eodem mane, dum sacerdos è sua domo discedens accedit ad Ecclesiam, ad sacrum faciendũ, uel dum ad sacristiam se confert, & præparat pro celebrando, actualiter cogitare debet se facturum sacrũ, & consecraturum, ut Ecclesia præcipit, si postea in actu cõsecrationis propter distractionem de alio cogitet, iam sacrum facit uirtute illius prioris intentionis. Itaque requiritur intentio actualis præuia de proximo, quæ moueat membra ad se præparandum; & perficiendum, & non longinqua.

Resolutio cuiusdam dubij. Hic resoluitur quoddam dubium, scilicet, si sacerdos antequam Missam incipiat, aliquas particulas ponat in cornu altaris, uel latere cum intentione, illas consecrandi, una cum hostia; quæ eleuatur, deinde in actu consecrationis, illarum nõ meminit, dicendum est, quod sunt consecratæ uirtute illius primariæ intentionis. Secus si illas sacristia posuisset super altere cum intentione, ut consecrarentur, & sacerdos celebrans id non aduertit, nec tale scit, tunc non erunt consecratæ cum hostia, quia nunquam intentio sacerdotis fuit circa illas ad consecrandum.

De erroribus circa intentionem.

58 *1. Dubium.* Consequenter quæritur de erroribus, qui accidere possunt circa intentionem Sacerdotis. Et primò si Sacerdos intenderet consecrare decem particulas tantum, & ante se haberet duodecim particulas, an essent omnes consecratæ?

Hic error multipliciter accidere potest, & ideo multipliciter respondendum est. Vel habuit intentionem consecrandi decem, quia putabat esse decem, puta intendebat communicare decem moniales, quæsiuit decem particulas, Clericus attulit duodecim, ipse autem illas non numerauit, putans esse decem, tamen omnes intellexerit consecrare, si postea inuentæ sunt duodecim, omnes sunt consecratæ, quia ut ait Durandus, & post eum Syluester, effectus consecrationis sequitur intentionem consecrãtis, & non eius opinionem. Vel intendebat consecrare decem tantum, & non plus, & tunc dico, aut sciebat esse duodecim, aut non, si sciebat, aut designauit illas duas, quas non intendebat consecrare, puta illæ duæ erant aliquãtulum separatæ, uel in superficie, & tunc omnes alię decẽ erunt consecratæ præter illas duas designatas. Aut non designauit illas duas, sed in confuso intendebat decem consecrare, non determinando quas, tunc nulla erit consecrata, quia intentio non debet esse indeterminata, sed distincta. Si non sciebat esse decem, uel duodecim: quod accidere potest: uel quia ipse numerauit decem, & errauit in numerando; uel illę duę fuerunt appositæ ab alio, & ipse nesciebat; si intentio ferebatur ad decem tantum, &

illę

illæ duæ ab alio appositæ erant latentes ex parte, & non subtus alias, & illæ, quas intendebat consecrare erant patentes, illæ decem solum erunt consecratæ. Si uerò omnes duodecim erant patentes ante se, nulla erit consecrata; ratione iam dicta. Item si Sacerdos accedens ad dicendum missam, putans ponere unam hostiam super patena, posuerit duas, de quò non aduertit, usque post consecrationem; si intendebat consecrare simpliciter, quidquid ante se habebat, ambæ erunt consecratæ, si intentio ferebatur ad unam tantum, nulla erit consecrata. Et sic de similibus iudicandum est. Ideo Sacerdos, ut euadat tot errores, qui accidere possunt, in quolibet casu aduertere debet, ne intentionem suam limitatam habeat ad numerum determinatum; sed semper intendat consecrare, quod ante se patenter habet. Dico (patenter) si enim clericus apponeret aliquam particulam, seu hostiam sub corporali, uel tobalea, uel ex parte in loco latenti, de quo ipse non aduertit, nec illas uidet; non est de illis curandum, ut suprà dixi. *Admonitio consecrantis.*

Secundò quæritur, si Sacerdos vnam partem hostiæ consecrare intenderet, & non aliam, quæ illarũ esset consecrata? Respondetur, si sunt diuisæ, illa erit consecrata, quam designauit; si sunt continuatæ, aut intentio fertur circa partes indeterminatas in confuso, & tunc nulla erit consecrata, ratione qua suprà; si autem designauit, quam partem, s. dexteram, uel sinistram, uel attentè illas delineauit, tunc illæ erunt consecratæ ad quas intentio determinatè fertur, dicit enim Richard. dist. 10. Verba operantur circa materiam intentam. Idem dicendum circa partes vini separatas, ut sunt guttæ quę adhęrent, uel in pede. Vnde consultum est, ut intentio non feratur ad illas, quia sumi non possunt, non autem circa partes continuas; quia cum semper sint in motu, non posset designari, quam partem uellet consecrare grauiter tamen peccaret, qui tam in hostia, quam in calice hæc facere attentaret. *2. Dubium.*

Tertiò quæritur, an fiet consecratio, si intentio consecrationis feratur conditionaliter super materiam consecrabilem, puta si est tale uinum, ego intendo consecrare aliàs non. Respondeo, si opinabatur consecrare vinum bonũ, quod ipse cum sua ampullina detulerat, tamen intentio circa calicem ferebatur simpliciter, consecratio fit, quia sola opinio non variat intentionem. Si autem profert uerba conditionaliter, intendens propriè non consecrare, nisi uinum suum optimum, quod ipse detulerat, si aliud pro illo in calice positum fuit, non fit consecratio, quamuis Sotus distin. 9. quæst. 1. artic. 2. circa hoc, non se specificat. *3. Dubium.*

De institutione huius Sacramenti.

Sequendo ordinem definitionis, dictum est denique (ex institutione Diuina) ad designandum, quòd Christus instituit hoc Sacramentum, sicut & cetera: quod satis patet ex suprà dictis, & ideò parum est hic immorandum. Dictum est enim in principio; quòd nemo potest Sacramenta instituere, nisi solus Deus, & Christus inquantum Deus auctoritatiue. Dictum est etiam quòd Christus illud instituit in ultima cęna, ut habetur Matth. 26. & Can. Quia corpus, de Consecr. dist. 2. 59

De conuenientia institutionis prædictæ.

VAlde conueniens fuit, hoc Sacramentum instituere, pluribus de causis. Primò ratione continentiæ huius Sacramenti: nam cum discessurus esset ab eis in propria specie, & eos relicturus quantum ad præsentiam corporalem, uoluit eis seipsum relinquere sub specie Sacramentali, ad modum alicuius magni Principis: solet enim Imperator, dum ab aliquo loco discedit, relinquere suam imaginem, quam loco eius uenerari vult, usque ad eius regressum, ita ordinauit Christus, & hoc vsque ad consummationem seculi, quando uenturus est ad iudicandum mundum; quia usque tunc durabit in Ecclesia militanti hoc Sacramentum, ut tenent omnes sancti Patres. Vnde Paulus, 1. Corinth. 11. ait: Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec ueniat, s. ad iudicandum, & ut hoc Sacramentum in Ecclesia vsque tunc perseueraret, ordinauit Apostolis, ut illud conficerent; dando eis potestatem, dicens, hoc facite in meam commemorationem. Et deinceps successoribus Sacerdotibus.

Secundò ratione fidei: nam sine fide passionis Christi, non potest esse salus, & ideo omni tempore, apud homines oportuit exigere aliquod repræsentatiuum Dominicæ passionis, quæ in hoc Sacramento repręsentatur. Vnde dicitur. Recolitur memoria passionis eius. Insuper per hoc Sacramentum fides nostra exaltatur: quanto enim fides est de difficilioribus, tanto magis meremur.

Tertiò conueniens fuit, hoc Sacramentum instituere in ultima cęna, quando erat de hoc mundo transiturus ad Patrem, & eos relicturus propter nimium amorem, & affectionem circa nos: nam quæ vltimò dicuntur ab amicis recedentibus maximè memoriæ mandantur. Vnde Augustinus in libro responsionum ad Ianuarium: Saluator, quo uehementius commendaret ministerij huius altitudinem, ultimum hoc uoluit infigere cordibus, & memorię discipulorum, à quibus ad passionem digressurus erat.

Quartò, ut foueretur unio fidelium in Ecclesia per spiritualem manducationem: nam côueniens erat, ut post regenerationem spiritualem, aliquo cibo spirituali nutriremur, sub similitudine nutrimenti corporalis: quod præcipuè consistit in pane & uino. Et ideo sub signo sensibili, s. sub speciebus panis & uini illud instituit. Insuper, ut sciremus quando Christus est sub tali signo, & quando non, ordinauit, ut sub certæ formæ uerborum prolatione Sacramentũ perficeretur, & hoc non per quemcunque, sed per Sacerdotem: quem uoluit esse excellentem in Ecclesia, per cuius actum ministerialium, Christus inciperet esse nobiscum. De quibus omnibus latius suprà locuti sumus: sed hic sunt quædam uidenda.

60 Primò quęritur, hoc Sacramentum quando, & quo die institutum fuit, dein de quando, dictum est de die, dico, quinta feria, nam hæc dies quadruplici mysterio fuit consecrata, quæ mysticè pertinent ad sumentes hoc Sacramentũ. Primò fuit consecrata mysterio creationis, quinta enim die fuerunt creati pisces in mari, ad designandũ homines actiuos, tanquam in mare in amaritudine pœnitentię pro peccatis, sic morantur, & ad Sacramentum disponuntur. Fuerunt etiam creati aues in aere; ad designandum homines contemplatiuos, qui ad hoc Sacramentum sunt apti. Secundò, mysterio oblationis: nã ut August. lib. 4.

Dubium: de tempore institutionis.

de ci-

de ciuitate Dei dicit, Beata Virgo feria quinta Chriſtum infantem obtulit in templo. Tertiò myſterio conſecrationis, quia tali die fuit conſecratum. Quartò myſterio Aſcenſionis Domini: quia feria quinta aſcendit ad cęlos, ad deſignandum, quod illi, qui dignè hoc Sacramentum ſuſcipiunt, rapiuntur in altum, per contemplationem, & finaliter in cęlum, vbi Chriſtus præſentia manet corporali. Et nota, quòd Iuppiter, à quo hæc dies habet nomen, ſignificat planetam 55
benignum; ad denotandum benignitatem Chriſti circa nos, in tradendo hoc Sacramentum, vt & nos ad tale myſterium non accedamus ſine beneuolentia, & benignitate circa proximum: vnde dicitur vinculum charitatis.

Dubium de hora diei.

Secundò quæritur, qua hora diei fuit myſterium? dicitur hora Completorii, quæ hora quadruplici myſterio fuit decorata. Primo myſterio creationis: quia mundus in declinatione diei fuit creatus. Vnde textus Ex factum eſt veſpere, & mane dies vnus. Secundò myſterio virginalis ſalutationis: nam de ſero Virgo Maria fuit ab Angelo ſalutata, & myſterium incarnationis inchoatum: quando homo de paradiſo fuit expulſus. Tertiò, myſterio conſecrationis, ut dictũ eſt. Quartò myſterio Dominicæ ſepulturæ: quia eadem hora fuit ſepultus. *Gen. 1.*

Dubiũ de loco inſtitutionis

Tertiò quæritur ubi fuerit inſtitutum? Dicitur, in Hieruſalem: ibi enim fuit præparata cœna Marci 14.

Dubium de figuris quibus fuit figuratũ.

Quartò quæritur, quibus figuris præcipuè fuerit figuratũ. Dicitur quadruplici. Primo oblationem Melchiſedech Gen. 14 nam alii offerebant boues, & alia animalia; ſed iſte obtulit panem, & vinum: ideò Chriſtus dicitur Sacerdos, ſecundum ordinem Melchiſedech, quia in hac figura ſignificabatur ueritas ſacramenti. Secundo eſu mannæ in deſerto: quæ cum eſſet dulcis, & delectabilis dignè manducantibus, & ſtomachoſa indignis, ſignificabat effectus huius Sacramenti, ſcilicet gratiam refocillationis animæ dignè ſumentibus, & pernitiem indignis. Tertio, eſu Agni Paſchalis Exodi 12. Qui immolabatur hac eadem hora, quia fuit Sacramentum inſtitutum, ut ubi deſineret figura, inciperet figuratum quod figura repræſentat, ut ſicut Hebræi poſt eſum Agni typici, fuerunt liberati à ſeruitute Ægyptiaca, ita nos, per ſumptionem huius Sacramenti, liberamur à ſeruitute Dæmonis. Quartò, eſu Panis ſubcineritii Eliæ: qui ſicut in fortitudine cibi illius ambulauit uſque ad montem Dei Oreb, ita nos, in fine vitæ, dignè ſumendo hoc Sacramentum, ambulamus ad cælum, virtute illius gratiæ.

61
Dubium de nominibus huius Sacramenti.

Quintò quæritur, quibus nominibus nominetur? Dicitur quattuor: ſecundũ quattuor figuras ſupra recitatas: dicitur enim Communio, quia per ipſum cõmunicamur Chriſto, participando eius carnem, & Deitatem: ac etiam communicamur, & unimur ad inuicem, quod ſignificatur per panem, & vinum; ſicut enim ex multis granis, vnus panis efficitur: & ex multis racemis vinum conſluit: ita per hoc Sacramentum, unum ſumus in Chriſto omnes, qui de uno pane, & de vno calice participamus. Secundò, dicitur Euchariſtia: quod Latinè dicitur, bona gratia: quia per ipſum recreamur, & ſentimus dulcedinem ſpiritualem, quod ſignificatur per mannam. Tertiò, dicitur Sacrificium, inquantum eſt memoratiuum paſſionis Dominicæ, quæ fuit uerum Sacrificium: quod fuit figuratum per agnum typicum. Quartò, dicitur Viaticum, inquantum uiam nobis parat ad patriam cæleſtem, quod ſignificatur per panem ſubcineritium Eliæ, ut dictum eſt.

Dubium de dignitatibus huius Sacramenti.

Sextò quęritur, quibus dignitatibus ſit adornatum? Dicitur quattuor. Prima eſt ſolennitas perſonarum, quæ ibi ſunt per concomitantiam, ut ſuprà dictum eſt. Secunda eſt præſentia Angelorum. Vnde Gregorius in homilia Paſchali ait: Nullus fidelium dubitet, quòd in illa hora, qua Sacerdos profert verba, aperiantur Cæli, & ibi aſſiſtant ſancti Angeli. Tertia eſt pręſentia ſanctarũ

anima-

animarum. Vnde Hieronymus contra Vigilantium, qui asserebat reliquias sanctorum non esse adorandas, ait immò sunt adorandæ, quia sequuntur Agnum, quocunque ierit. Quarta est præsentia corporum glorificatorum; si enim sunt ibi animæ sanctorum, consequenter dicendum est; ibi etiam esse corpora illorum, qui surrexerunt cum Christo ad immortalem vitam : & ut legitur de Beata Virgine: nec mirum, si sit præsens simul in diuersis locis, ubi inuenitur Sacramentum: nam qui facit, ut idem Corpus Christi sit in diuersis locis simul, non deferendo cęlum, potest facere, ut eius mater sit secum in dictis locis, non relinquendo paradisum: vt suprà probauimus. Septimò quęritur, quibus miraculus fuerit sublimatum? Dicitur quattuor. Primum est substantialis conuersio, quę dicitur transubstantiatio, ut suprà declarauimus. Secundum est totalis conuersio in Corpus pręexistens. Tertium est, loci multiplicatio Quartum est, modus mirabilis existendi, scilicet, quomodo contineatur integrum sub parua hostia, de quibus satis suprà dictum est. Dico (satis) quo ad nos, non quo ad ea, quę dici deberent, & possent. Octauò quęritur, quibus donis fuerit dotatum? Dicitur quattuor. Primũ est plenitudo gratiarum, nam omnia alia Sacramenta continent gratiam limitatam, hoc autem continet plenitudinem donorum, & gratiarum, quia in eo est fons gratiarum. Secundum est remissio uenialium, & mortalium oblitorum. Tertiũ est, remissio pœnę purgatorij, dum pro illis animabus celebratur. Quartũ est accumulatio promissionum, & pręmiorum in cælo. Quę dona supradicta, cum pertineat ad effectum huius Sacramenti: ideo exactius inquirendo, de eius effectibus dicamus, prout pertinent ad causam finalem extrinsecam.

Dubium de miraculis.

De donis huius Sacramenti.

De effectibus huius Sacramenti.

VNaquęque res, teste Aristotele, ut aliàs dixi, consideratur, uel quo ad essentiam, uel quo ad annexa. Dictum est supra, quantum fas erat, scire parochos, de his, quę pertinent ad essentiam huius Sacramenti; consequens est nũc, dicere de his, quę annectuntur, & sequuntur ipsum sacramentum. Et primo de effectibus eius. Secundo de sumentibus.

62 Quantum ad primum est notandum, quòd aliud est loqui de effectu huius Sacramenti in se, & aliud de effectu, quem facit circa sumentem. Alia namque Sacramenta, cum consistant in fieri, & vsu eorundem tantum, producunt suum effectum in suscipientem dispositum dum applicantur, & perficiuntur. Hoc autem cum sit permanens, consistit in sola consecratione materię, & in hoc perficitur: quamuis nullus subsequatur vsus, & dispensatio, & secundum hoc, proprius effectus prędicti Sacramenti, est Corpus, & Sãguis Christi, quod est Res, & Sacramentum, ut suprà dicebamus. Qui effectus potius dicendus est effectus consecrationis, secundum rigorem sermonis, quam Sacramenti, aliud enim est consecratio, & aliud est Sacramentum, & de hoc effectu dictum est suprà. Sed quantum ad effectus, quos operatur circa sumentes, dum ipsis sumentibus dispensantur, hoc est, quod inquiritur.

1. notandum.

Effectus Consecrationis.

Secundò est notandum, quòd effectus Sacramentorum nouę legis, ut in principio diximus, est gratia Sacramentalis: quę quantum ad substantiã eius; eadẽ est in omnibus, quantum ad id, quod operatur sumentibus sacramẽta est diuersa: secundum. n. ꝙ diuersa Sacramenta ad diuersos fines ordinantur, ita gratia Sacramentalis diuersos effectus producit. Verum omnia alia Sacramenta habẽt ali-

2. notandum.

aliquem effectum particularem, & limitatum. Hoc autem, cum contineat auctorem Sacramentorum, & fontē gratiarum, confert cumulatiorem gratiam, idest diuersos effectus producit in sumente ipsum.

Tertiò notandum, quod licet hoc Sacramentum causet diuersos effectus in sumente, ut dictum est, tamen inter omnes, vnus pręcipuus, & principalis est, ad quem principaliter ordinatum est. Ideo quærendum est primo, an per hoc Sacramentum conferatur gratia, & quæ principaliter: deinde, de reliquis effectibus dicendum est. *3 Notandū.*

Sacramentum hoc confert gratiam, vt cætera Sacramenta, & cumulationem aliis, multiplici ratione. Primò ratione continentiæ: quoniam continet Christum, qui dum uisibiliter mundo apparuit, sicut ei vitam gratiæ contulit: iuxta illud Ioannis 1. Gratia, & veritas per Iesum Christum facta est, ita dum Sacramentaliter in hominem ingreditur, eandem gratiam operatur in anima, iuxta illud Ioannis 6. Qui manducat me, viuet propter me. Secundò, ratione repræsentationis, scilicet passionis Christi: quem enim effectum, videlicet redemptionis fecit in toto mundo, quantum ad sufficientiam, facit digne sumenti, quantum ad efficatiam. Vnde Dominus, dum Apostolos communicauit, ait: Hic est Sanguis meus, qui pro uobis effundetur, in remissionem peccatorum. Tertio, ratione significationis, qua designatur gratia unitatis fidelium, ut ex ipsis speciebus intelligitur; in quibus hoc Sacramentū fidelibus traditur: nā sicut ex multis granis vnus panis efficitur, & ex multis racemis vnum uinum resultat, ita p hoc Sacramētum, quod est vinculum unitatis, omnes sumus unum in Christo. Vnde August. super Io. 6. Dominus noster Corpus, & Sanguinem suum in eis rebus commendauit, quę ex multis, ad vnum aliquod rediguntur. Quartò, ratione usus & modi dispensandi, scilicet, sub forma cibi, & potus. Dicit enim ipse Dominus. Caro mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus. Itaque omnes effectus, quos facit cibus materialis corpori nostro, facit iste cibus spiritualis animæ nostræ, & iste est proprius, & principalis effectus, ad quem ordinatur hoc Sacramentum, scilicet, ut per eius sumptionem, anima sustentetur in virtutibus, & deuotione: ac etiam reparetur, quod per laxitudinem spiritus, de prædictis deperditum esset: immò augeantur de bono in melius. & denique recreetur ipsa anima, per quandam delectationem spiritualem: quam sentit. Vnde D. Ambrosius in lib. de Sacramēto ait: Hic est panis vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit. *Hoc Sacramentum nutrit animā.*

Verum hic nota, quod secunda, & tertia ratione prędicta, hoc Sacramentum habet conferre primam gratiam, dum tamen sumitur in voto. Quod accidit quando homo baptizatur, uel quando post multa peccata cōmissa cōuertitur ad Deū, nam licet prima gratia acquiretur in baptismo, tamen nemo illam suscipere potest, nisi habeat hoc Sacramentum in uoto proprio, si est adultus: uel uoto Ecclesiæ, si est paruulus. Baptismus enim ordinatur ad hoc Sacramentum tanquam ad eius finem, iuxta illud Ioan. 16. Nisi manducaueritis carnem filii hominis nō habebitis vitam in uobis. Sic etiam, dum homo uiuificatur, nisi habeat in sua conuersione, hoc Sacramentum in uoto, nunquam dicetur verè cōtritus: per quam contritionem recuperatur gratia per peccatum amissa. Sed prima, & quarta ratione, hoc Sacramentum, per se, habet conferre augmentum gratiæ illis, qui dignè illud in re sumunt; supponitur enim, quod homo accedat in gratia, ad digne sumendum hoc Sacramentum, iuxta illud Pauli 1. Corinth. 11. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Dico (per se) nam per accidens in re sumptum, potest conferre primam gratiam, dum scilicet aliquis accedit ad communionem attritus, putans se esse cōtritum, dictum est enim in prima parte Summę, & dicetur hic, in materia de pęnitentia, *Nota. Confert augmentum gratia. Confert primam gratiā.*

nitentia, Deo duce: quod attritio est dolor de peccatis, non propter Deum; quem offendit, sed propter pœnas Inferni, vel temporales, quas Deus ob peccata infligit. Hæc autem attritio est duplex. Vna dicitur attritio nota, & est per quã quis dolet de peccatis, non quia sibi displicêt, sed quia habent pęnam annexã. Vel quando quis dolet de cõmissis timore pęnæ insufficienter, & cognoscit suã insufficientiam, & illã nõ adiuuat, & hęc attritio nullo modo sufficit, et cũ Sacramento ad remissionem peccatorum, & gratiæ infusionê. Altera dicitur attritio putata contritio, & est, quando quis dolet sufficienter de preteritis propter pęnas inferni, cum proposito non amplius recidiuandi. qui etsi non doleat propter Deum, ut deberet: tamen putat se fecisse quantum ad se spectat, circa detestationem peccatorum, unde iudicat se esse contritum. Hæc attritio, quamuis de se non sufficiat ad acquirendam gratiam, & facere hominem iustificatum, tamen sic dispositus accedens ad Sacramentum Eucharistiæ, suscipit primam gratiam, virtute Sacramenti: Vnde per Sacramenti susceptionem ex attritio fit contritus, vt latius ibi declaramus. Itaque hoc Sacramentum, per se, idest ex eius virtutis efficatia, habet, vt antequam sumatur ex ipsius uoto, vt dictum est, primam gratiam conferat sufficienter dolenti, vt decet: restat postea, vt cum in re suscipitur à taliter dolenti, vt gratia augeatur, & uita spiritualis perficiatur, prima autem gratiam in re sumptum, per accidens confert, idest accidit, ut attritio accedenti, ut dictum est, illam conferat, & iustificaret. Quæ gratia realiter suscipienti collata, dicitur gratia Sacramentalis, idest, quæ datur ex ui Sacramenti.

Attritio nota.

Attritio putata contritio.

Attritus quãdo fiat contritus.

Admonitio Parochorum.

Hinc benè aduertant Parochi, ne ex quacunque leui causa omittant infirmis dare viaticum, eos tali dono defraudando, nisi quando periculũ esset illud euomere, aut aliqua magna irreuerentia resultaret: puta qa demẽs fortiter phreneticaret. Aduertant etiam ne sua negligentia Sacramentum differendo, eos impotentes reddant ad sumendum viaticum; nisi enim hoc Sacramẽtum in re sumatur, fraudatur homo gratia Sacramentali: quæ propriè illi respondet ex ui operis operati, quę est nutritio spiritualis, ut in quarta ratione dictum fuit. Et multo magis aduertere debent, si fortè Sacramentum absolutionis infirmi habere non potuerunt, propter aliquod accidens, ne eum sine uiatico discedere faciãt; dummodò signa contritionis ostenderint, posset enim esse, ut non essent perfectè contriti, sed attriti, ut suprà diximus, quę attritio, cum non sufficiat, sine Sacramento in re, siue absolutionis; siue communionis, ad gratiam iustificantem recuperandam, si taliter descenderent, nõ essent securi de eorum salute; quod si negligentia Parochi acciderit: sanguinem de manu sua Dominus requiret in die Iudicij. Nec sufficit illud Augustini. Crede, & manducasti. Quam sententiam malè intelligentes Parochi, faciunt Sacramẽtum adorare, & osculari, credentes ita ualere, ac si realiter ipsum sumpsissent. dictum enim August. intelligitur, de suscipiente in uoto, ut dictum est. quod uotum sufficit ad satisfaciendum pręcepto de communicando, quando in re facultas suscipiendi haberi nõ potest. Vnde illa adoratio nil aliud confert infirmo adoranti, quam si illud adorasset in Ecclesia. quæ adoratio confert aliquid non ex opere operato, idest ex ui Sacramenti, sed ex opere operantis, idest deuotione, & dispositione adorantis, quę dispositio, si non est sufficiens, ut dixi, sine Sacramento in re cum periculo discedit.

Præseruat à peccatis.

Hoc Sacramentum in re sumptum; vltra prędictos effectus, pręseuerat à peccatis futuris: nam sicut cibus materialis pręseruat corpus à morte corporali, restaurando deperditum, ut possit se sanum conseruare, & auget uirtutem, ut se ab extrinsecis defectibus defendere possit: ita hic cibus spiritualis præseruat animum à morte spirituali, quæ per peccata incurritur, iuxta illud Ioan. 6. Hic

est panis

est panis de cęlo descendens, ut si quis ex ipso manducauerit, non moriatur: quod intelligitur de morte animæ,& fit dupliciter,uel corroborando animam ut se conseruet in gratia,& uirtutibus,ut suprà;uel eam fortificando,ut Dęmonum impulsibus,& tentationibus resistat.

Ex dictis etiam infertur.Sacramentum hoc remittere peccata uenialia, quorum complacentiam non habemus dum illud in re sumimus.Quod,ultra auctoritatem Innoc.in lib.de mysterio missæ dicentis:Hoc Sacramentum uenialia delet,& cauet mortalia;probatur ratione. Dictum est suprà, quod proprius, & principalis effectus huius Sacramenti ex sui natura est, animam nutrire: quia datur per modum cibi. Sicut ergo cibus corporalis, inter cætera, restaurat, quod per actionem naturalis caloris,quotidiè deperditur,ut dictum est: ita hic cibus spiritualis restaurat,quod per calorem concupiscentiæ peccatorum uenialium deperditur de feruore charitatis; peccata enim uenialia, etsi non sint contra charitatem,nec illam extinguant,agunt tamen contra feruorem eius, ut tepidè operetur; & disponitur ad eius extinctionem,quod est dicere: quamuis uenialia habitum charitatis non expellant,sed maneant cum ipso, actum tamen charitatis ita tepefaciunt,ut homo non ita feruenter operetur, & tanta possent esse peccata venialia,Charitatis actus infrigidantia,ut facilè inducerent hominem ad eam amittendam. Et quia sumptio huius Sacramenti restaurando Charitatis actus iam infrigidatos,excitat amoris feruorem,& consequenter uenialia depellit,quorum complacentiam non habemus. Vnde Ambros.in lib.de Sacramento, ait.

Remittit uenialia.

Peccata uenialia disponunt ad mortale.

Iste panis quotidianus sumitur in remedium quotidianæ infirmitatis, quæ sunt peccata uenialia:sine quibus uita humana non ducitur;licet ad tempus, & horam sine omni ueniali existere possimus; sed non semper. Dixi (quorum complacentiam non habemus) quia uenialium potest unum sine alio remitti, sicut homo potest de uno habere displicentiam, & de altero complacentiam; quod euenit, quia peccatum ueniale de se non contrariatur Charitati, sicut mortale. Et quamuis omnia Sacramenta, cum gratia conferant, habeant hoc communiter, scilicet uenialia remittere: quorum complacentiam non inueniunt, ut etiam facit aqua lustralis, benedictio Episcopi, & quædam alia, tñ hoc Sacramentum habet hanc proprietatem,ex sui natura,ut Baptismus, quia regenerat hominem in nouam uitam,ubi nihil infectum relinquit, non autem propter rationes dictas.

Circa quæ dicta,aduerte, quod ego non intelligo, hunc effectum remittendi uenialia,attribui soli feruori charitatis, ut sentiunt aliqui; prout dicunt etiam de aqua lustrali, & benedictione Episcopi, scilicet, quòd delent uenialia propter bonum motum quem habet Christianus in illis;sequeretur enim,quòd Sacramentum,& Sacramentale hoc non haberet uirtute propria: Vnde talis effectus non esset eis attribuendus,possumus enim habere charitatis feruorem absque Sacramento,& bonum motum absque aqua lustrali, dum sumus in gratia; quæ sufficerent ad delenda uenialia.

Sed dico,quòd sicut aqua lustralis ex Ecclesiæ institutione habet, ut uenialia remittat, quorum complacentiam non habemus; quamuis non sine bono motu excitato ab illa; ita hoc Sacramentum sua uirtute potest facere eundẽ effectum,mediante feruore excitato ab illo;& hoc modo non attribuitur feruori, sed Sacramento.

Sed dubium est,an hoc Sacramentũ expellat mortale? Et uidetur,quòd sic, dicit enim Ecclesia in quadam collecta.Hoc Sacramentum sit ablutio scelerũ, quæ scelera sunt peccata mortalia.Oppositum dicit Paulus. Qui accedit indignè,iudicium sibi manducat,& bibit,quod intelligit de peccato mortali, ergo, accedere

accedere cum peccato mortali, non solum non remittitur, sed augetur peccatum. Ad hoc respondetur: si hoc Sacramentum consideretur secundum se, inquantum est instrumentum passionis Christi, quæ passio est fons, & causa remissionis omnium peccatorum, tunc dicitur q̃ habet uirtutem remittendi quęcunque peccata; quia habet uirtutem conferendi primam gratiam, ut dictum est supra. Si autem consideretur per respectum ad sumentem; tunc consideratur dupliciter: vel vt sumatur in uoto: & hoc modo dicendum, ut suprà dictũ est: uel ut sumatur in re, & tunc qui accedit cum conscientia peccati mortalis, non solum non impetrat remissionem, sed grauius peccat. Vnde in lib. de Ecclesiasticis dogmatibus dicitur: Si mens in affectu peccandi est, grauatur magis Eucharistiæ perceptione, quam purificetur, quia propter complacentiã peccati mortalis, cum non uiuat uita spirituali, non potest Christo vniri: quod fit per hoc Sacramentum: unde impeditur à perceptione eius effectus. Si autem accedit in peccato mortali, cuius complacentiam, & affectum peccandi non habet, uel quia de illo non recordatur, uel fortè non est uerè contritus, sed attritus, ut diximus suprà; accedens tamen deuotè, & reuerenter, consequetur gratiam remissionis peccati mortalis.

Ad collectam suprà adductam, dicitur Ecclesia petit pro sceleribus, quorum conscientiam non habemus, uel ut uitemus scelera futura, per contritionem perfectam.

Dubium pulchrum. Et quia dictum est, hoc Sacramentum non remittere illud ueniale peccatum, cuius homo complacentiam habet. Quæritur modo, an tale peccatum impediat prædictos Sacramenti effectus? Respondetur: in hoc Sacramento unum est clarum, circa quæsita: scilicet, accedens ad Sacramentum altaris cum actuali deuotione, & charitatis feruore, quamuis cum multis peccatis venialibus, præteritis tamen, & non confessis, nec eorum meminit: suo spirituali effectu plenario non fraudatur: nam si Sacramentum in re sumptum habet uim illa delere, ut dictum est, multo minus eius effectus ab illis impediri potest. Si autem accedit sine actuali deuotione, sed cum aliqua mentis distractione, & complacentia alicuius peccati uenialis, dubium est, an totalem effectum amittat. *D.Thom.* D.T. dicit, talem defraudari aliqua parte prædictorum effectuum. Et si quæris qua? Respondet: dictum est suprà, quòd hoc Sacramentum, etsi supponat gratiã in sumente, illam tamen auget, & quantum ad habitum, conferendo maiorem gradum gratiæ, & charitatis, & quantum ad actum, reficiendo animam dulcedine, & delectatione diuinæ bonitatis, quibus anima spiritualiter inebriatur.

Per peccatum autem ueniale actualiter inhęrens in sumente, non impeditur hic effectus, scilicet augmentum habitualis gratiæ, & charitatis; quia cum non contrariatur gratiæ, & charitati, non est, cur illas impedire posset: sed tantum illa spiritualis refectio delectationis, & dulcedinis, quę sentiri solet à sumente tollitur: nam cum tale peccatum mentem distrahat ab actuali deuotione, facit, ut hunc effectum impediat. *Caietanus.* Caietanus, putans augmentum gratiæ haberi non posse sine actuali deuotione, qua homo ad illam disponit: dicit, uerba D.T. non esse intelligenda, ut sonant, scilicet statim, quòd homo sumit Sacramentum, semper detur ei illud augmentum: sed quando disponitur per actualem deuotionem: siue dispositio fiat in actu sumptionis, siue post. Itaque accedens mente distractus, non statim augmentum gratiæ suscipit, sed quando postea mentem ad actualem deuotionem reuocat, & si nunquam ueniret ad hunc actum, nunquam illud augmentum suscipiet. Vnde mens D.T. secundum eum est hęc, scilicet quando accedit mente distractus, suscipit quidem augmentum gratiæ; sed habitualiter tantum; reuocando postea mentem, suscipit illud-

met

mer actualiter; hæc est enim differentia inter augmentum gratiæ habitualem, & illam mentis spiritualem refectionem; quod si illa in principio non habetur, per hominis distractionem, quantumcunque postea mens reuocetur, illa non amplius reuocabitur, sed gratia habitualis per subsequentem actualem deuotionem recuperabitur. Probat hoc quidam coniectura ex experientia desumpta: uidemus enim multos Sacerdotes quotidio celebrare, & nihil in uirtutibus, & charitate proficere: itaque si quoties in gratia celebrant, illa augeretur, tanta esset magnitudo gratiæ, & charitatis, quòd esset impossibile, illos non operari magna opera uirtuosa; quia charitas non est ociosa; unde ex feruentissimo charitatis amore; quanto plus crescere gratia, per continuam sumptionē, tanto multo maiora faceret: sed constat, quòd nec intus, nec extra huiusmodi effectus apparent in continuè sumentibus, signum est, quòd nec semper augmentum gratiæ recipiunt: quod aduenit propter prædictam indispositionem: Secundò probatur ratione; nam hoc Sacramentum datur per modum cibi, ut dictum est; ergò non auget, uel nutrit, nisi per modum nutrimenti; hoc autem fieri non potest nisi per actum uitalem illius, qui nutritur: unde sicut corpus non nutritur, nec augetur à cibo materiali, sine actu uitali; ita nec anima nutritur, & augetur ab hoc cibo spirituali, sine actu uitali: actus uitalis animæ est actualis deuotio; ergo si illa non habetur, augmentum gratiæ habitualis haberi non potest.

Sotus contendit, hunc sensum non posse conuenire uerbis D. Th neque ueritati: nam Sacramenta ex se, idest ex opere operato habent, ut per solam susceptionem in re, gratiam, uel eius augmentum conferant, si obex non ponatur ultrà aliud medium operantis, ex eius actu, ergo actualis deuotio non est necessaria ad gratiam habitualem. Secundò, qui per obicem positum, gratiam Sacramentalem in actu applicationis Sacramenti non suscipit; per quantumcunque postea depositionem, & contritionem, illa non reddit: sed si gratia, uel eius augmentum postea aduenit, illa non erit Sacramentalis, quæ ex opere operato Sacramento respondet, sed gratia commmunis correspondens deuotioni, & contritioni operantis, ita in tali casu: ac si antea Sacramentum non suscepisset. *Sotus.*

Tertiò sequitur, quòd Eucharistia tradita dementi, uel stupido, nullum effectum prædictorum in eo causaret, cum actualem deuotionem habere nequeat. Præter hæc multa alia recitat; quæ cum non habeant tantum uim, prætermitto. Verum, quidquid sit de intentione, D. Thom. ad hoc dici pōt. Aliquis dupliciter accedere potest ad susceptionem huius Sacramenti, mente distractus. Vel penitus distractus ex complacentia peccati uenialis, ita ut nullam penitus actualem, nec uirtualem deuotionem habeat, quod euenire solet, dum sacerdos in Sacristia præparans se ad sacrum faciendum, nihil cogitat de Sacramento sumendo, reducendo mentem ad se, nec cogitando, & se disponendo super tam magno mysterio, & sacrificio, quod facturus est, sed semper cum sociis ridet, & garrit: uel omnia accelerat, propter mentis occupationem ad domestica negotia, aut alia, uel aliud facit ex debito, uel mandato, uel lucro, eum excitante ad sacrum faciendum, uel simili. quę omnia arguunt nullam deuotionem inesse. Iste talis, quamuis de nouo non peccet: quia non accedit cum peccato mortali, tamen augmentum gratiæ non suscipit, & si suscipit, est tam exile, & paruum, quod pro nihilo reputatur. non ex defectu Sacramenti, sed suo, cum non se disponat sufficienter ad eius receptionem. Vel accedit quidem distractus propter aliquod ueniale, puta uanagloriatur de uestibus ualde preciosis, uel de modo canendi sonoro, uel legendi punctatim, uel simili; sed cum aliquali deuotione, circa alios actus, iste non fraudatur suo effectu *Autor.*

habituali,

habituali, scilicet augmentum gratię; quamuis illam actualem dulcedinem non habeat, propter illam complacentiam. Et multo magis prædictum effectum suscipiet, si actualis deuotio deficiet solum propter mentis occupationem ad ceremonias quæ fiunt in missa maiori, uel propter timorem astantium, uel simile dummodo habeat uirtualem saltem deuotionem; idest ante se disposuit, & ita dispositus, & deuotus accessit; deinde propter prædicta deficit. Simile accidere potest secularibus; uel alijs non celebrantibus, qui ad Eucharistiam accedunt.

Ad rationes prædictorum respondetur; & primò ad rationes Caietani, quòd illæ sunt uerę in parte, quod scilicet in primo casu possit, dum homo penitus distractus accedit. Dico (in parte) nam fortè si augmentum suscipit, ut opinio ei contraria dicit, illud est tam paruum, quod non sentitur. Et ad replicam, quam facit, scilicet, quòd quantumcunque sit parum, charitas sacerdotis aliquantum creuisset, & in dies deberet esse magna, & in magna opera prorumpere, eo quòd tot annis, singulis ferè diebus in gratia celebrauit. Respondetur qui quotidiè ita distracti (ut dictum est,) accedunt, ita se uenialibus onerat, ut circa feruorem charitatis, qui ex continus celebrationibus crescere deberet, ita tepescunt, ut potius ad deteriora tendat. Ad secundam dicitur, etsi in casu gratiam non augeat, ut opinio tenet; tamen negare non debemus, quin operetur alios effectus in sumente, scilicet quamdam pręseruationem, per modum custodiæ, propter præsentiam Christi in Sacramento, qua ratione etiam phreneticis conceditur. & si detur per modum cibi ad nutriendum, ut dictũ est; tamen sicut cibus materialis non semper auget, sed tantum restaurat deperditum, & præseruat, ne in deterius tendat, ut accidit senibus, propter caloris diminutionem, & cum hoc saluatur ratio nutriendi. ita iste cibus spiritualis, etsi quandoque nõ augeat gratiam, propter diminutionem caloris, & feruoris charitatis, ex complacentia peccati uenialis, tamen recuperat, quod per peccata uenialia remissum est: & pręseruat, ne charitas magis, ac magis tępescat, & ne facilius ad mortalia declinet. Nec similitudo de actu uitali procedit æqualiter circa omnes effectus: nam in corporalibus, actus uitalis est operatio naturalis; ideo cibus sine illo nutrire non potest: sed hoc Sacramentum quod est cibus animæ, ex opere operato habet facere aliquid in anima, sine concursu actualis deuotionis sumentis.

Ad rationes Soti: ex dictis responsio patet: nam, etsi non semper augeat habitum gratiæ in penitus distractis: operatur tamen aliquid aliud; uel si auget, parum est (ut dixi) & in hoc saluatur ratio Sacramenti, scilicet quòd ex opere operato aliquid faciat in sumente.

Dubium an remittat pænã. Dicto de peccatis, quęritur modo de pœna peccati, quæ sequitur culpam: an scilicet hoc Sacramentum tollat pœnam peccato debitam? Respondetur hoc Sacramentum, ut suprà dictum est, habet rationem Sacramenti, & Sacrificij; in quantum est Sacrificium, habet per se uim satisfaciendi pro pęna peccati in his, pro quibus offertur, de quo latius inferius dicendum est. Sed inquantum est Sacramentum, in eo, qui sumit, ex ui Sacramenti non habet uim satisfaciendi, sed spiritualiter nutriendi, per vnionem ad Christum, ad quod, ut dixi, ordinatum est. Verum, quia hęc unio fit per charitatem, ideo ex eius feruore consequitur homo remissionem culpæ, & pœnæ; culpæ, ut dictum est suprà: pœnę autem per quandam concomitantiam, non tamen totius, sed secundum quantitatem feruoris deuotionis. Itaque qui accedit mente penitus distractus, hunc effectum non consequitur. Ideo aduertant sacerdotes, ne nimia fiducia decipiantur, putantes se consequi semper omnes effectus huius Sacramenti, dum mente distracti accedunt: nam ideo

prædicta

prædicta docuimus, ut ab hoc continuo negligentiæ somno excitetur.

Ex dictis etiam sequitur, ut sub ea ratione, qua est sacrificium, prodest non solum offerēti, & sumenti: ueram etiam ijs pro quibus offertur. licet non sumant: quod deducitur ex uerbis Canonis, ubi dicitur. Memento etiam Domine famulorum, famularumque tuarum, pro quibus tibi offerimus, & qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se, suisque omnibus. sed sub ratione, qua est Sacramētum prodest tantum sumentibus, eo modo, quo dictum est.

Per hoc sacramentum adipiscimur gloriam.

Et denique per sumptionem huius Sacramēti, homo finaliter adipiscitur gloriam æternam, iuxta uerborum Domini, Ioan. 6. Si quis manducauerit ex hoc pane, uiuet in æternum. In hoc enim Sacramento sumitur Christus uerus Deus, & uerus homo, qui operatus est nostram salutem, per suam Sanctissimam passionem, quæ repræsentatur in hoc Sacramento, per quam aperuit nobis aditum uitę æternæ. Iuxta illud Pauli ad Hebręos 9. Et ideo noui testamenti mediator est, ut morte intercedente, qui uocati sunt æternæ hereditatis, accipiant repromissionem æternę hæreditatis, cuius hæreditatis æternæ unitas charitatis significata per species panis, & uini, habetur imperfectè in hoc seculo, ut quædam arrha, per realem huius Sacramenti manducationem. Vnde Augustinus super illa uerba Ioan. Caro mea uerè est cibus, ait: Cum cibo, & potu id appetant homines, ut non esuriant, neque sitiant, hoc ueraciter nō præstat, nisi ille cibus, & potus, qui eos, à quibus sumitur, immortales, & incorruptibiles facit in societate sanctorum, ubi pax erit, & unitas plena, atque perfecta. Si de effectib. huius Sacramenti plura desideras, uide D. Tho. q. 79. ubi plenè de hoc loquitur, quamuis non eodem ordine.

Admonitio ad sumendu[m]

Si ergò hoc Sacramentum dignissimum tot operatur effectus in sumente, homo fidelis cur ita piger, & negligens circa accessum ad altare, & mensa[m] huius nectaris se ostendit? in qua cibus tam salubris, tamque prestans paratur, cur non frequentat hanc mensam, qui quotidie reparatione, & refectione indiget? Et si quandoque uidemus prædictos effectus non operari in sumente: hoc accidit ex eius mala dispositione: eo qđ nō se præparat, ut debet: Vnde August. super illis uerbis. Aliud est Sacramentum, aliud est uirtus Sacramenti, ait: Multi de altari percipiunt, & accipiendo moriuntur; panem ergo cælestem manducate, & innocētiam ad altare apportate. Sed quid laudabilius sit, hoc Sacramentum sumendo frequentare, an à sumptione quandoque cessare, & abstinere. Ad cuius Augustini quæsitum antequam respondeamus, de conditionibus sumentium dicamus.

De sumentibus hoc Sacramentum.

63 *Quid sit melius quotidie mãducare an abstinere.*

Antequam de sumentibus hoc Sacramentum tractemus, operæ pretium est dicere quibus modis manducatur, ut materia faciliteter. Ad quod dicimus, ut Magister dist. 9. ait: In hoc Sacramento tria cōsiderantur. Vnum, quod est Sacramentum tantum. Alterum, quòd est Sacramentum, & Res. Aliud quod est Res, & non Sacramentum. Sacramentū tantum sunt species uisibiles panis, & uini. Sacramentum, & res sunt Caro, & Sanguis Christi contenti sub illis speciebus. Res tātum, & non Sacramētū; est Corpus Christi mysticū, Ecclesiæ unitatem significans. Can. Cum Marthę, de Celebrat. Missarū. Tripliciter igitur consideratum hoc Sacramentum, tripliciter etiam manducari potest: Vno modo Sacramentaliter tantum: dum, si quis sumit realiter species illas, sub

Qui manducent Sacramẽtaliter tãtum, & qui Spiritualiter tantum.

quibus realiter continetur uera Caro, & sanguis Christi. Et hoc modo, omnes realiter manducant hoc Sacramentum, siue boni, siue mali, indifferenter Sacramentaliter manducant. Altero modo manducatur spiritualiter tantum, dum. s. Christianus manet in unitate Ecclesiæ, credendo omnia, quæ Ecclesia Romana docet; quam unitatem hoc Sacramentum significat.

Tertio modo manducatur Sacramentaliter, simul & spiritualiter, dum fidelis homo, illud realiter sumens, fructus eius suscipit, per quæ incorporatur Christo.

Sacramentaliter, & spiritualiter qui manducent.

Hic autem quæretur, qui sunt isti, qui Sacramentaliter, simul & spiritualiter comedunt? Respondetur; qui cum ueste nuptiali ad hoc conuiuium accedunt, idest, qui in fide formata, & Charitate perfecta cõtriti, confessi, & absoluti, humiliter, & deuotè ad altare accedunt; sumunt enim realiter Sacramentum, & eius fructus. Hæc enim manducatio, ait Richardus, dist. 9. art. 1. q. 2. manducanti dat uitam gratiæ, Charitatem inflammat, passionem Christi ad memoriam reuocat, quadam spirituali recreatione, & dulcedine recreat, ad resistendum contra tentationes Dæmonum, & insultus ardoris concupiscentiæ uires roborat, ad bonum spirituale operandum animam sustentat, peccata uenialia, & quandoque mortalia purgat, ut suprà dictum est. Quæ omnia operatur in dignè sumente, prout significata sunt per illos duodecim fructus ligni uitæ, ut legitur Apocal. de quibus dicuntur hi uersus.

Vestis nuptialis quid sit.

Inflammat, Memorat, Sustentat, Roborat, Auget.
Hostia Spem, purgat, Reficit, Vitam dat, & unit.
Confirmatque fidem, Munit, Fomitemque repellit.

Qui manducent spiritualiter tantum.

Qui sunt illi, qui spiritualiter tantum comedunt? Respondetur, qui manent in charitate, & per Charitatem in unitate Ecclesiæ, fide uiua, quæ per dilectionem operatur, & uoto edẽdi illum cælestem panem; per quę omnia fructus, & utilitatem sentiunt, quantum ad aliquos effectus, ut supra dictum est. Vnde Augustinus, distinguens spiritualem manducationem à Sacramentali, ait. Vt quid paras uentrem, & dentem, crede, & manducasti. Itaque non manducans manducat, & manducans non manducat. Dico, non manducans Sacramentaliter, si manet in fide uiua, ut dixi, manducat spiritualiter; quia effectum Sacramenti habet. s. remissionem peccatorum.

Dico, Manducat Sacramentaliter tantum, idest cum peccato mortali, ut dicetur, non manducat spiritualiter, quia effectum Sacramenti non suscipit, immò peior efficitur, quia sumit ad pernitiem; non quia Sacramentum malum sit; sed quia malus male accipit, quod bonum est.

Qui manducant Sacramentaliter tãtum.

Qui sunt illi, qui tantũ Sacramẽtaliter accipiunt, & malè? Respondetur, sunt homines Christiani, qui manent in peccato mortali; quamuis enim accipiant Corpus Christi sub illis speciebus Sacramentalibus, non tamen consequitur fructus eius. Vnde Beatus Gregorius. Est quidem in peccatoribus, & indignè sumẽtibus uera Christi Caro, & uerus Sanguis, sed essentia, non salubri efficientia. Et August. Quid est Christum manducare? non est solum in Sacramento Corpus eius accipere, multi enim indignè accipiũt. Ait enim Apostolus qui mãducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit Per quod datur intelligi; quã cauendum sit, malè accipere bonum, quod enim de se bonum est, sumenti malũ efficitur, dum malè accipitur. Dixi (sunt homines qui manducant) per quod nõ intelligere uolo quòd animal brutum non manducet materialiter, ut aliqui sentiunt cum Glo. in Can. Accesserunt, de Consecrat. dist. 2. dicentes, statim quòd corpus Christi intrat in os muris, uel canis, desinit esse ibi: hoc enim falsum est. nam Christus instituit, & promisit Ecclesiæ, ut donec illæ species durãt, & nõ corrumpuntur, semper corpus suum manere sub illis speciebus, ut suprà notauimus

uimus. Itaque dum brutum manducat, masticat, deglutit, & in stomachum mittit illas species, semper corpus Christi esse in stomacho intelligendũ est, donec species digerantur. Nec mirum ait D.T.q.80.ar.3.ad argum. si Christus hoc permittat, qui uoluit à peccatoribus crucifigi absque detrimento suæ dignitatis. Sed debet intelligi, ꝙ brutum non manducat Sacramentaliter, idest sub ratione, qua est Sacramentum; sed sumit materialiter, idest sumit id, quod est sacramentum, s. corpus Christi simpliciter. sicut manducaret etiam multas particulas consecratas, qui nesciret illas esse consecratas. Itaque homo tantum, dum scit Hostiam esse consecratam, sumens, Sacramentaliter sumit.

Hoc enim aduerbium (Sacramentaliter) ait Richardus, dist. 9. art. 1. q. 2. magis propriè determinat sumptionem per comparationem ad sumentem, quam ad rem sumptam. Dixi quoque (Christiani) nam eadem ratione Gentilis, aut Iudæus, non credens huic Sacramento, manducans hostiam consecratam, putãs esse panem, sumeret quidem Sacramentum, idest Corpus Christi, nõ tamen Sacramentaliter: nisi intenderet facere, quod facit, & confert Ecclesia Catholica, ait D.T. Dixi denique (existens in peccato mortali) pro quo nota, ꝙ aliquem existere in peccato mortali tripliciter intelligi potest. Primò in actu, dum, s. accedit cum conscientia, idest complacentia peccati mortalis, quia non solũ non pœnitet peccasse, sed neque proponit peccatum relinquere.

Sacramẽtaliter sumere qd importet.

Existere in peccato mortali quomodo intelligatur.

Secundò, dum accedit absque conscientia peccati mortalis præteriti, tamen de illo non pœnitet, nec unquam pœnituit, uel quia id ignorat, aut nõ recolit. Tertiò dum accedit cum peccato, de quo est contritus, sed non confessus, idest pœnitet de peccato præterito: non tñ de illo est confessus, nec absolutus. Quantum ad primum, clarum est, ꝙ sic accedens, peccat mortaliter, tanquam sacrilegus, & uiolator Sacramenti: hoc enim Sacramentum significat unionem corporis mystici, per fidem formatam, quam non habet existens in mortali.

Quantum ad secundum, dupliciter homo accidere potest ad Sacramentum sine conscientia peccati mortalis; uel quia nõ recolit: & hoc aut culpa sua, quia nullam diligentiam fecit in examinando conscientiã suam, & tunc peccat mortaliter, licet non tantum, quantum primus, tenetur enim ut præcipit S. Conc. Trid. diligentem examinationem facere, circa examinationem suæ conscientiæ, & recordationem peccatorum mortalium, iuxta illud Apostoli. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat: Si autem diligentiam fecit quantum possibilitas humanæ fragilitatis patitur, & de illis, quæ memoriæ non occurrunt, dolet in generali: non peccat communicando, immò uirtute Sacramenti talia peccata delentur, ut suprà dictum est. Vel accedit cum peccato mortali, sine conscientia eius, de quo non est confessus, quia ignorat illud esse mortale: & tunc si ignorantia est iuris, circa ea, quę scire tenetur secundum suam professionem, & conditionem, taliter accedens peccat mortaliter, quia talis ignorantia non excusat. Si autem est ignorantia facti, puta accesserat ad non suam, putans esse suam, ut accessit Iacob, uel simile: tunc excusatur à mortali, taliter ad Sacramentum accedens. De hac ignorantia, quando excusat, & quando non, exactè locuti sumus in prima parte Summę Confes. Quantum ad tertium, dico, quantuncunque homo sit contritus, non debet accedere ad communionem antequam confiteatur mortalia, & absoluatur; nisi in casu necessitatis, & copia confessoris haberi non potest, puta, si est Sacerdos & opus habet celebrare, & non habet copiam confessoris, hoc idem dico, si post confessionem, antequam communicet, recordatur de aliquo peccato mortali, quod propter obliuionem reliquit confiteri, puta dum Sacerdos indutus ad celebrandum, occurrit habere conscientiam de aliquo mortali oblito, tenetur prius confiteri, et si non habet qui confiteatur, honestè se retrahat, si sine

ſcandalo fieri poteſt: ſin autem ſcandalum daret ſe retrahendo, poteſt exire ad celebrandum,cum intentione confitendi ſtatim,poſt ſacrum factum,tam in primo,quam in ſecundo caſu,ut docet Sacrum Concilium Trid.ſeſſ.13.c 7. Si aũt eſt ſecularis,uel Sacerdos non celebraturus,debet expectare commoditatẽ confeſſoris,etiam ſi præceptum urgeret, & ſi dum eſſet in præcinctu cõmunicandi, coram Sacerdote, recordaretur de aliquo mortali oblito: ſi non poteſt ſine ſcandalo retrahi,communicet, cum propoſito confitendi poſtea quam primũ. In omni alio caſu nullatenus licet,propter decretum Conc.prędicti. Debet igitur homo accedere cum magna reuerentia, & habere in memoria præceptum Apoſtoli,ut dictum eſt.

64 *Dubiũ quando hoc Sacramentum denegari debeat petentibus.*

Quæritur modo,an Sacerdos denegare debeat hoc Sacramentum omni peccatori petenti,ita ut dando peccet mortaliter? Ad hoc dico multa. Et primò,ut communiter aiunt Doctores,& ſignanter D.Tho.q.80 art. 6. Publicis peccatoribus in peccato perſeuerantibus nullatenus dari debet,etiam in mortis articulo,& multo magis ſi accedunt ad Altare tempore pręcepti 2. Sed dubium eſt, qui ſint publici peccatores? Reſpondet D.T.quo ſuprà,qui ex facti euidentia, uel iudicio,uel ſententia ſiue ex curia ſeculari,ſiue Eccleſiaſtica pro talibus habentur,ut ſunt publici Vſurarij,Raptores, Concubinarij, Fornicarij, Meretrices,& ſimiles publici peccatores. Et de ſententiatis,uel conuictis, uel in iudicio confeſſis, non eſt difficultas; ſed ambiguitas eſt de illis, qui ex clamore populi pro talibus habentur: non enim in iſtis dàri poteſt regula certa: unde & Doctores variè loquuntur, circa eſſe famoſum, & notorium. Vnde breuiter dico, quòd non ſufficit in caſu ad iudicandum aliquod eſſe publicum, & notorium, numerus dicentium, qui ſufficeret ad decidendas cauſas Curiales, ſed ſtandum eſt iudicio prudentum, numerus namque decem hominium in Villa, uel parua Parochia ſufficeret ad iudicandum eſſe notorium, ſed in Ciuitate non ſufficeret. Deinde; ut de crimine ſit fama publica, & non rumor incertus: nec ſufficit, ut ſit in ore plebeorum licentiosè loquentium, ſed uirorum fide dignorum; & in dubio obſeruanda eſt regula iuris, ſcilicet, melior eſt conditio poſſidentis, uidelicet, quamdiu aliquis conſeruat ſuam famam, & non ſe prodet, non pro malo habendus, ut ab iſta communione arceatur.

Publici peccatores qui sũt.

Hyſtriones. Magi. Malefici.

Secundò,non debet dari Hyſtrionibus,& Scenicis illis,dico,qui de hac arte uiuunt,& profeſſionem faciunt.Can.Pro dilectione,de Conſec.d.2. Nec dari debet Magis,Maleficis,Sortilegis,Diuinatoribus,& ſimilibus,donec pęnituerint, & Eccleſiæ ſatisfecerint.Can. Scenicis,ead. diſtinct. Tertiò,nec dari debet Excommunicatis, Sciſmaticis, Apoſtatis, Suſpenſis, & Interdictis, intellige quo ad hoc, propter ſignificatum Sacramenti, quod eſt unio cum Chriſto,& uinculum, ut dictum eſt:tales enim ſunt membra præciſa à corpore Eccleſiæ. Itaque iſtis, & ſimilibus eſt denegandum in publico, & in ſecreto. Sed quibus non eſt denegandum? Dico, peccatoribus occultis; pro quo nota. Si occultus peccator non petit; non eſt inducendus,ut communicet, etiam ſi pręceptum urgeat. Si autem petit, aut in occulto, & tunc ſecundum omnes, eſt ſibi Sacramentum denegandum,ſiue peccatum ſuum ſciat in confeſſione, ſiue extra:quia qui iniuſtè petit,huic iuſtè denegari poteſt,tam in hoc,q̃ ſuperioribus caſibus,ait Durandus,diſt.9.q 5.Vnde Sacerdos talibus ſpontè dans,ſit particeps criminis eorũ.Pręterea,Sacerdos eſt fidelis diſpenſator;unde dignè illud tractare debet; itaque ſi contra Domini pręceptum, dicentis, nolite ſanctum dare canibus, daret, faceret iniuriam Sacro, illud peccatoribus dando. Si uerò petit in publico: puta,ingerit ſe cum aliis ante Altare,tempore communionis; uel petit ore proprio coram aliis: dicunt aliqui, ut Durandus, quòd proprius Parochus tenetur eũ communicare,& nõ prodere,exemplo Chriſti, qui

Cenſuris innodati.

Peccatores occulti.

communi-

communicauit Iudam, ſed ſi non eſt ſuus curatus, poteſt ei denegare Sacramẽtum; quia non tenetur ei, ut curatus; & hoc extrà tempus neceſſitatis, dicendo: non eſt opus nunc cõmunicari, uel ſimile, ne ille prodatur, ſecus ſi urgeret tempus neceſſitatis; puta dum curreret præceptum de communicando, uel articulus mortis; quia tũc tenetur. Sed D. T. loquitur ſimpliciter, ſcilicet, ſiue ſit curatus, ſiue non, ſi publicè petit, non eſt ſibi denegandum; poteſt tamen ſacerdos monere in generali, ut nemo accedat ad tam magnum & honorificum conuiuium ſine ueſte nuptiali, & ſimilia uerba dicere, cap. ſi ſacerdos, de officio Iudicis ordinarii; cui ſententiæ Caietanus, & Sotus conſentiunt: nam Chriſtus non tenebatur cõmunicare Iudam, nec Apoſtolos, & tamen eum cum ceteris communicauit, poſtquam eum monuit in generali. Secundò, non eſt denegandum peccatoribus etiam publicis poſt peractam pęnitentiam, & confeſſionem Sacramentalem, & Eccleſiæ reconciliationẽ, ſi opus erat, Can. Scænicis, de Conſecrat. diſt. 2. Tertiò non eſt denegandum Amentibus, in amentiam incidẽtibus ob infirmitatem, & dum ſani erant deuotionem in hoc ſacramento oſtenderũt. Can. Is qui. 36. q. 6. quod in art. mortis eſt obſeruandum, quamuis per aliquos annos in amentia perſtiterint. Idem dicẽdum de ſtupidis, & patientibus lucida interualla. niſi timeatur periculum irreuerentiæ, uel expuitionis, uel ſimile. Et ſi Canon citatus uideatur loqui de ijs, q nuper in amentiã inciderũt ex infirmitate: ratio tamen eadem eſt omnibus, ut D. T. q. 80. art. 9. exponit; ſecus ſi pręcedentem deuotionem non oſtendit, & creditur eſſe in peccato mortali, ut ait Glo. Ca. Qui recedunt, ead. q. 6. Si autem ſunt amentes à natiuitate, uel pueritia, non eſt eis exhibenda, ait D. T. quo ſuprà, in hoc enim Sacramento requiritur aliqua deuotio actualis, uel præſens, vel ſaltem pręterita, ſed iſti nũquam talem habuerunt, ergo, &c Nec audienda eſt Glo. prędicta in tali caſu, dicens, quod amẽs à natiuitate ſicut poteſt baptizari, ita & Euchariſtiam ſumere: nam baptiſmus eſt Sacramentum neceſſitatis, Euchariſtia minimè, in re, ſed ſufficit uotum ipſius in baptiſmo, ideo nõ eſt par ratio. Vnde de ipſis idem iudicium faciendum eſt, ut de infantibus. Dixi (ſtupidis) qui debilem uſum rationis habent, & aliquo modo docibiles ſunt, unde poſſint habere aliquam deuotionem. Nec deneganda eſt ijs, qui ob infirmitatem obmutuerunt, etiam ſi confiteri non ualent, dummodò ante ex deuotione pœnitentiam, & Euchariſtiam petierint. Can. Is qui, 26. q. 6. ſed nota, niſi aliquod peccatũ in ſpecie ſaltem per ſignum confeſſus fuerit, non eſt Sacramentaliter abſoluendus, ut ex profeſſo in Sacramento pęnitentiæ dixi, ſed generaliter, cum Miſereatur, & Indulgentiam, & ab Excommunicatione ad cautelam, quod bene aduerte. Et ſic intelligenda eſt Gloſ. in Ca. ſupra citato. Nec deneganda quoque erit, ait D. Tho. Arreptitijs; de quibus Caſſianus ait. Iis, qui ab immundis uexantur ſpiritibus communionem ſacroſanctam à ſenioribus noſtris nunquam meminimus interdictam. Niſi forte certum ſit, ait Ioannes Bacchonus, quod pro aliquo crimine à Dęmone uexentur. Non eſt quoq; deneganda damnatis ad patibuli mortem, ſi de omnibus peccatis ſuis puram confeſſionem egerunt, & deuote eam petierunt. Can. Quæſitum, 13. quæſtio. 2. Huius ratio eſt: nemo enim, qui pro peccatis ſuis extremam pœnam ſoluit, debet bis puniri; quamuis hoc in Hiſpania non obſeruetur.

Peccatores publici pœnitentes.

Amentes.

Stupidi.

Suſpendendi.

Sed quid dicendum de pueris? Ad hoc duo dico, primò ut aliqui contendũt in primatiua Eccleſia fuit mos miniſtrandi hoc Sacramentum pueris, nondum habentibus vſum rationis: unde dabant illud liquefactum in uino, alijs dabant ſanguinem, ut facilius poſſet ſumi: mouebantur auctoritate Domini dicentis, Ioan. 6. Niſi manducaueritis carnem filii hominis, &c. quod præceptum intelligebant de manducatione reali, ſicut aliud pręceptum de baptiſmo. Niſi quis

Pueri.

renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, &c. Quem errorem D. Tho. ascribit Grecis, motis auctoritate prædicta, ac sententia Dionysij in libro de Ecclesiastica Hierarchia, hoc præcipientis. Sed quid sit uerius de hoc transeo. Dico tamen, quod sancti patres intelligentes, non esse conueniens, ut quisquam sine ueneratione, & reuerentia sumat sacram Eucharistiam, prohibuerunt hoc: nam inter baptismum & sacram Eucharistiam, non est par ratio, circa necessitatem sumendi: baptismus namque cum sit inchoatio uitæ spiritualis, est simpliciter necessarius, ac etiam cum sit Sacramentum regenerationis contra originale, quod non contrahitur propria uoluntate, satis est, ut per alienam uoluntatem offerentium infantem tanquam mortuum, perficiatur: sed hoc Sacramentum est spiritualis consummatio uitæ, tanquam uiuentium, ideo propriam sumentis uoluntatem requirit. Auctoritas autem Ioan. intelligitur de manducatione spirituali in uoto, ut ait Augustinus, in Epistola ad Bonifacium; nam dum infans baptizatur, fit membrum Christi, & particeps huius Sacramenti in uoto; quod sufficit ad implendum dictum præceptum. Sententia uerò Dionysij loquitur de adultis nuper baptizatis, ut statim communicent. Itaque. Secundo dico, ut docet S. Concilium Trid. Sess. 21. capit. 4. hoc Sacramentum non esse concedendum pueris carentibus usu rationis, quia nulla necessitate obligantur, nisi quando attingunt annos discretionis, Cap. Omnis vtriusque sexus, extra, de poenit. & remiss. Sed quando intelliguntur anni discretionis regula certa dari non potest. Glos. dicit, dum sunt doli capaces. Sed hoc non sufficit: multi enim cognoscunt peccatum, & mysterium Eucharistiæ adhuc non intelligunt: itaque in sumenda communione requiritur longius tempus, & maturius iudicium, quam in confessione: ideo D. T. melius dicit, s. quando pueri habentes iam usum rationis incipiunt habere deuotionem circa hoc Sacramentum, tunc concedi potest, ut sumant ipsum: quod relinquitur iudicio confessoris audientis eum in confessione, quomodo discernit bonum à malo: quæ differentia est in sumendo hunc cibum spiritualem, & alios materiales, & quid in tali Sacramento intelligit; & si nescit hoc, doceat eum, ut intelligat, quid faciat: sum enim expertus aliquos pueros 12. annorum scire rationẽ reddere de hoc Sacramento: & econtra, alios 17. annorum nescire quid in Ecclesia tractetur, dum hostia consecrata à populo sumitur. Vnde confessor dum pueros ad communionem admittere vult, interroget, si hoc mysterium, quo vtuntur fideles intelligunt, quid significet, quid operetur in nobis, & quo fine sumatur, & sciet, si sunt capaces.

Confessores circa communicandos pueros aduertãt.

De non sumentibus.

65 *Qui non debeant ad hoc Sacramẽtum accedere non ieiuni.*

QVi ad hoc conuiuium accedere non debent? Primo non ieiuni, propter Ecclesiæ præceptum. Can. Liquido. de consecrat. dist. 2. quod, ut Augusti. ait, fit ob reuerentiam Sacramenti, ut in stomachum nil aliud prius intret: ac etiã ne ex cibos, & potu prius sumpto, aliquod immineat periculum. Et quamuis Christus auctor huius Sacramenti Apostolos communicauerit post cęnam factam, hoc tamẽ fecit, ait Beda, ut figura præcederet ueritatem figurati, idest prius comederent agnum typicum, quod figurabat hoc Sacramentum. Et ideo post esum agni consecrauit Corpus suum, & discipulis tradidit: nec præcepit, ut deinceps ita facerent. Et si Corinthi, à quibus acceperunt Armæni, & Africani, hunc morem seruauerint, s. communicari post cęnam; hoc tamen facie-

bant, ut refert Vualdensis Tomo 2. de Sacramentis, semel in anno, Die cœnę Domini, ut Dominicam cœnam repręsentarent. Vnde comestibilia ad Ecclesiam portantes, ea cum Sacramento miscebant. De quo Paulus 1. Corint. 11. eos repręhendit, licet super hunc passum multi multa dicant. Itaque ex traditione Apostolorum mos iste communicandi ieiuno uentre, ad uniuersam ecclesiam deriuatus est.

De ieiunio, quod requiritur in sumente.

PRo quo nota, quòd ieiunium est duplex: Vnum dicitur ieiunium Ecclesiæ: & est, quando homo ex Ecclesiæ præcepto semel in die comedit; tunc enim semper dicitur ieiunus, dummodo aliam refectionem in illa die non sumat. Quod ieiunium, cum sit institutum ad carnis macerationem; per aliqua pauca sumpta, quæ non nutriunt, non frangitur. Itaque talis ieiunans, sumendo illo die parum aquæ, vel uini, unum paruum pirum; uel ficum, & simile; ieiunium non frangit. Alterum dicitur ieiunium naturę: & est illud, quod importat priuationem cuiuscunque rei comestibilis, per modum cibi, uel potus, uel etiam medicinæ, licet illud sumptum non nutriat, & de hoc ieiunio loquimur hic. Itaque quantumcunque parum sumeretur de aqua, vino, vel alia re comestibili, de nouo, illud tale ieiunium frangeret ita, ut illa die amplius communicari non posset. Vnde si Sacerdos in die Natalis Domini in prima Missa lotionem sumeret, aut digitos lotos in os mitteret, & aliquid in stomachum descenderet, quod esset alicuius quantitatis, non posset illa die alias Missas celebrare; nam præceptum de tali ieiunio magis urget, quam significatum trium missarum, ut habetur in cap. ex parte, de celebratione Missarum, & ibi Glo. Dixi (quantumcunque parum sumeretur) quod in propria specie in stomachum descenderet; si enim aliquis habens os aridum, uellet abluere os cum aqua, uel vino, ante sumptionem Sacramenti, & de illa aliquid traiiceretur in stomachũ per modum saliuæ factæ in ore, non impediret, nisi esset in quantitate, & antequam facta esset saliua descenderet. Dixi (re comestibili) nam si deglutiret granum milii, aut terræ, uel pulueris, non diceretur frangere tale ieiunium. Dixi etiam (de nouo) nam si ex cœna præterita remansissent aliquæ reliquiæ inter dentes; quæ postea mane ex dentibus reuellerentur, & eas deglutiret, non per hoc impeditur sumptio Sacramenti.

Ieiunium Ecclesiæ.

Ieiunium naturæ.

Si quæritur à quo tẽpore incipiat ieiunium naturæ? Dicitur, à media nocte; tunc enim incipit dies naturalis secundum Ecclesiam Romanam. Itaque si aliquis comederit, uel biberit ante mediã noctem; quamuis mane stomachus maneret repletus, & cibus indigestus, dicitur ieiunus secundum præceptum Ecclesiæ, & potest communicare, etiam sit totam noctem insomnem pertransierit, & nihil dormierit: nihil enim refert ad rationem præcepti ait D. Tho q. 80. art 8. Sotus distinct. 12 q. 1 art 8. somnus, uel indigestio, nisi ex eis mens ualde perturbaretur, ut melius esset abstinere, quod est de consilio; & ita communiter tenetur. Et econtrà, si quis statim post mediam noctem aliquid petierit, aut sumpserit, etiam parum aquæ, licet postea dormierit, & bene digesserit, non intelligitur ieiunus, vt communicare possit. Vnde Glo. in cap. Ex parte, de celebrat. Missarum dicens, non debere communicari, antequam cibus sit digestus, non tenetur: nec Can. quem citat, facit ad suum propositum, ut ibi est uidere. Hinc multum oberrant; qui post mediam noctem si potum aquæ sumpserint,

Tempus Ieiunij quando incipiat.

sacrum faciunt, post horam sextæ, putantes, id posse fieri, eo quod aquã tunc digesta satis est. Excipiuntur ab hac regula infirmi, de quorum vita dubitatur, quòd morerentur sine communione, si expectaretur usque mane, quando essent ieiuni: non tamen deberent ad hoc admitti dum pharmacum sumpserunt, uel quando patiuntur uomitum, uel simile periculum euomendi Sacramentum.

Dubium de fragmentis relictis.

Quæritur hic, an Sacerdos, postquam lotus est, habens partem hostiæ palato affixam, quæ descendere non ualet, uel habens aliquas reliquias fragmentorum Calici adhærentes, uel particulam in patena relictam, possit illas sumere, cum non sit ieiunus? Quantum ad primum, Syluester, Verbo, Eucharistia, 3. §. 8. Sotus quo suprà, & Caietanus, in Quodlibeto de Eucharistia dicunt, ꝙ toties Sacerdos, uel alius communicans potest sumere de uino, uel aqua, donec illa particula palato affixa descendat, quod honestius putant hoc, quam digitum in os apponere: nam etsi uinum ante descendat, non tamen prius in os positũ est; aliàs non posset reddi ratio quare liceat in parasceue apponi partem hostię consecratæ in uino non consecrato; nam euenire posset, ut uinum prius descenderet, quam illa particula apposita. Quantum ad secundum, dicit Paludanus, particula calici adhærens, uel patenę, relicta, quantumcunque minima sit, post lotionem sumi non debet, sed alteri ieiuno, uel celebraturo tradi, uel in crastinũ referuari; quia ibi est integrum Corpus Christi: sed hoc intelligi potest dum particula fuerit magna, uel aliqua mora interuenerit. Vnde melius, & distinctius dicendum cum aliis Doctoribus, scilicet, si particula fuerit parua, indifferenter sumi potest; quia tota illa actio reputatur ut vnicus, actus, & vnicum Sacramentũ, & vna perfecta sumptio, quod videtur magis conueniens quam fragmentum illud, maximè si est madefactum in calice, referuare; quod Ecclesiæ ritus id non prohibet, vt in principio Missalis Romani videtur, est enim res, quæ quotidie Sacerdotibus accidere potest. Si autem particula erit magna, tunc relinqui potest in altari, vt alius celebraturus illam sumat; & si non adest qui celebret, reseruetur in loco honesto vsq; in crastinum, vt postea sumi possit. Si verò non adsit locus, vbi decenter seruari posset, puta celebrauit in quadam Ecclesia rurali, vbi nulla adest commoditas, nec septe, nec ignis, vel custodiæ, uel simile, & multo minus in nemore; tunc sumi debet ab eodem etiam post lotionem.

Pollutio in vigilia quando impediat.

Secundò ad hoc conuiuium non debent accedere polluti; pro quo nota, ꝙ pollutio quandoque venire potest in vigilia, propria voluntate procurata; quandoque in somnis pręter voluntatem. Primo modo dupliciter, uel in actu coniugali, licitè operato; & tunc congruum esset, dum homo cõmunicare vult, vt abstineret à propria vxore; uel dum se posuit cũ ea ut à cõmunione abstineret, propter corporalem fœditatem, quę etsi non afficiat Sacramentum, cum sit spirituale, congruit tamen, ob reuerentiam Sacramenti; ac etiam propter mentis distractionem, quę ex delectatione uenerea nascitur quandoque. Ideo in Can. Omnis homo, de Consecrat dist. 2. suadetur, ut quisque à propria uxore abstineat tribus, uel quattuor diebus, ante sacram communionem. Hinc Samuel, dum Dauid petiit panes propositionis, ipsi concedere noluit, nisi pueri essent mundi à contactu mulierum, idest uxore, ut legitur 1. Regum, cap. 21. Dixi (congrum esset) quia ut ait Gregorius in Epistola ad Episcopum Anglorum Si uir cognosceret suam coniugem causa tantum procurandi liberos, uel reddendi debitũ, non teneretur abstinere à sacra communione; quia prohiberi non debet, qui in igne positus ardere nescit. Sed si uoluntatis cupidine raptus, & nimis ardenter eam cognosceret, abstineri debet ad minus per 24. horas; ex quibus uerbis colligitur optimum consilium esse, & non decretum. Ve-

rum si illam illicitè, & sinistrè cognosceret, tunc iudicandus est tanquam fornicarius, ut tunc dicam. Vel pollutio erit illicita, & prohibita, quia peccatum mortale; & tunc postquàm de ipsa contritus, & confessus est, debet ad minus post illum actum abstinere per 24 horas à communione, vt mens magis serena accedat. Verum, ait Nauarrus, c. 21. nu. 51. expectatio non est necessaria de rigore iuris: quia nullibi inuenitur cautum: sed consilium est reuerentiæ, & maioris dispositionis: unde si quis contritus perfectè, & deuotè confessus de tali peccato, sine contemptu, ac mentis distractione, quæ causari posset ab illo actu libidinoso accederet ad mensam Domini, non esset repudiandus. Quod indiscriminatim non concederem, nisi in casu necessitatis: puta si est Sacerdos, ex officio obligatus celebrare, uel astringitur ob aliquam indigentiam, aliàs non. Vel si est secularis, timeretur, ob moram de aliquo periculo peccati, uel scandali, uel non amplius communicandi: quia est discessurus, uel simile: extra istos & similes casus, melius est abstinere. Secundo modo, scilicet in somnis, quadrupliciter accidere potest. Vel Dæmonum illusione, uel turpi præuia cogitatione, uel nimia cibi, & potus sumptione, uel naturæ mala dispositione. In omnibus istis casibus optimum consilium est abstinere, propter corporalem fœditatem, & Sacramenti reuerentiam, ut dictum est. Sed quo ad necessitatem, dico multa. In primo casu potest esse sine peccato, & cum peccato ueniali, uel mortali: nam quandoque pollutio fit ex illusione Dæmonis commouentis phantasmata dormientis, ad talem actum prouocantia: potest enim Dæmon mouere phantasmata dormientis ex sensibus apprehensa, & in fantasia reseruata, & illa componere, puta memini me uidisse aurum, ac etiam aliquem montem, & hæc separatim vnum ab alio: imaginor postea montem aureum, quamuis in facto nō ita inueniatur; & ita de aliis imaginationibus dici potest. Hinc quādoque somniamus fornicari cum tali, uel tali, in quam nunquam talem habuimus affectum in uigilia, ac nunquam desiderauimus, & tunc non erit peccatum, dummodo non sequatur postea complacentia illius actus; sed sola nequitia Demonis id fiat. Quandoque potest esse cum peccato ueniali, scilicet ex præcedenti negligentia in se præparando; & quandoque mortale si in illo actu, vel post adsit complacentia illius somnij, scilicet uellet ita esse, ut somniauit, uel concurrit consensus uoluntatis in illa delectatione. In secundo casu, scilicet ex turpi præuia cogitatione, etiam pollutio tripliciter cōtingere potest, vel speculatiuè, ut accidit Doctori studenti, uel legēti, qui cogitur de talibus rebus venereis cogitare, uel disputare, ex qua cogitatione postea sequitur in somnis: & tunc non erit peccatum. Vel erit cū aliquali affectione concupiscentiæ, quę si fuerit imperfecta, & sine consensu, erit peccatum ueniale; si autem erit cum delectatione morosa, & consensu in rem cogitatam, erit peccatum mortale pollutio inde secuta; quia ex illa cogitatione in vigilia facta remanet quoddam uestigium, & inclinatio in anima, qua dormiens facilius inducitur ad assentiendum actibus suæ imaginationis, ex quibus sequitur pollutio: ita quòd sicut se habuit in uigilia circa cogitationes uenereas, ita in somno se habere uidetur. Vnde in primo Eth. ait Philos. Inquantum paulatim pertranseunt quidam motus à vigilantibus ad dormientes, meliora fiunt phantasmata. In tertio casu similiter esse potest: nam quandoque causa pollutionis erit superfluitas sanguinis in semen resoluti, causata ex nimia sumptione cibi, & potus; & hoc uel simpliciter, & tunc non erit peccatum, uel ex crapula, seu ebrietate; & tunc erit mortale, uel ueniale, prout causa pollutionis. Itaque qui in uigilia causam dedit pollutioni futuræ in somno, erit in tali culpa, qualis iudicabitur causa ipsius, scilicet si ebrietas iudicabitur peccatum ueniale, pollutio inde secuta, erit uenialis: si autem mortale, tunc illa pollutio erit mortalis. Hinc respondetur

Pollutio in somnis quando impediat sumptionem Eucharistiæ.

tur

Voluntarium duplex. tur ad obiectionem,quę hic fieri posset, scilicet. Peccatum intantum erit peccatum,inquantum est uoluntarium; sed quę fiunt in somno non sunt peccata. Respondetur,quòd uoluntarium est duplex: quoddam dicitur uoluntarium in se,dum scilicet aliquid fit actu uoluntatis elicito,uel in sua causa, dum aliquid fit,ex quo postea sequitur illud:pollutio igitur nocturna , etsi non sit uoluntaria in se,potest esse uoluntaria in sua causa,ut dictum est.Vnde D.T.idem iudicium faciendum est de illa,vt de sua causa à qua prouenit. In quarto casu,scilicet dispositione naturę , dupliciter accidere potest , uel ex infirmitate , qua pati quis potest fluxum seminis,uel ex complexione sanguinea, dum ex superabundantia sanguinis,quis facile, & sine aliqua occasione polluitur : & in istis duobus casibus non est peccatum: sicut enim contingit quandoque fluere sanguinem sine peccato, ita & semen , quod est superfluitas sanguinis. Reliqua, quę de pollutione nocturna dici possunt , vide in prima parte nostrę summę, capit.de Luxuria. Reliquum est considerare,quando pollutio nocturna impedit sumptionem Eucharistię, quando scilicet causa illius iudicatur esse peccatum mortale,quia tunc abstinendum est, ac si voluntariè,& ex proposito pollutus esset.

Dubium de complacentia pollutione. Quęritur modo , pro complemento huius capituli , An complacentia , quę haberetur de pollutione,quę causatur ex infirmitate,vel ex superfluitate naturę;uel saltem desiderium,vt illa fieret,absque malo fine , diceretur peccatum ? Aliqui probabilem,putant partem affirmatiuam; alii negatiuam sequuntur indistinctè. Sed melius respondendum cum distinctione, scilicet si loquimur de desiderio ante factum;dico,desiderare naturalem pollutionem, ut concupiscentia,quę per repletionem recalcitrat , hac uia remittatur,& carnis deinde tentationem fugiat:uel desiderare,ut pollutio eueniat,ob sanitatem inde secuturã, uel simile,non est sine culpa mortali. Si autem loquamur de complacentia habita post factum , dico , habere complacentiam non de illo actu libidinoso in se,nec de delectatione formaliter;quia ut sic est mortale, quia contra debitum rationis,& naturę; sed de bono fine inde secuto,non est peccatum . Ratio diuersitatis est,nam in primo casu, licet finis prętensus sit bonus in se , quia tamen prętenditur medio prohibito;ideo tale desiderium est culpabile: sicut enĩ permittere non possumus aliquod malum,ut inde bonum eueniat, multo minus tale desiderium habere. Sed post factum sine culpabili occasione, & sine tali desiderio , uel electione , habere complacentiam de solo fine inde secuto, non est peccatum:non enim approbo illum actum libidinosum,nisi materialiter,sed finem inde secutum,licet medio illo actu;quem non intendebam.

Quęritur secundo,an si quis in uigilia occasionem daret,seu procuraret , ut in nocte pollueretur;deinde antequam dormiret, pœniteret illius procurationis,si hoc non obstante pollutio inde secuta fuerit erit peccatum ? Dicitur , q̃ non,nisi aderit noua complacentia facti:nam occasio unde secuta est,per actũ pœnitentię,& uoluntatis reuocationem,intercisa est.

De frequentatione huius Sacramenti.

66 QVęritur tertiò , an sit melius abstinere , quàm frequentare hoc Sacramentum ? Pro resolutione huius dubii duo sunt consideranda; unum est , ad quid teneamur de pręcepto , circa sumptionẽ eius,alterum est, ad quid teneamur de consilio.

Quan-

Quantum ad primum, cum duo sint præcepta unum scilicet diuinum, alterum humanum, idest Ecclesiasticum, de ambobus est inquirendum. Quantum ad præceptum Diuinum, tenent aliqui, nos non teneri de necessitate salutis ad communicandum sacramentaliter. Et auctoritates, quæ de hoc loquuntur, intelligi debent de manducatione spirituali. Sed melius est dicendum, cum D.T.q.80.ar.11. quē sequitur Durandus, dist. 8.q.2. Paludanus dist.9.q.1.& Sotus dist.12.q.1.ar.11. Ratio huius est, nam Christus Ioan. 6. expressè pręcipit. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in nobis. Sed isti exponunt de manducatione spirituali, hoc est de fide tantum circa hoc Sacramentum, scilicet, tunc hoc præceptum adimplemus, dum credimus, iuxta illud Augustini, & crede & manducasti.

An præcepto diuino teneamur communicare.

Hæc autem expositio vana est; nam in prologo Concilij Ephesini aduersus Nestorium, habentur hæc verba, s. Nisi manducaueritis, &c. quę citantur in sensu de manducatione Sacramentali, uel in re, uel saltem in uoto: Et iam in vniuersum conceditur, quod hæc spiritualis mãducatio includit votum sumendi illum in re, nisi enim uotum tale includeret, non esset saluti hominum proficuum; est ergo de necessitate salutis, ut salutem in uoto sumatur.

Sed subiungit D.Tho. Votum nil aliud est, quam promissio sumendi in re, dum opportunitas adest: ergo præceptum est illud sumendi in re: nisi enim votum adimpleretur, quando adesset opportunitas, frustra esset tale uotum. Et confirmatur, dum enim in cœna Dominus instituit hoc Sacramentum, ea lege ipsum firmauit, ut ita facerent, dum sumerent, & ministrarent; dicente ipso. Hoc facite in meam commemorationem, scilicet non tantum dum conficitis, sed etiam dum sumitis, & ceteris ministratis. Quod planè sumitur ex illis verbis, quę in mysterio calicis dixit, quotiescunque bibetis in mei commemorationem facietis.

Et si instares, quando hoc Sacramentum obligat respectu pręcepti Diuini? Dicunt aliqui, cum hoc præceptum sit affirmatiuum, obligat saltem in articulo mortis: quod ex more uniuersalis Ecclesiæ probatur, quæ semper morem habuit; Viaticum dare in mortis articulo, vt est uidere, 26.q.6. Can. de his qui, vbi habentur hęc uerba. De his qui decedunt ex corpore, antiquæ legis regula obseruabitur etiam nunc ita, ut si fortè quis recedit ex corpore, necessario vitæ suæ viatico nõ defraudetur. Vbi insinuatur, morem istum dandi uiaticum infirmis, ualidum esse argumentum; ex Apostolorum traditione ad Ecclesiam descendisse, tanquam diuinum præceptum. Alijs autem uidetur, hoc non sufficere, scilicet ut obliget tantum semel in uita: sed teneri hominem ad frequentius communicandum. Huius ratio desumitur ex fine Sacramenti: dictum est enim suprà, quòd finis huius Sacramenti est nutritio spiritualis vitæ, ad restaurandum, quę per quotidiana peccata amittimus, & ad muniendum nos contra Dæmonum insultus, & alia, quæ suprà dicta sunt, ad quorum reparationem non sufficit una tantum Eucharistię sumptio: ideò Ecclesia, cuius munus est tempus præcepti stabilire; in primæua ætate statuit, ut quisque toties communicaretur, quoties missam audiret, ut habetur Canon. Peracta, de consecrat. distin. 2. Deinde restricta fuit, ut ter in anno, scilicet in Paschate Resurrectionis, in Pentecoste, & die Natalis Domini. Hodie præceptum ex ordinatione Ecclesiæ non obligat, nisi semel in anno, & hoc in Paschate Resurrectionis. Cap. Omnis, de Pœnitent & remissio. Quod tempus iuxta declarationem Eugenij IIII. incipit à die Cęnæ Domini, usque ad octauam Paschæ, ut refert Nauar. Cap. 21. num. 45.

De Tempore præcepti Diuini.

Præceptum Ecclesiæ de cõmuni.

Et si dicatur, hoc Sacramentum non est de necessitate salutis, ut Baptismus, & consequenter non est præceptum de iure Diuino.

Responde-

Respondetur, negando antecedens simpliciter;nam sicut in adultis votum baptismi sufficit, quando facultas baptismi haberi non potest, & dum haberi potest non sufficit,ita & in Eucharistia,votum ipsius sufficit quando in re suscipi non potest,& dum suscipi potest,frustra esset votum ipsius,ut suprà dictum est,si realiter suscipere non teneretur.itaque tunc diuinum preceptum vrget.Dixi(simpliciter)in pueris enim non est eadem ratio circa utrumque Sacramentum,pueri namque cum non habeant propriam uoluntatem, nec aliud opus precedens baptismum , uirtute cuius uotum ipsius baptismi in eis cadere possit;ideo tenētur simpliciter in re baptismum suscipere , sed circa Eucharistiam donec veniant ad annos discretionis sufficit eis votum ipsius,quod uotū profitentur in baptismo per fidem Ecclesiæ,quod infantes ante baptismum habere non ualent,tum quia Sacramentum Eucharistiæ datur,ut alimentum animæ; alimentum autem non datur,nisi uiuenti,idest habenti aliquam operationem uitalem; sicut enim mortuis non prodest cibus corporalis; ita infantibus iam non habentibus aliquam spiritualem operationem propriam , hic cibus spiritualis in re non prodest,& ideo eis non exhibetur . Nec ualet instantia de amente non habente usum rationis, cui hoc Sacramentum exhibetur; nam illi conceditur ratione præcedentis uoluntatis,& deuotionis,qua Eucharistiā petiit explicitè,uel implicitè,dum mente sanus erat.Vnde amentibus à natiuitate,qui nunquam rectum iudicium habuerunt,negatur hoc Sacramentum,sicut & pueris,ut suprà dictum est.Tum etiam,nam si hæc realis sumptio pueris esset necessaria,sequeretur,quod baptismus eis nō sufficeret ad uitam æternam , quod est hæresis manifesta.Sequitur ergo,ut pueri non teneantur ad hoc donec ad annos discretionis venerint, in qua ętate habent propriam voluntatem , & opera spiritualis uitę exercere ualent . quod ita declaratum fuit in Concilio Trid.Sess.21.c.4.Quod fortè in primatiua Ecclesia nō aduertentes, communicabant infantes,ut suprà diximus . Et credo, quod mouebantur ratione pręcepti diuini , nam ex pręcepto Ecclesiæ , illi non tenebantur.Et ad illud Augustini.Crede,& manducasti;dicitur;quod ipse non vult, per hoc sufficere fidem Sacramenti sine sumptione in re; sed dicit , sufficere desiderium suscipiendi , quando facultas deficit,vt habetur de consecratio.distinct. 2.Can.ut quid, & ibi Glo.

Sed quidquid sit de hac quæstione,ex Sacra Scriptura certitudo haberi non potest;unum tamen certum est,quod Christus suam Ecclesiam(cui facultatem dedit,ut tempus definiret) illustrauit, quod in Paschate sub mortali peccato, eius præcepto communicari teneamur, nisi de licentia confessoris ad tempus abstineamus; uel aliqua censura Ecclesiastica prohibeamur , quando per nos non stat,ut ab illa absoluamur:nam qui tempore Paschatis laqueatus manet , propter,quod communicare non potest,& non curat facere,quod in se est,ut absoluatur;unde tempus præcepti cōmunionis transit,contrauenit præcepto, & consequenter mortaliter peccat.

Dubium pulchrum de sumendo viatico.

Sed dubium est non dissimulandum . An homo teneatur in articulo mortis communicare sub lethali pęna? Puta qui cōmunicauit in Paschate resurrectionis,deinde de mense Maij infirmatur ad mortem, si nollet tunc viaticum accipere, eo quod non indiget; peccaret ne mortaliter ratione alicuius obligationis? Qui tenet,non esse præceptum Diuinum in re communicari,consequenter dicere deberet,non peccare, tunc non sumendo.nam præceptum Ecclesię omnis utriusque sexus,obligat tantum in Paschate,quod adimpletum est;Diuinum per eos nunquam obligat,ergò,&c.Qui autem tenet esse præceptum Diuinum,ut supra probauimus,dicere debet,quòd teneatur; nam si tempus aliquod adimplēdi illud urget,erit articulus mortis. Verum quia nihil expressum

de hoc

de hoc in sacra scriptura inuenitur; ideo Doctores uariè scripserunt. Syluester Verbo, Eucharistia 3 §. 1. dicit non teneri. Adrianus in tractatu de consecratione, quæst 3 dicit oppositum. Sotus quo suprà uidetur dubius circa hoc. Ego autem saluo meliori iudicio dicerem, ex vi utriusque præcepti, infirmum teneri ad cõicandum in mortis articulo, si facultas adest, & quãtum ad pceptũ diuinum probari potest vsu antiquo vniuersalis Ecclesiæ, ab Apostolis deriuato ad partes; ut tot sacra Concilia antiqua attestantur, uidelicet: Nicęnum, ut refertur 26.q.6.Can.De ijs, Cart.c.4.Re.Ca.1.& Latera.sub Innocen.III.cap.26.nisi enim esset Diuinum præceptum, non ita diligenter, & strictè hoc mandarent obseruandum. Et ad rationem in oppositum dicitur, multa fuisse à Christo instituta, quæ non inueniuntur scripta, sed tantum ab Apostolis Ecclesiæ mandata, & patribus tradita, quæ ipsi in Conciliis dederunt posteris obseruanda, ut iure Diuino pręcepta. Quòd etiam sit hodie pręceptum Ecclesię in Conc. Trid. Sess.13 cap 6.& Can.7 sub anathema prohibetur assertio contraria, ut ex uerbis eiusdem patet. Hęc sunt dicta quantum ad omnes fideles communiter, & indifferenter.

Syluester. Adrianus Auctor.

Sed quantum ad Sacerdotes in particulari, aliud dicendum, & primo quoties Sacerdos consecrat, toties communicare tenetur sub utraq; specie, sub pęna suspensionis à communione per annum, de hoc extat auctoritas Concilij Toletani; ut habetur de Consecratione, dist.2.Can.Relatum. Huius rei rationem reddit D.T q 82 art.4.dicens, q Eucharistia non solum est Sacramentum, sed etiam Sacrificium. De ratione Sacrificij est, ut quicunque Sacrificium offert eius particeps fiat, quia sacrificium exterius factum, signum est sacrificij interioris, quo se ipsum offert homo, itaque per hoc, quod sumit exterius, ostendit, se participare interius, & ideò communicare tenetur. Præterea, ratio Sacrificij perficitur in oblatione, & sumptione utriusque separatim, illa enim Sacrificatio dicitur immolatio; immolatio autem dicitur animalis occisio; ideò mors Christi non repræsentatur in consecratione, sed in sumptione à Sacerdote; illa enim sumptio Corporis est quędã effigies mortis, & sepulturę Corporis Christi; & sumptio Sanguinis seorsum à Corpore, est imago effusionis Sanguinis, q totus à Corpore separatus fuit. Hinc dignoscitur, quantæ necessitatis sit communicare Sacerdotem celebrãtem, & sub utraque specie, sine quibus ratio Sacrificij non perficitur. Itaque si accideret, ut facta consecratione, ibi Hostia appareret in forma infantis, uel carnis cruentæ, & Calix in forma sanguinis, miraculosè, propter, quod sumi non posset propter nauseam, uel horrorem, tunc si non redirent species panis, & uini, ut prius, tunc non est sumendum Sacramentum in tali forma; ait enim D. Hieronymus super Leuit. de hac quidem Hostia, quę in Christi communione mirabiliter fit, edere licet; de alia uerò, quã Christus in Ara crucis obtulit secundum se, nemini edere licet. Sed quid agendum? posset Sacerdos iterum de nouo sumere panem, & uinum consecrare, & sumere: & illud miraculosum in pixide conseruare. Sequitur etiam ex dictis, ut si Sacerdos formam sanguinis super aquam diceret, putans esse vinum, quod in sumptione aduerteret, tenetur iterum uinum accipere, consecrare, & sumere, etiam si non esset ieiunus propter sumptionem aquæ. Item si casu accideret, vt post consecrationem Corporis, celebrans deficeret, uel post ambas consecrationes, ita, ut non posset perficere missam; tunc alius Sacerdos dispositus sequi debet missam ab eo loco, in quo alius defecit, & sumere Sacramentum, etiam si non esset ieiunus, quando tamen alius ieiunus inueniri non posset, ne sacrificium remaneret truncum, & imperfectum.

Præceptum de cõicando, factum Sacerdotibus.

Dubium aũt est, an cuncti Sacerdotes teneantur aliqñ celebrare? Dico (cuncti) qui enim habet curam animarum, clarum est, q peccet mortaliter, non celebrando,

Dubium de obligatio-

ne celebrandi. lebrando, quando obligatus est, præsertim diebus festiuis; nisi fuerit legitimè impeditus: nec sufficit, per alios satisfacere, ait D.T. quo suprà. Sed simplices Sacerdotes omni obligatione liberi, an teneantur quandoque celebrare, hoc vertitur in dubium; eo quòd de hoc nullum extat præceptum expressum, nec consuetudo ad id obligans. Vnde Alexander de Ales, 4. par. quæstio 51. mem. 2. ait: Sacerdotes non habentes obligationem, nisi à Prælato compellantur, possunt sine peccato mortali, per totam uitam à celebratione cessare: quam opinionem sequitur Caietanus. Sed Richardus in 4. distinct. 13. quæst. 2. artic. 2. & D. Thom. quo suprà artic. 10. quos sequitur Sotus, distinct. ead. quæstio. 1. artic. 10. Durandus, & Paludanus, ead. dist. Summa Ang. & Syluest. Verbo, Missa 7. dicunt peccare mortaliter, qui per totam uitam nunquam celebrare uellet, potens id licitè facere. Super quo multæ assignantur rationes, quas uide, si satisfactionem quæris. Sed quo ad tempus celebrandi, D. Thom. subiungit: tenetur saltem simplex Sacerdos celebrare, dum urget præceptum communicandi, & fideles communicari solent. Et certè qui die Natiuitatis Domini, & Paschatis Resurrectionis non celebrat, dum id commodè facere potest; sed ex negligẽtia, & ignauia quadam id facere spernit; non dicam aliud peius, in malo est prædicamento: nam Christus, dum Apostolos Sacerdotes ordinauit, hoc fine illos ordinauit, ut in sui commemorationem sacrum facerent. Ius etiam naturæ ad hoc nos astringit, ne in uanum gratiam Dei recipiamus: ad quid enim Sacerdotum quæris, deinde Sacerdotium exercere contemnis? Et hæc de præcepto communicandi.

Alexander.

Richardus, et alij.

Consilium est sæpè cõicari. Quantum ad secundum principale, scilicet, ad quid teneamur de consilio? August. in lib. de Ecclesiasticis Dogmatibus ait, & habetur de Consecrat. dist. 2. Can. Quotidiè, saltem diebus Dominicis communicandũ esse: si tamen mens sit sine affectu peccandi, qui enim affectum peccandi habet, potius grauatur, quàm releuetur. Sed dum homo sine uoluntate peccandi existit, quid melius sit, communicare, quotidie, an abstinere, dubium est. August. enim nolens id definire, de hoc postulantibus ita respondit. Nec laudo, nec uitupero. Quod ideò dixit, quia nesciebat, quo fine abstinens se retrahit: & quantum proficit, frequẽtans Sacramentum. Vnde subiungit: unusquisque seipsum iudicet: qui enim ex quadam reuerentia abstinet, & quadam humilitate ad tale conuiuium accedere se indignum iudicat, non malè facit abstinendo: imitatur enim Centurionem, qui Domino ad domum suam accedenti, dixit: Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum. Qui autem confidens de misericordia Dei, hilari animo ad mensam Domini quotidiè accedit, vtique benè facit: imitatur enim Zachæum: qui gaudens suscepit Dominum in domum suam: ambo certè glorificauerunt Saluatorem diuerso, & quasi contrario modo: ambo etiam misericordiam Dei consecuti sunt. Reuerentia namque huius Sacramenti fert secum timorem, pariter & amorem: qui enim mouetur timore filiali: abstinet timiditate reuerentiæ: qui autem mouetur amore, prouocatur desiderio sumendi. Itaque tam accedens, quàm abstinens uterque laudandus est. Sed quid melius sit, quid uirtuosius, quid utilius, audite quæso. Caietanus ait, si homo quotidie sumens aliquam dulcedinem spiritualem sentit, uel charitatis augmentum cognoscit, laudabile est, quotidie sumere. Si autem post aliquantam frequentationem talia non sentit, nec in charitate proficere experitur, consultius est abstinere, ob aliquam indispositionem.

Sed ceteris paribus quid sit melius? Audi Augustinum.

Sed melius cum aliis Doctoribus dicamus, s. qui quotidie communicando, sentit illam spiritualem dulcedinem, & animę tranquillitatem, uel saltem si non ista, aliqualem Charitatis feruorem in se cognoscit, optimè facit frequentando hoc Sacramentum. Si autem nullum istorum sentit, sed cognoscens suã

malam

malam inclinationem ad aliquod mortale, quod sibi accidit, vel occasione mali habitus ex frequentatis actibus relicti, aut mala suę naturæ dispositione, quam habet: vel saltem patitur multas tentationes, propter quæ omnia, ipse timet, ne labatur in aliquod mortale, & sumendo quotidie Eucharistiam, omnibus his fortius resistit, & dum non sumit, cadendi periculum currit. Quid melius, quam frequentare hoc Sacramentum, facere potest? non enim est necessarium, ut omnes effectus, quos suprà recitauimus, simul operetur in sumente. Sed si sępè succumbit, & labitur in mortalia: quod accidere solet secularibus, & maximè coniugatis propter nimiam curam circa secularia, & res domesticas, qui quomodo placeant vxoribus, & prouideant filijs, soliciti sunt, uel etiam Sacerdotibus, qui curis secularibus se immiscent, vel distrahuntur profanis practicis; quamuis tales per pœnitentiam quotidie surgant, non tamē laudabile est, quotidie communicare: dubium est enim, an eorum pœnitentia legitima sit, cum synceram, & castam reuerentiam non habeant. Et de his sanè intelligendus est Caietanus: Si verò nihil prędictorum habet, sed quotidie sumendo, cognoscit suam deuotionem tepescere, & reuerentiā minui, quāuis sine affectu peccandi sit, & dum aliquantulum abstinet, deuotius postea accedit, benè facit abstinendo. ait Richardus dist. 12. art. 6. q. 11. Sed ceteris paribus, dum animus pausat, & deuotio manet, melius est, secundum communem opinionem; frequentare hoc dignissimum Sacramentum, quàm abstinere à communione: nam si sumendo, non consequatur vnum effectum, consequitur alium, cum tot, & varios effectus dignè sumentibus operetur, ut suprà diximus: numquam enim D. Th. sumitur sine aliquo fructu spirituali, à non habentibus impedimentum. Vnde qui sine iusta causa ab hoc Sacramento se retrahit, multis vtilitatibus spiritualibus se priuat. Verum, non omnes eodem modo frequentare debent, sed secundum varias sumentium conditiones, officia, & modum viuendi.

Quæritur modo, quoties in die sit communicandum? Respondetur: Quo ad celebrantes, quoties sacrum faciunt, toties communicare tenentur. Can. Relatum, de consecratione dist. 2. sed quoties in die celebrare debet? Dico, semel regulariter loquendo. Can. sufficit, eadem distin. Dico (regulariter) nam in casu necessitatis, vbi essent dicendæ duę Missæ, vna de festo, & altera pro mortuo, vbi consuetudo est mortuum sepeliri cum missa, potest idem sacerdos eadem die duas missas dicere, non sumendo tamen refectionem in prima. Quod obseruatur in oppidis, & villis, vbi est tantum vnus presbyter, dum hæc duo simul occurrunt. Item in die natalis Domini, quisque potest dicere tres missas, cap. Consuluisti, de celebr. Missarum. Alij primum casum extendunt ad alios casus necessitatis, quibus Sacerdoti licebit bis in die celebrare, scilicet dum peracta missa superueniret aliqua magna persona, seu Princeps, qui Missam audire vellet, & non esset alius qui celebrare posset. Glos super dicto cap. Consuluisti. Secundo secundum Petrum de Palude, quando necessarium esset dare infirmo viaticum, & non esset in pixide hostia consecrata. Tertiò quando occurrerent peregrini in die festo qui tenentur Missam audire, & Missa iam erat in fine, vel denique secundum Syluest. verbo, Missa, 1. q. 7. quoties occurret magna necessitas ad iudicium boni viri, quidquid sit illa, quia in dicto c. Consuluisti, non est per legem determinata: dummodo hæc non fiant auaritiæ causa, vel alio fine non necessario, tunc enim graue peccatum esset. In quibus casibus duo sunt attendenda: Vnum est, vt non dicatur plus quàm duę in una die ab eodem sacerdote, & quòd non inueniatur sumpsisse refectionem, aliàs propter quamcunque causam non liceret Missam dicere. Quo autem ad seculares, & clericos non celebrantes, semel in die communicare licet, quia semel Christus passus est

Dubium quoties sit in die communicandum.

Casus in quibus licet dicere duas Missas una die.

ſus eſt, & totum mundum redemit: Quod intellige, non quòd communicans non poſſit ſumere plures particulas unam poſt aliam, donec manet ante altare, & inter ſumptiones non intermediat multum tempus. puta conſecrauit decem particulas, putans communicare decem homines, poſtea defuit unus, de quo non aduerterat, niſi communicatis nouem, illa particula relicta tunc dari poteſt vni illorum qui communicarunt antequam de altari diſcedat; quia in una, & eadem menſa vnam refectionem dicitur accepiſſe, quæ unitatem prędictam ſignificat, ut ſuprà, ſecus ſi inde diſceſſerat, & poſtea reuerſus eſt, uel ibi manſit vſque ad aliam Miſſam, & de nouo communicare, vellet; quia ut ſic, eſſent plures refectiones, contra myſterij ſignificationem. Argum. Can. ſufficit, ut ſuprà.

An communicandum ſit ſub vtraque ſpecie.

Circa hoc quęſitum, tria ſunt uidenda. Vnum eſt de neceſſitate: Alterum de vtilitate. Tertium de congruitate. Quantum ad primum, ſcilicet, an ſit de neceſſitate ſalutis communicare ſub vtraque ſpecie? Et uidetur, quòd ſic: nam qua ratione tenemur ſumere corpus ſub ſpecie panis, tenemur etiam ſumere ſanguinem ſub ſpecie vini: nam auctoritates Euangeliſtarum, quibus Chriſtus ad hoc nos aſtringit, ut ſuprà probauimus, æqualiter de utroque loquuntur. Ad hoc etiam nos conuincit antiquus Eccleſię mos, ut refertur in vita ſancti Laurentii, dicentis: Nunquid degenerem me probaſti? experire, utrum idoneum miniſtrum elegeris, cui commiſiſti Dominici ſanguinis diſpenſationem. Igitur tunc temporis, mos erat populum ſanguine communicare. Sed contrarium eſt verum. Et primum quantum ad pueros nulli dubium eſt; nam qua ratione excluduntur à ſumptione corporis, ut ſuprà probauimus, eadem ratione excluduntur à ſumptione ſanguinis. Quantum autem ad celebrantes, vltra decretum Gelaſii Papæ. Can. Comperimus, de conſecratio. diſtinct. 2. Adeſt pręceptum Domini, ſecundum aliquos, ut refert Ioannes Bacchonus, in 4. diſt. 10. q. 1. vt ſicut vtrunque conſecrant in Miſſa, ita utrunque ſumere debent, ut patet per illa verba conſecrationis, in quibus utrobique dicitur, accipite, &c. quod ſit propter vnitatis myſterium, integra enim ſignificatio huius conuiuii perficitur in ſumptione Corporis, & Sanguinis ſeparatim, nam illa ſumptio corporis eſt quædam imago mortis, & ſepulturæ corporis Chriſti, & ſumptio ſanguinis ſeorſum à Corpore, eſt quædam effigies effuſionis Sãguinis, qui totus fuit à Corpore ſeparatus. Per hoc etiam oſtenditur, Chriſtum aſſumpſiſſe totam humanam naturam, vt totam redimeret; Panis enim ad Carnem refertur, & Vinum ad Animam; Vinum enim operatur Sanguinem, qui eſt ſedes Animę. Hinc agnoſce, quantæ neceſſitatis ſit Sacerdotem communicare ſub utraque ſpecie; ſine quibus ratio Sacrificii non perficeretur; ſed remaneret truncũ, & imperfectum. Vnde in caſu, quòd celebrans nõ poſſet perficere hoc myſterium, eſſet per alium ſupplendum, ut infrà dicetur. Quantum verò ad ſeculares adultos, & clericos non cõſecrantes, an hoc ſit neceſſarium, vertebatur in dubium, propter varias Eccleſiarum conſuetudines, & Doctorũ opiniones, nunc autem, cum per Sacrum Concilium Trident. Seſſ. 21. cap. 1. declaratum ſit, Laicos, & non conficientes nullo diuino præcepto teneri ad communicandum

Quare Sacerdotes communicant ſub vtraque ſpecie.

Laici non debent communicare ſub utraq; ſpecie.

dum sub utraque specie,non opus est hunc articulum discutere;illa enim institutio Christi in cœna,non astringit omnes indifferenter sub utraque specie cõmunicare,sed tantum conficientes,ut dixi.Nec ex illo Ioannis 6.suprà citato, colligitur hęc necessitas,qui enim dixit: Nisi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem,non habebitis uitam in uobis;dixit quoque: si quis manducauerit ex hoc pane , uiuet in æternũ. Et qui dixit.Qui mãducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet uitam ęternam: Dixit etiam: Panis,quem ego dabo,caro mea est pro mundi uita. Posset etiam dici,quòd seculares in sumptione sub spiecie panis tantum , sumunt etiam & sanguinem, quia in utroque est vtrumque: unum scilicet ex ui consecrationis; alterum ex reali concomitantia , ut suprà dictum est; unde cum à secularibus etiam totus Christus integer sumatur,non fraudãtur eius fructus. Ideò,quantum ad secundum,scilicet utilitatem,dico,quòd sumendo hostiam sine calice,nullum detrimentum salutis, aut damnum spiritualis fructus sentit populus Christianus: hoc namque Sacramentum,ut cetera alia Sacramenta nouæ legis,confert quod significat. Inquantum confert,ponitur in genere causę; Inquantum significat, ponitur in genere signi sensibilis,ut in principio diximus. Vnde sicut utraque ratione,non minoris virtutis est calix,quam hostia;utrũque enim causat, & significat, quod efficit, ita eadem virtus, quæ confertur sumendo calicem, confertur etiam sumendo hostiam tantum. Quod probatur,& primò inquantum causat.Dictũ est superius,in hostia ex ui consecrationis est Corpus,sed ex concomitantia est ibi Sanguis,anima,& Deitas.In Calice autem ex ui consecrationis est Sanguis,& ex concomitantia est Corpus,Anima, & Diuinitas Itaque tam sub specie panis,quam sub specie Vini,Anima,& Deitas sunt per concomitantiam,& non ex ui aliqua. Stantibus his,sic arguo:Si sumenti hostiam tantũ, sanguis non conferret virtutẽ Sacramentalem, quàm confert sumenti Calicẽ, eo quòd in Hostia est per concomitantiã,& non ex vi consecrationis,sequeretur,quòd anima,& Deitas, quæ in utrisque sunt per concomitantiam nulli, & nunquã conferrent virtutem spiritualem Sacramentalem, quod est inconueniens asserere,nam Christus perfectus Deus, & homo, secundum se totum est in hoc Sacramento largitor, & causa omnis gratiæ, doni,& virtutum, quæ lucrantur à dignè sumente, & non secundum partem corpoream. ergò sequitur, quòd eandem causalitatem circa effectus Sacramentales, quæ ibi sunt per concomitantiam, sicut quę sunt ex ui consecrationis. Cum ergò Sanguis Christi, pari modo confert virtutem Sacramentalem; si sumatur sub specie panis tantum,vbi est concomitanter,quam si sumeretur sub specie vini,vbi est ex ui consecrationis,sequitur,quòd populus sumendo sub una specie non fraudatur effectu Sacramentali. Secundò probatur, inquantum significat: Quamuis diuersitas significandi aliquam dubitationem ingerat aspectui, ex eo quia aliud signum est panis,cum ipsius esu;& aliud vinum cum ipsius potu.Vnde singulæ species sumptæ, & inter se cõparatæ refectionem spiritualẽ imperfectè,repræsentet. Vna scut cibum,altera ut potum; tñ qm̃ ad fructum Sacramenti nullam diuersitatem arguunt; nam signi diuersitas non arguit diuersitatem effectus in re significata,una enim re non mutata in suo effectu,à diuersis signis signari potest. Probatur exemplo in Sacramento Baptismi; immersio nanque significat, baptizatum sepeliri cum Christo,in mortem, & emersio à fonte significat postea eumdem resurgere cum Christo in nouitate uitæ, ut ait Paulus ad Romanos 6. & tamen si aliquis baptizetur per modum aspersionis,& non immersionis,ut in plerisque locis fit;non per hoc sequetur, quòd baptizatus non sit consepultus Christo,& resuscitatus cum eodem in nouitate vitæ ergo ista diuersitas significandi non uariat effectum baptismi:ita dico in proposito. Concludamus

Quantum ad necessitatẽ.

Quantum ad utilitatem.

mus ergò, ut Sancta Sinodus Trid.conclusit Sess.21.cap.3. scilicet, Fatendum esse etiam sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum, uerumque Sacramentum sumi; ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt.

Quantum ad congruitaté.

Quantum ad tertium, scilicet, de congruitate, dicitur: quamuis in primitiua Ecclesia, mos fuerit communicare in utraque specie, ut suprà probatum est, tamen ipsa Ecclesia hunc ritum mutauit, iustis de causis, immò, S.Conc. Triden. Sess. prædicta, cap.2. expressè prohibet, ut non, nisi in vna tantum specie populus communicet, non quòd ille antiquus vsus fuerit contra ius Diuinum, sed pro reuerentia tanti Sacramenti; secundum quòd pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire iudicauit. Quam potestatem in Ecclesia semper fuisse, si ut salua Sacramenrorum substantia, dispensare possit circa ea, quę suscipientium vtilitati, & Sacramentorum venerationi esse iudicauerit; nulli Catholicorum dubium est. Vnde decentissima quidem fuit hæc Constitutio communicandi in sola specie panis; tum propter periculum effusionis Sanguinis, si traderetur tam magnæ multitudini populorum, tum propter periculum corruptionis specierum, si conseruaretur pro infirmis, prout conseruatur sub specie panis, vt sit semper paratum: quia species vini accescerent de facili; tum etiam propter periculum horroris, & stomachationis, si daretur iis, qui vinum abhorrent. Fuit denique conueniens hæc prohibitio sumendi in utraque specie: ad repellendum eorum errorem, qui dicebant, non esse totum Christum sub qualibet specie, sed corpus sub specie panis, & sanguinem sub specie vini, ut refert Vualdensis. Et de hoc satis.

SVM-

SVMMARIA SEQVENTIS
CAP. V.

1 Tractatus de Eucharistia, vt habet rationem Sacrificij.
2 Quattuor sunt consideranda de Sacrificio Missæ.
3 Præparatoria ad Missam.
Impedientia ad celebrationem Missę.
Conuenienter apponenda in celebratione Missæ.
Sacerdotalia indumenta quæ, & quid significent.
Missa regulariter debet celebrari in templis, aut oratorijs consecratis, siue benedictis: & quando in alijs locis.
4 Effusio violenta humani sanguinis violat Ecclesiam, & quomodo.
Effusio humani seminis polluit Ecclesiam, & quomodo.
Non licet celebrare in Ecclesia violata, aut polluta, nec etiam in casu necessitatis, donec reconcilietur.
Missa non potest celebrari in altari non consecrato, vel ad minus sine tabula non consecrata, & quid de calice, corporalibus, & vestibus vetustis.
5 Officium Religionis, & Dei cultum, præ oculis habere debemus in celebratione Missę, atque repręsentationem Dominicæ Passionis.
Decens est, regulariter loquendo, quotidie in qualibet Ecclesia celebrare, præterquam in feria VI. in Parasceue, & in Sabbatho Sancto.
Feria V. in cœna Domini vna tantum Missa celebratur.
Tempus celebrandi Missam regulariter est ab hora Tertia ad Horã Nonam, nec est celebranda sine Lumine.
6 Missa dupliciter intelligitur.
Significationes contentorum in Missa.
Ecclesia non orat pro excommunicatis.
Fructus sacrificij tripliciter applicari possunt, & quomodo; videant hic Sacerdotes, in quos errores possunt incurrere.
Ordinem quẽm tenere debet celebrans in applicando Missę Sacrificiũ.
7 Missa celebrata pro pluribus, valeat ne tantum singulis eorum, quantũ si pro vno solo diceretur, & de hoc diuersę opiniones.
Missa valet ijs, pro quibus offertur, quò ad eius effectus, secundum quantitatem deuotionis offerentis, quisquis ille sit.
Quanto plures sunt offerentes, tanto maior est fructus sacrificij oblati.
Celebrans non celebrat in persona propria, sed Ecclesiæ.
8 Missa est meritoria, impetratoria, & satisfactoria.
Differentia inter meritum de condigno, & meritum de congruo.

9 *Fructus Sacrificij Missæ potest valere alicui in triplici gradu; & quomodo.*

Celebrans potest applicare fructum Sacrificij Missę cui voluerit, quomodo intelligendum, & an per vnam Missam possit satisfacere pluribus.

10 *Quantitas effectuum Sacrificij Missæ non eodem modo diuiditur inter offerentes particulares: & quomodo diuidatur; vbi multa pulchra de hac materia.*

11 *Triginta Missę S. Gregorij ordinatæ ab Ecclesia pro liberatione vnius animæ de purgatorio.*

Prælati possunt coarctare Missas defunctorum in testamento relictas.

12 *Missa cantata magis proficua est illi, pro quo dicitur, quàm Missa priuata; & plura pulchra de Missis cantatis.*

13 *De Missis priuatis plura scitu digna.*

14 *Sacerdos ne erret, quid obseruare debeat in celebrandis Missis pro alijs.*

15 *Significationes contentorum in Canone.*

Hostia vnde dicatur.

16 *Suffragia viuorum facta pro mortuis, prosunt illis.*

Suffragium quid significet: & an prosit omnibus defunctis, & quibus.

Suffragia in quo prosint animabus in purgatorio positis.

Suffragia nullo modo prosunt damnatis in inferno: & opiniones de hoc.

Dei Misericordia duplex, liberans, & relaxans.

17 *Sacrificio Missæ, eleemosinis, oratione, ac ieiunio iuuantur animæ defunctorum.*

Mos ponendi cereos super sepulchris defunctorum vnde prouenerit.

Mos humandi corpora commendatur: & quare appellentur monumenta.

Pompæ funerales sunt solatia viuorum, non subsidium defunctorum.

Ritus exequiarum commendatur.

18 *Sacrificium Missæ tenet primum locum inter alia suffragia pro defunctis.*

Missa propria pro defunctis magis prodest animabus defunctorum quã alię Missę.

19 *Quorum suffragia prosint defunctis, an eorum tantum qui sunt in statu gratiæ, an etiam eorum qui sunt in peccato mortali.*

Aegroti confiteantur antequam testentur.

Malitia ministri, vel executoris non impedit fructum suffragij, si principalis mandans erat in gratia.

Suffragia

20 *Suffragia in quo prosint defunctis.*
Valor Suffragij in charitate facti est duplex, Essentialis,& Accidentalis.
Pœna Suffragijs aut soluitur, aut minuitur.
21 *Suffragia facta pro defunctis prosunt etiam ei qui illa facit, & quomodo.*
Si anima pro qua fiunt Suffragia, est in paradiso, aut in inferno, illud bonum reuertitur ad actorem.
Permittit Deus, ut qui in hac uita non recordantur suorum defunctorum,& ipsi post mortem obliuiscantur à suis.
22 *Executores alterius uoluntatis, in quo noceant defunctis, non exequendo eorum legata, siue differendo, & quomodo peccent mortaliter.*
Quæ fiunt in uita, sunt maioris valoris quo ad augmentum gratię & gloriæ, quam quæ ordinantur, vt dentur post obitum.
23 *Indulgentiæ an prosint defunctis,& quomodo prosint.*
Indulgentia quid sit, quas qui negaret, anathema esset.
Duo significata huius nominis, Indulgentia.
24 *Thesaurus ecclesiæ, quid sit.*
Indulgentiarum effectus.
Pœna damni & pęna sensus.
Satisfactio & satispassio sensus.
25 *Indulgentiæ valent ad soluendas pœnas quibus pro peccatis remissis debitores sumus.*
Indulgentiæ quibus valeant,& quibus.
26 *Indulgentias qui possint concedere.*
Quæ sint necessaria ad obtinendas indulgentias.
Forma absolutionis pro obtinendo aliquam indulgentiam.
27 *Tot anni siue tot dies Indulgentiæ quid significet, & de pœnis respondentibus cuilibet peccato, secundum antiquas ordinationes Ecclesię.*
Ecclesia abstulit rigorem obseruandi ad vnguem Canonum pœnitentias.
28 *Indulgentiarum effectus.*
Verbum, Culpa, in Indulgentijs quomodo intelligatur.
Anni lucrati per Indulgentias, an intelligantur de pęnitentijs iniunctis à confessario, an à Canone.
Anni præsentis uitę an respondeant annis Purgatorij.
Pœnitentia hic sponte facta, valet plus quam alia pœna purgatorij illi ęqualis.
Quid intelligatur per Quadragenas.

29 *Defuncti possunt liberari à Purgatorio per Indulgentias; & quomodo.*

Quomodo intelligenda sint illa uerba: Per modum Suffragij, & plura pulchra de animabus in purgatorio positis.

Faciens Suffragia pro defunctis debet esse sine peccato mortali.

30 *Celebrans quando dicit: Nobis quoque peccatoribus, quid significet, & quid petat, & de Dei uisione.*

Beatitudo detur ne per merita, an per gratiam.

31 *Opera nostra dupliciter considerari possunt, & quid requiratur, vt sint meritoria ęternę vitæ, de quo plures pulchrę conclusiones.*

32 *Oratio Dominicalis propter tria est ceteris orationibus excellentior.*

Causa breuitatis orationis Dominicalis.

Septem petitiones in ea continentur, extra quæ nihil licitè postulare à domino possumus.

Diuisio huius orationis.

Quare incipiant per hoc verbum, Pater, & de huius nominis significatione plura.

Interpretatio totius orationis Dominicalis, & quid in ea petatur.

Ordo est duplex.

33 *Voluntas Dei semper adimpletur, & de multiplici eius voluntate secundum Theologos.*

Quinque sunt signa uoluntatis diuinæ.

Voluntas Dei quomodo nobis innotescat.

Pręcepta affirmatiua obligant pro semper, & negatiua pro semper, & ad semper.

Cœlum, & terra in oratione Dominica multipliciter accipiuntur.

34 *Panem nostrum quotidianum, dupliciter potest interpretari, sicut etiã in homine est duplex substantia.*

Sub nomine panis intelliguntur omnia, quibus indigemus ad corporis sanitatem, & conseruationem.

Præparatio ciborum quando est peccatum, & quando non.

Quando in vestitu peccetur.

Quare dicatur, Nostrum, & non tuum.

Explicatio huius sententiæ; Nolite cogitare de crastino.

De pane spirituali.

Panis Eucharistiæ dupliciter sumitur, Sacramentaliter, & Spiritualiter.

Nomine panis intelligitur etiam intelligentia Scripturæ Diuinę.

35 *Interpretantur hæc uerba: Et dimitte nobis debita nostra.*

Ordo in procedendo est duplex, Resolutiuus, & Compositiuus.

Triplex malum aufertur per triplicem gratiam.

Peccata quomodo dicantur nostra debita.
Peccata non habent aliam causam, quàm nostram uoluntatem.
Vita nostra mortalis, & infirma, vix, aut nunquam sine peccatis saltem venialibus esse potest.
Per orationem Dominicalem sępè repetitam consequimur remissionē peccatorum venialium.
36 *Modus petendi remissionem peccatorum.*
Non dimittitur nobis, nisi dimittamus.
Dubia, & eorum resolutiones circa hęc verba, sicut, & nos dimittimus.
Inimici quomodo odiendi, & quomodo diligendi.
Offensus an teneatur ostendere inimico signa exteriora dilectionis.
Remittenda ne sit iniuria illata, et damnum iniustè factum siue in persona, siue in bonis.
Offendens an debeat petere veniam ab offenso, ac illi satisfacere, & quomodo id agendum.
Non licet querelare offendentem, quando paratus est facere omnem debitam satisfactionem.
Offensus tenetur acceptare satisfactionem, & uindictam relaxare.
Confeßarij non absoluant eos, qui nolunt remittere in scriptis.
Quando insistendum est, vt offensor puniatur.
37 *Modus vtendus in dimissione, secundum doctrinam Ioannis Gerson.*
38 *Necessaria est nobis gratia perseuerantiæ, quæ continetur in hac petitione: Et ne nos inducas in tentationem.*
Vita nostra in hoc mundo est sicut nauis in mari.
Tentare quid significet.
39 *Multi modi tentationum.*
Recordamur Dei magis in aduersis quàm in prosperis.
Tentatio fit tripliciter, sugestione, delectatione, & consensu.
Tentari aliquando expedit, & est utile, ac fructuosum.
Tentationes septem quibus nos dæmon decipere conatur.
40 *Septima, & vltima petitio Orationis Dominicalis. Sed libera nos à malo.*
Malum, quo ad hoc, est duplex, Culpæ, & Pœnæ.
Omnes ab origine nascimur filij irę.
Pœnalitatum aliæ spirituales, aliæ corporales, & quæ sint in potentijs animæ, & quæ in potentijs corporis, à quibus liberari petimus.
41 *Quomodo petamus liberari à malis, & à quibus malis.*
42 *Amen est vltima dictio Orationis Dominicalis, & quid significet.*
Amen tripliciter sumitur.
43 *Insistendum est orationi.*

DE SACRIFICIO MISSAE.

Cap. V.



Ictum est suprà de Sacra Eucharistia in quantum est Sacramentum, idest habet rationem Sacramenti: nunc autem remanet dicendum de ea, ut habet rationem Sacrificij. Circa quod, ut moris est, de duobus est principaliter inquirendum, s. de his quæ pertinent ad eius substantiam, Secundo de eius effectibus.

Quantum ad primum, per sacrificium hic non solum intelligimus illud, quod est præcipuum, & principale in Sacrificio Missę, s. consecrationem, & sumptionem, quæ significant Christi immolationem, sed etiam pręces, & orationes, quæ in Missa dicuntur.

De sacrificio Missæ igitur, quattuor sunt consideranda, quæ spectant ad Parochum. Primò, de præparatoriis ad Missam. Secundò, de integrantibus Missam, scilicet orationibus, & precibus. Tertiò, de essentialibus, scilicet Consecratione, & sumptione. Quartò de defectibus, qui circa hæc accidere possunt.

De præparatorijs Missæ.

Quantum ad primum, idest de præparatoriis, dico, ꝙ quædã concernunt ipsum ministrum: quædam autem alias circunstantias Missæ. Quæ concernunt ipsum ministrum, quædam requiruntur, tanquam simpliciter necessaria ad consecrationem; ut est habere ordinem sacerdotalem, non esse mutum, non esse elinguem. Quædam alia requiruntur ad ordinatè, & debitè celebrandum: & hæc duplicia sunt, scilicet, impedimentorũ amotio, & conuenientiũ appositio.

Impedientia sunt quadruplicia, uidelicet, malum culpæ, idest peccata mortalia, quibus omni ex parte conscientia munda esse debet. Malum pœnæ, quæ sunt censuræ, & pœnę Ecclesiasticæ, & omnia impedimenta, quę inducunt irregularitatem; de quibus abundè infrà in Sacramento Ordinis habetur. Tertium impediens est, quando celebrans non est ieiunus, de quo suprà dictum est. Quartum est, ut celebrans persoluerit horas, saltem matutinales, de quibus in prima parte Summę Coronę Confessorum, satis contra Scotum disputauimus. Conuenientia apponenda sunt ornamenta, & sacrę uestes. Hęc autem indumenta sunt, nedum ad honestatem & ornatum celebrantis, ut in ueteri lege Deus ordinauit, à quo sumpsit Ecclesia; uerum etiã ad significandũ gesta, & uirtutes capitis, idest Christi, & eius membrorum, idest ministrorum celebrantium, ipsum repręsentantium: de quibus Beatus Hieronymus ad Fabiolam, Rabanus in lib de institutione clericorum, Innocentius. de officio Missæ, & Hugo in libro de Sacramentis, multa dicunt; à quibus acceperunt Scholastici.

Sed breuiter pertranseundo, dico, indumenta presbyterorum simplicium, quibus uti debent in Missarum celebratione, sunt sex. Dico (simplicium) quia Episcopi utuntur multis aliis. Dico, sunt sex, scilicet, Amictus, Alba, Cingulũ, Manipulus, Stola, & Planeta, seu Casula. Quæ omnia habent duplicem significationem. Vnam uelut exteriorum à Christo passorum. Alteram magis mysticam, significatiuam uirtutum Christi interiorum.

Quo

Quo ad primam, considerandum est: quòd Sacerdos uestibus sacris indutus, celebrando, repræsentat Christum, & eius passionem, qui est summus Sacerdos, qui se ipsum obtulit Deo patri, pro peccatis nostris. Vnde qui facit illud sacrificium in eius memoriam, indutus quibusdam uestibus, quæ significant mysticè illas uestes, quibus Christus in sua passione indutus erat. hoc modo eum imitatur. *Amictus.* Amictus significat velamen, quo Iudæi caput, & faciem Christi uelabant. *Alba.* Alba significat uestem albam, qua indutus ab Herode, uelut stultus remissus fuit ad Pilatum. *Planeta.* Planeta significat uestem purpuream, qua domi Pilati à militibus indutus, irrisus fuit, & ostensus inimicis dicente Pilato, Ecce Homo. *Manipulus. Stola. Cingulum.* Manipulus, Stola, & Cingulum, significant tria ligamina, quibus in captione, flagellatione, & crucis baiulatione Dominus ligatus legitur.

Quo ad secundã significationem, Sacerdos indutus uestibus Sacerdotalibus, misticè significat Christum magnum Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, indutum quibusdam virtutibus, scilicet. *Amictus.* Amictus significat Deitatem, quæ dicitur caput Christi. *Alba.* Alba significat puritatem corporis Christi immaculati, de virgine nati. *Cingulum.* Cingulum significat uinculum Charitatis, quo nostram naturam effectiuè colligauit. *Stola.* Stola, obedientiam, quam pro nobis subiit obediens patri. *Manipulus.* Manipulus significat brauium, seu præmium beatitudinis, quod Christus obtinuit per suam passionem. *Planeta.* Planeta, plenitudinem gratiæ, qua Christus sua membra mystica adornauit.

Vel dicamus, quòd ille uestes significant uirtutes, quibus sacerdotes celebrantes adornati esse debent intus spiritualiter. *Amictus.* Vnde Amictus in capite significat scutum fidei: ideo sacerdos dum se induit, dicit: Impone Domine capiti meo galeam salutis, &c. *Alba.* Alba significat munditiam conscientiæ, ideo dicit: Dealba me Domine, & munda cor meum. *Cingulum.* Cingulum, quo præcingitur significat continentiam, ideò dicit: Præcinge me Domine Cingulo puritatis, & extingue ardorem libidinis. *Stola.* Stola, significat obedientiam, qua iugum Domini suscepisse ostenditur. *Manipulus.* Manipulus significat uigilantiam, contra accidiam, quæ animum reddit dormientem, uel significat ligamen affectus rerum tẽporalium signatarum per manum sinistram. *Planeta.* Planeta significat Charitatem omnium uirtutum supremam: quæ ideo ponitur super omnia indumenta. Quorum omnium quodlibet relinquere, dum ad celebrandum accedit, esset mortale: uel uti eis antequam ab Episcopo sint benedicti, ait Richardus distinctione 13. artic. 4. quæstio. 3.

Dictis de præparatoriis, quæ concernunt ministrum, sequitur de illis, quæ concernunt missum: & sunt locus, tempus, & ignis.

Locus in quo celebrari debeant. Quantum ad locum, dico multa: primò missa regulariter celebrari debeat in domibus, seu templis consecratis, uel saltem benedictis ab Episcopo, uel in oratoriis ab ipso assignatis. Can. 1. de Consecrat. distin. 1. Huius rationem assignat D. Th. nam quæ concernunt hoc Sacramentum, aut pertinent ad repræsentandum Dominicã passionem, aut ad reuerentiam ipsius, qui est totius sanctitatis causa: propter utrumque omnia, quæ in usum huius Sacramenti ueniunt, sacra, & benedicta esse debent. Dixi (regulariter) quia in casu aliquo, ex licẽtia Episcopi celebrari potest in locis non consecratis, ut in Can. Missarum. eadem dist. Quod secundum Concil. Trid. Sess. 23. sine magna necessitate permitti nõ potest. ut notat Nauar. c. 25. nu. 81. Puta in Bello licitum erit sub tentorio celebrare: uel quando multus populus ad Eremitorium confluit, tunc pro eorum cõmoditate in campestribus altare decenter extrui posset, & ibi celebrari, uel quãdo aliquis ex priuilegio, uel diplomate cruciatæ, uel simili haberet, ut domi sacrum facere posset: & tunc tã condecens non esset, nisi in casu magnæ necessitatis:

stratis: puta dum propter grauem iacentis infirmitatem, ut communionem reciperet, in camera prope lectum sacrum fieri uellet. Extra talem casum, indecentissimum esset in camera, uel sala, uti talibus priuilegijs, nisi in oratorijs ad hoc dedicatis. Verumtamen, in omnibus, & similibus casibus intelligitur, ut semper feratur tabula consecrata, uel altare portatile. Can. Concedimus, ead. dist. Vnde secundo dico, in quocunque casu, uel quouis loco Missa celebrãda erit, opus est, vt adsit altare consecratum, uel saltem, ut dixi, tabula consecrata. Can. Altaria. ead. dist. nam si domus, uel templum ad talem usum dedicatum, & consecratum esse debet; multo magis altare, super quo sacrum fit, & corpus, & sanguis ponitur; altare namque ut ait Beda, super Lucam c. 2. significat sepulchrum Christi, & linteola, sindonem: potest etiam significare crucem in qua Christus immolatus fuit; unde Crux ara dicitur. Tertiò, Linteola, & Corporalia, quę super altare ponuntur, benedicta esse debent, nõ ex pãno laneo, nec serico, sed lineo & munda. Can. Consulto, eadem dist. nam linteum, ubi Christus inuolutus fuit, lineum, & mundum fuit. Quarto, uasa, idest calix, ubi sanguis consecratur, debet etiam ab Episcopo consecratus esse, ex auro, uel argenteo, uel saltem stãno; & nõ ex aurichalco, vel ære; quia hæc ob uini uirtutẽ, æruginem, pariũt & uomitum prouocant: neque ex ligno, propter fœditatem, aut ex uitro, propter periculum effusionis sanguinis: sic etiam & patena. Can. Vasa, & Can. Vt calix, ead. dist.

Altare quid significet.

Corporalia.

Calix.

Primò quæritur, an Episcopus possit dare licentiam subditis suis, ut ubique extra suam dioecesim facientes iter celebrare possint cum altari portatile? Respõdet Syluester, Verbo, Missa, 1. 5 quòd sic; dummodò hoc fiat sine prẹiudicio tertij. Argu. Cap. In his, de Priuileg. Idem facere possunt Fratres Prædicatores & minores: saluo tamen iure parochiali, Cap. eodem. Hoc autem ius consistit circa oblationes decimas, & primitias tantum. Sed hodie per Concilium Tridentinũ hæc sunt derogata, si fiat sine necessitate ut suprà, ut etiam notat Nauar. c. 25 num. 82.

1. Dubium de celebratione in itinere facienda.

Secundò quęritur, an liceat super mare, uel flumine intra nauim Missam celebrare? Respondet Archidiaconus, quod non, quem omnes sequuntur, quantumcunque necessitas curreret: quia periculum esset de sanguinis effusione, propter motum.

2. Dubium an possit celebrari supra mare.

Tertiò quæritur, an in Ecclesia exusta, uel uiolata, aut polluta celebrari possit; Dicitur, quòd non. Can. Ecclesiis, ead. dist. in. Sed quæritur, quando dicatur exusta, vel diruta. Dicit Raim. si solum tecta, uel aliqua pars principalis uel integralis Ecclesię nõ cõbusta est, & parietes remanent integri, non dicetur exusta, ut in ea nõ possit celebrare; sed si ita cõbusta sit, quòd parietes cõbusti sunt, & diruti omnes, uel maior pars illorum, cum tectis; tunc in ea celebrari nõ potest: nisi in aliqua eius cappella, si integra remansit, ex Episcopi licentia. Cap. supra citato, & ibi Glo. Diruta dicitur, quando est funditus destructa, quamuis de nouo sit reparata, de eisdem lapidibus.

3. Dubium de ecclesia diruta.

Quæritur quando dicatur uiolata? Quando in ea sanguis humanus effusus est. Pro quo nota, quod oportet, ut effusio sit facta iniuriosè, à proposito, offendendo, & non se defendendo, nec casualiter: puta cecidit lignum, aut lapis è tecto, & aliquem vulnerauit; uel aliquis furiosus se ibi præcipitauit, aut ictu proprio se interfecit, aut ex naso, uel ore, uel cicatrice effluxit. Dicit enim Hostien. in his casibus fortuitis, in quibus non concurrit uoluntas hominis alij uiolentiam facientis, non est uiolatio, ut iterum reconciliari opus sit. Secundo tunc dicitur uiolata, quando vulnus factum est intra Ecclesiam, etiam si tũc in ea non effluxerit sanguis in terram, sed foris; sed si vulnus factum esset foris deinde fugiens ad Ecclesiam, ibi sanguis cecidisset; tunc non esset uiolata; neque si

4 Violata.

Nota.

que si

que si ex tali vulnere intus Ecclesia moreret. Cap. 2. extrà, de Clerico per c. Tertiò, ut sanguis sit humanus, & hominis viui, & in magna quantitate effusus, & delictum sit publicum, saltem per famam, & non occultum. Quartò, quando aliquis interficeretur per rixam, sine sanguinis effusione, puta per suffocationem, & hoc propter horrorem facti criminosi; secus si id accideret casualiter. Quintò, dum prędicta fiunt intra Ecclesiam, & non supra tectum, uel subtus grottam. De his uide in Summa Corona confes. 3. parte, c. de Interdicto. Quæritur denique quando dicitur polluta? Respondetur, quãdo in ea effunditur semen humanum per fornicationem, ac etiam in actu coniugali; nisi coniuges in ea habitassent; quia tunc non eis prohibetur, ut debitum reddant ad inuicem: & ita conciliantur Doctores, qui circa hoc varij esse uidentur. Secundò, ut seminatio seminis sit procurata, & nõ in somnis, uel ex infirmitate. Tertiò ut fiat intra Ecclesiam, vel eius cappellam, & non super tectum, uel subtus grottam, ubi non celebratur, uel in campanili.

Polluta.

Quartò, ut peccatum sit publicum, & nõ occultum: quia Ecclesia non iudicat de occultis. Et hęc omnia ordinantur, ut loca sacra habeantur in maiori ueneratione; & peccatores de talibus peccatis in ea commissis confundantur, quod non habet locum in peccatis occultis, & ignoratis. Ita tenent communiter Doctores. Reliqua, quæ hic de uiolatione Ecclesiæ dici possent, uide in loco supradicto.

Qui autem celebrasset in prædictis locis prohibitis, peccaret mortaliter: & multo grauius in Ecclesia polluta & uiolata ante reconciliationem; nisi hoc ignoraret. Sed non incurreret irregularitatem, cap. Is qui, de senten. excommunica in sexto. Vnde in casu, quo Ecclesia esset combusta, uiolata, uel polluta, ut dixi, prius reconsecrari debet, si erat ante consecrata, uel benedici, si erat tantum benedicta, & lauari aqua exorcizata, ait Raim. in Can. Si Ecclesia, de consecrat. Si quęris. Quæ differentia est inter consecrare, & benedicere? Dicitur, consecratio fit cum oleo sacro, cap. Quod in dubijs. extra; de consecratione Eccle. Et cum uino & cinere, cap. proposuisti, ibidem. Et cum Missa dicta ab Episcopo, Can. Nemo, ead. dist. Benedictio autem fit sine istis sollemnitatibus, à Presbytero, mandato Episcopi cum aqua exorcizata. capit. Aqua, extrà, de consecratione.

4. Dubium de casu necessitatis.

Quartò quæritur, liceat ne consecrare in Ecclesia polluta, & uiolata in casu necessitatis, sicut in alijs locis non consecratis? Dicitur, quod non, ratione reuerentię: nam dum in campo, & tentoriis conceditur, intelligitur, ut illa sint loca honesta, & non profana: itaque decentius est extra Ecclesiam consecrare, quam in Ecclesia uiolata, donec reconcilietur.

5. Dubium de Ecclesia interdicta.

Quintò quęritur, an celebrari possit in Ecclesia interdicta? Dicitur, quod non, si interdictum est locale particulare, idest quando interdicitur una, uel duæ Ecclesię, tunc ibi nihil fieri potest, nisi sepeliri clericos eiusdem Ecclesiæ: unde si aliquis in illis celebrasset, efficeretur irregularis: sed celebrandum est in aliis Ecclesiis. Si autem interdictum esset generale locale, puta essent interdictę omnes Ecclesię vnius Ciuitatis, vel Prouincię; tunc clerici possent ibi diuina celebrare, ianuis clausis, submissa uoce, & sine campanis: de quibus latius in tertia parte Summę nostrę, cap. de Interdicto.

6. Dubium de altari non cõsecrato.

Sextò quæritur, an Missa dici possit in altari nõ consecrato, uel sine tabula consecrata ad minus? Dicitur, quod non. Can. Concedimus, ead. dist. Vnde si fuerit exsacratum, debet prius reconsecrari, uel interim cum tabula consecratá celebrari, aliàs mortaliter peccaret. Immò Episcopus non potest dispensare, ut Sacerdos celebret in altari non consecrato, aut ad minus sine tabula consecrata, quacunque necessitate currente: quia nullibi hoc cautum inuenitur,

nisi

nisi summus Pontifex tantum dispensare valet: quia prohibitio hęc est de iure positiuo. Sed hic quęritur, quando altare dicitur exsacratum? Dicit Host. in tit. de consecrat. Ecclesiæ; quando mensa est destructa: nec sufficit si reædificetur ut prius: uel quando enormiter est fracta, vel quando lapis, cum quo sigillantur, seu clauduntur reliquię quę in consecratione altaris poni solent: diminutus, aut disiunctus fuerit. Idem etiam dicitur de tabula consecrata, quam uocant altare portatile.

Altare exsacratum.

Septimò quęritur, an missa dici possit cum calice non consecrato, uel exsacrato? Dicitur, quod non, sine graui scelere: nec Episcopus in hoc dispensare potest, ut suprà. Sed quando dicitur exsacratus? Quando percutitur ferro ab Episcopo, uel alio Sacerdote ex mandato Episcopi, ad hunc finem, vt exsacretur, vel quando dissoluitur, aut taliter frangitur, ut formam calicis amittat: non autem si radatur, uel mundetur.

7. Dubium de calice non cõsecrato.

Sed de linteaminibus, & corporalibus quid dicendum? Si scinduntur, aut lauantur, non amittunt benedictionem: Veruntamen lauari debent in sacrario, & à Diacono in vase ad hoc specialiter dedicato: deinde dari alicui fœminæ deuotæ, ut faciat ea magis candida, vt ait Gloss. Non licet calicem, & corporalia à secularibus tangi: & tangendo, quod peccatum est? Genere suo veniale: posset esse mortale ex contemptu: Can. In sancta, ead. distinct. Et multo magis si tam ista, quam aliæ uestes, tobaliæ, & alia usui Altaris cum benedictione dedicata, vsu profano applicarentur. Can. Vestimenta, ead. distinct.

De corporalibus.

Sed quid agendum, dum sunt uetusta. Possunt refici ex pannis, & filis non sacris, sine noua benedictione, si forma uestis manet, licet in pluribus partibus reficiatur: secus si tota resarciretur, ita ut prima forma mutaretur: quia ut dicit Albertus, sacrum trahit ad se non sacrum, dum manet. Et si fuerint facta inutilia? Dicit Hostien. in Summa, Titulo de Consecratione, non debent ad alios usus profanos applicari, sed comburi. Idem de uasis sacris, candelabris, cathedra, ubi sedet celebrans, uelo, palla, & aliis ad usum altaris pertinentibus, faciendum. Can. Altaris, ead. dist.

De vestibus vetustis.

Quantum ad circunstantiam temporis, duo sunt uidenda. Vnum s. de frequentatione celebrationis, alterum de hora celebrandi. nam in celebratione huius mysterij, duo prę oculis habere debemus. Vnum est officium religionis, & cultus Dei, alterum est repræsentatio Dominicæ Passionis. Ratione primi decens fuit regulariter loquendo, quotidie in Ecclesia celebrare, hoc est singulis diebus, per annum sacrificium offerre, quia quotidie, propter quotidianos defectus, fructu Dominicæ Passionis indigemus. Vnde Dominus petere docuit: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Hinc Ecclesia statuit, ut singulis diebus missa saltem conuentualis celebraretur, cap. Cũ creatura, de celebr. Missarum, pręterquã in sexta feria Hebdomadæ sanctæ, & sabbatho sancto, nã dici solet in præsentia ueritatis figura cessat. Et quia hoc sacrificium est figura, & repræsentatio Dominicæ passionis, quæ fuit expleta illa die, nõ est congruũ, ut quando Christi gesta realiter recolit Ecclesia, tunc sacrificium in eius memoriam figuratiuè offerre. Veruntamen ne illa etiam die Ecclesia sine fructu eius passionis existeret, ordinauit, ut illa die sumeretur à Sacerdote Corpus Christi consecratum præcedenti die, ad hunc finem specialiter reseruatum. Hinc die Cęnæ seruatur hostia consacrata in monumento, ut sumatur die sequenti, quãdo consecrare non licet, ratione iam dicta: Sanguis autem non reseruatur, propter periculum effusionis, uel alterationis. Hinc apud vulgũ, custodia illa habere cæpit effigiem sepulturæ: cum Christus non expirauerit, & in sepulturam missus fuerit, nisi die sequenti ad vesperã. Itaque qui in tali die consecrare pręsumeret,

Quare die cœna Domini seruatur hostia pro sequẽti die.

Die cœna Domini vna Missa dicitur.

sumeret grauiter peccaret. ideò pro communicandis infirmis reseruatur in pixide Sacramentum diebus præteritis consecratum. Die autem Cœnæ, una Missa dicitur ex ritu Ecclesiæ, cap. te referente, de celebrat. Missarum. posset tamẽ die illa simplex Sacerdos de licentia Episcopi missam priuatam dicere. Sed non in sabbatho sancto: quia illa dies seruanda est, ut sexta feria. Nec obstat, quòd cantatur in illa missa sollemnis: nam illa missa est noctis sequentis. antiquitus.n. de nocte dicebatur; ut patet per collectam, quæ dicit. Deus, qui hanc sacratissimam noctem. Sed Ecclesia postea tempus anticipauit, propter ieiunantium lassitudinem, & alia incommoda currentia. Dixi (regulariter loquendo) propter occurrentia impedimenta, ut est interdictus, & cætera huiusmodi, propter quæ cessat ratio. Dixi quoque (quotidie celebrare) quod intelligitur in Ecclesijs cathedralibus, magnis Parochijs, & alijs collegiatis, & oppidis populosis. Vbi aũt est aliqua parochia parua, & conuentus exiguus: non est mortale in diebus feriatis à celebratione cessare. Ratione, secundi, s. repræsentationis Dominicę passionis, hora canonica celebrationis in missis sollemnibus, est à Tertia usque ad Nonam: quia tunc fuit celebrata Christi passio. Can. Nocte sancta, de consecr. dist. 1. ut quia tres fuerunt articuli passionis Christi. Primus dum linguis, & clamoribus Iudæorum Crucifixus fuit, dicentium: Crucifige, Crucifige eum, Mar. 15. & hoc fuit hora Tertia: Secundus fuit, qñ manibus Gentilium, idest ministrorum Pilati fuit cruci affixus, & hoc fuit hora Sexta. Io. 19. Tertius fuit, quando expirauit: & hoc fuit hora Nona. Matt. 27. Ideo Ecclesia ordinauit, ut his horis correspondentibus, cantarentur Missæ, videlicet Diebus festiuis, hora Tertia. Pro festis, hora Sexta. Diebus ieiuniorum, hora Nona. Vnde in Concilio Cabilonensi, Can. solent, de consecrat. dist. 1. cauetur, ne in diebus quadragesimæ cibus sumatur, nisi missarum sollemniis expletis, & uespertinis absolutis. Ex deuotione aũt, & commoditate populi, missa priuata dici potest in hora diei prima, usque ad horam meridiei indiscriminatim, ne plerique sine missa remaneãt Can. Necesse est, ead. dist. Hodie ex consuetudine in multis locis recepta, propter commoditates negotiantium, itinerantium, & laborantium, dicitur de nocte ualde mane. Quæ, consuetudo, ait Nauar. etiam in Gallia, & Hispania obseruatur: quod fieri debet ex causa utili ab Episcopo recognita. non tamen hoc liceret in media nocte, vel quasi, sine peccato mortali: nisi tantum in nocte Natiuitatis Domini, propter mysterium. quia in illa hora Christus natus est, & pastoribus annunciatus. Can. Nocte Sancta. Et quamuis regulariter post Nonam celebrare non liceat; tamen ex causa, post meridiem aliquantulum cõcedi posset. Vel propter officium mortuos sepeliendi; ubi est consuetudo, ut sepeliatur cũ missa. Vel propter cæremonias, quæ hodie fiunt in missis sollemnibus. Vel propter sponsalitia nobiliũ, propter concionem in Quadragesima; sed sine causa legitima, horam Canonicam differre, non esset sine peccato mortali. Nec decretum sacri Conc. Triden. sess. 22. videtur prædictis contradicere; quia per illud, his dictis non est derogatum, ut etiam Nauar. notat. cap. 25. nu. 82. & 86.

Hora celebrãdi.

De igne dum celebratur.

Quantum ad circunstantiã ignis, breuiter dicitur. Qui celebrat sine lumine, vltra quòd peccat mortaliter: debet per Pręlatum seuere puniri. Cap. finali, & c. Intellect. de Celebrat. Missarum.

De

De integrantibus Missam.

DIcto de præparatorijs ad Missam. sequitur modo de secundo membro principali dicere, scilicet de integrantibus Missam, pro quibus nota, quod multa in hoc dici possent, quæ breuitatis causa pertranseundo, *Nota.* summariè tangemus. Qui autem uellet sibi ad plenum satisfieri, uideat Gabrielem Biel in libro dicto, Canon missæ.

Missa intelligitur dupliciter. Primo pro toto illo, quod dicitur ab introitu, usque ad finem. Secūdo intelligitur, pro prima parte, usque ad offertorium, quę 6 dicitur missa Cathecumenorum, idest nouiter in fide instructorum, & nondum *Missa.* baptizatorum, qui usque ad offertorium permittebātur audire, Can. Episcopus. de Consecrat. dist. 5. Deinde Diaconus dicebat, exeant Catechumini foras; Itaque dicitur missa, quia emittebantur. Vnde Isidoris. Sacramentis altaris interesse non possunt, qui nondum baptizari noscūntur. Missa primo modo sumpta diuiditur in quattuor partes. In prima insinuatur illuminatio populi, quæ extēditur vsque ad offertorium inclusiuè. In secunda consecrandorum oblatio: quæ incipit à secreta, usque ad, Te igitur. In tertia insinuatur oblatorum consecratio; quæ extenditur usque ad Postcōmunionem. In quarta beneficij accepti remuneratio; quæ extenditur usque ad finem.

In prima parte, illuminatur, dico, populus per decem mysteria; quibus aduētus Christi desiderandus est. sicut n. à patribus antiquis expectabatur, & desiderabatur eius aduentus in carne uisibiliter; clamantes. Vtinam disrumperes cælos, &c. ita hic desiderandus est, quasi nouus aduentus eius inuisibiliter: quo fit pręsens in Sacramento, quod significatur per Introitum. Secundo quia aduentus *Introitus quid* eius non solum est desiderandus, sed etiam postulandus, sicut patres anti- *significet.* qui postulabant, dum dicebant. Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum. *Kirieleison.* Quod significatur, per Kyrieeleison. idest Domine miserere. tempus enim aduētus eius fuit tempus misericordiæ. Tertio nō modo est postulandus, uerum etiā acceptandus, cum gratulatione. Quod significatur per Gloria in excelsis Deo. *Gloria.* Angelos imitando, qui nouo Domino Hymnum pastoribus cecinerunt. Quartò innitendum est etiam eius gratiæ per postulationem. Quod significatur per ora- *Oratio.* tiones, quæ fiūt in Collecta. Quintò innitēdum est eius doctrinę, quæ per lectionem Prophetarum, & Apostolorum sumitur, quibus populus docetur. Quod significatur per Epistolam quæ præmittitur Euangelio, sicut lex gratiæ cucurrit. *Epistola.*

Sextò populus illuminatur, ut intelligat, in statu præsentis uitæ gemitu pęnitentiæ peccatorum cōmissorum, esse innitendum. Quod significatur per graduale *Graduale.* Dicente Domino. Mundus autem gaudebit, uos uerò contristabimini; ideo tempore Pascali, non dicitur Graduale, quia est tempus lętitię. Septimò post gemitum, insistendum est lætitiæ; quæ concipitur per spem futuræ uitę: subiungēte Domino. Sed tristitia uestra conuertetur in gaudiū. Quod significatur per Alleluia. Sed ista à Septuagesima usque ad Pascha omittitur, quia tunc Eccle- *Alleluia.* sia in tribulatione, loco cuius dicitur Tractus. Octauò illuminandus est populus, ut deuotè obtemperet mandatis legis nouę. Quod significatur per Euan- *Euangelium.* gelium, ideo Diaconus accepta Missa benedictionem à Sacerdote postulat; *Quare diaconus* ad denotandum, quòd nullus debet prædicare, nisi mittatur; lectio enim Euan- *benedictionem acci-* gelij prędicationem significat. & propterea legi debet in eminentiori loco, quā *piat.* Epistola. Iuxta illud super montem excelsum ascende tu, qui euāgelizas Sion. Et ita dum legitur, audientes stare debent. Can. Apostolica, de Consecra. dist. 1.

Nonò

Credo. Nonò post prædicationem, documenta fidei sunt publicè confitenda, iuxta illud: Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit cõfessio ad salutem. Quod significatur per simbolum Apostolicum. Decimò, & ultimò per hæc fidei dona; sunt Domino munera placabilia offerenda; ut populus toto effectu in Deum eleuari possit, ut de se dignum Deo faciat Sacrificium. Quod significatur per Offertorium. Offertorium enim dicitur ab offerendo; nam tunc cantante choro, fiunt oblationes.

Offertorium.

Nota triplex oblatio. *Dominus vobiscum.* *Oremus.* Pro quo nota, quòd oblatio est triplex, & ideo tria offerẽda sunt. Primò sunt offerendæ ipsemet personæ missam audientes; ubi Sacerdos, oblaturus sacrificium laudis, præmittit. Dominus uobiscum, populum salutans; antequam dicat, Oremus, ad denotandum, quòd nisi Dominus sit nobiscum, pro salute nostra orare non possumus. Vnde multis bonis spiritualibus priuatur homo audiens missam, cum peccato mortali, ut infrà dicetur. Deinde per illud uerbũ, Oremus, exhortatur populus, ad eleuandam mentem ad Deum. Secundò sunt offerenda munera temporalia quotidiana, quæ seculares sponte dare tenentur, Ecclesiæ parochiali; ex quibus Parochus, & alij sacerdotes uiuere possint; secundum Vgonem, iuxta mandatum Domini per Moisen. Non apparebis in conspectum meo uacuus. ut habetur Can. Omnis Christianus. de consecrat. dist. 1. sed hodie in multis locis non sunt in usu dari, dum canitur missa, quia Ecclesiæ parochiales de decimis, & sumptibus sunt prouisæ, nisi in missis sollemnibus, ubi mos iste relictus est, per quandã cæremoniam, uel Ius parochiale. Hinc Hostiẽsis ait. In præcipuis festiuitatibus, tenetur quisque offerre, & cogi potest, maximè cum sit quædam generalis consuetudo, hoc ubique terrarum. Ideo offertorium canitur sollẽniter, dum sacerdos suscipit munera populi. ad denotandum, quæ Deo offeruntur, cum mentis iubilo offerri debere. Iuxta illud: Hilarem enim datorem diligit Deus.

Tertiò, sunt offerenda à celebrante, quæ ipsi Sacrificio necessaria sunt, scilicet, panis, & uinum, & aqua, de quibus satis suprà dictum est, circa materiam huius Sacramenti. Et hæc sufficiant quantum ad primam partem Missæ.

Secreta pars Missæ. *Incensatio oblatorum.* Sequitur secunda pars, quæ dicitur, Secreta, eo quod recitatur sub silentio, significans tempus, quo Christus non ambulabat palam inter Iudæos. In hac parte sacerdos se præparat ad consecrandum per tria. scilicet per incensum, lotionem, & orationes. Incenso se præparat deuotionis odore, dum munera incensat, & thuribulum in signum crucis superinducit, ut omnes Diabolicas fraudes, & malignitates execretur: quod fit in missa maiori. Lotione se præparat, non timore contaminationis Corporis Christi cõsecrandi, quod nulla corporali immunditia contaminari potest, sed ad excitandum se ad internam cordis, & conscientiæ munditiam: non quidem mortalium, quia iam supponitur illis esse mũdatum: sed uenialium relictorum, & aliquarum reliquiarum. Ideo dicit. Lauabo inter innocentes manus meas: & nõ inter peccatores. Pro quo nota, quòd sacerdos, dum sacrum facit, ter lauat manus. Primo, antequam accedat ad altare, ut ostendat, se esse lotum ab omni iniquitate. est quoque illa prima lotio actio moralis. Secundò in missa statim post oblationem: ratione iam dicta.

Lotio manus.

Nota. *Sacerdos ter lauat manus.*

Tertiò post missam, ob reuerentiam Sacramẽti, quod manibus tractauit. Orationibus se preparat sacerdos: tum per se ipsum, dũ dicit, Veni sãctificator, &c. tum etiam per populi assistentis suffragia, dum dicit, Orate fratres, &c. Quibus præmissis per orationes secretas petitur à Deo, ut populus offerens in suis donis sit acceptus, & incorporandus in unitate corporis Christi, quod fit usque ad prefationem: ubi concluditur: per omnia secula seculorum alta uoce: significans, quòd Christus iterum palam ambulans, se Hierosolymis præsentauit in die palmarum, ut se Deo sponte offerret. Deinde sequitur Præfatio, quæ significat

Præfatio.

ficat gradarum actionem, & diuinæ laudis confessionem quam sancti in patria Deo reddunt. Deinde dicitur, Sanctus, &c. quod significat, & repræsentat Hymnum Angelorum, & laudem puerorum Hebreorum in ramis palmarum. Quę autem sequuntur, cum omnia sint plena mysteriis, & quo ad verba, & quo ad signa, longum esset omnia tangere, in hac tertia parte, quæ sequitur. *Sanctus.* *De Memento viuorum.*

Verum pro Parochis, unum examinare, valde necessarium est, scilicet, quid obseruandū sit circa (Memento) quod fit in Missa. Pro quo est notandū, q̄ in hoc Sacrificio est duplex offerens, unus, s. immediatus, alter mediatus, & mediatus est quoq; duplex, unus particularis petens suffragium Ecclesię, alter est uniuersalis, & principalis. Primus est Sacerdos consecrans, & sumēs Sacramentum: qui ita hoc Sacrificium perficit in propria persona, auctoritate tamen Ecclesię, ut nullus alius ab ipso concurrat cum eo, in sic offerendo. Secundus est ille, qui sacerdotē ad celebrandū inducit, ut instrumentum Ecclesiæ, cuius suffragia petit; Itaque Sacerdos hac intentione motus, offert in forma Ecclesię. Tertius offerens & principalis est ipsa ecclesia militans, in cuius persona Sacerdos, tāquā minister, & instrumentum eius, offert: hoc enim mysterium est Sacrificium totius Ecclesiæ: signū huius est, quòd Sacerdos non dicit, oro, tanquā ex propria persona, sed oremus ex persona Ecclesię. Nec dicit, pro quibus tibi offero, sed offerimus, & similia. Hinc Ecclesia Spiritusancto edocta, quę pro viuis, & defunctis deprecatur, statuit, ut quibusdam locis Canonis, specialis memoria fieret de illis pro quibus offeretur sacrificium, scilicet, vt in Memento primo fiat memoria uiuorum, & in memento secundo, mortuorum, vt in Rubrica ostenditur, & in vtroque memēto potest Sacerdos specialiter orare, pro quibus vult, & virtutem sacrificii applicare, ultra generalem orationem pro omnibus fidelib. viuis, atque defunctis, & omnia hęc fiunt ex ordinatione Ecclesiæ; quod patet per verba q̄ exprimuntur in Canone, dum. n. dicit; Memento domine famulorum famularumq; tuarum: intelligi debet pro certis personis, pro quibus Sacerdos specialiter celebrat; dum autem dicit: & omnium circunstantium, uult intelligere partem Ecclesiæ, quę non includitur in primis verbis. Ita etiam in Memento pro defunctis, dum dicit, Memento etiam Domine, vsque ibi, ipsis Dñe; pro particularibus intelligi uult. Dum aūt sequitur, & omnibus in Christo quiescentibus, uniuersaliter pro omnibus existentibus in purgatorio, orat Ecclesia. Et hoc meritò fit: nam oratio meritoria, quæ in hoc sacrificio fit, ad placandum diuinam maiestatem, & ipsi nos reconciliandū, potest intelligi ualere in triplici gradu, scilicet specialissimè, generalissimè, & medio modo, idest particulariter. Specialissimè valet pro celebrante solum, si est in gratia, quamuis enim moueatur ad celebrandum pro alio, semper tamen habet meritum proprium, propter bonum motum animi, quem habet, ad dicendum bonum opus quod meritum ita est suum, ut illud alteri dare possit ordinata voluntate. Generalissimè valet toti Ecclesię, prout ipsa orat: itaque sacerdos non debet à sua oratione aliquē excludere, sed oēs habituali intētione includere, dico (oēs) prætерquam iustè excommunicatos: quos Ecclesia, cum fecerit membra præcisa, non intendit in suffragiis communibus iuuare. Dico (in suffragiis communibus) quamuis enim sacerdos, & quicunque fidelis, possit particulariter orare pro excommunicato, vt resipiscat, non tamen in orationibus communibus, in forma Ecclesiæ illos iuuare potest. Dixi quoque (habituali) non enim tenetur orans omnes actualiter cogitare. Tertio modo valet pro illis, pro quibus specialiter sacrificium fit, & quibus sacrificii meritum applicatur, ultra illam generalē applicationem, quę fit in forma Ecclesię ut dixi; aliàs frustra Ecclesia ordinasset orationes particulares, & collectas, tam pro uiuis, quam pro defun- *Nota.* *Duplex offerens.* *Pro excommunicatis Ecclesia non orat;*

tis; frustra etiam,& inutiliter fideles eligerent specialiter missas dici pro se, statuentes beneficia, & erigentes cappellas, & eleemosinas largientes obligantes sacerdotes ad quasdã limitatas cõditiones, vt benè ait Alex.de Ales,& quãuis in Memẽto signata sint per literam.N. nomina taliũ particularium, pro quibus sacrificium offertur, non tamen necesse est, eos nominatim exprimere, ut uult. Innocen. sed sufficit mentis cogitatione illos recitare, & eorum petitionem explicare. Vnde conueniens est petenti missam pro se celebrari, suffragium,& petitionem suam particulariter celebranti notificare, dicendo, ad missam, quæ peto, teneor ex voto, vel iniunctã pęnitentiam, vel dicat illã pro tali; & tali mea deuotione peto, vel pro anima talis,& similia. Et quãuis Deus non egeat intentione nostra, cum omnia sint aperta oculis eius nec ratione particulari, ac si nostris precibus moueatur, cum sua voluntas immobilis permaneat; tamen vult Deus quædam donare,& conferre, secundum ordinem suæ sapientiæ, dũ ad ipsum dirigimus specialiter orationes nostras, quæ non esset daturus, sine illis; quia sic ab æterno dare disposuit, suo enim modo, ab æterno uidit Deus petitionem hominis futuram, siue pro remissione peccatorum, siue pro impetratione alicuius boni,& ad talem petitionem, pro tempore fiendã, ab æterno decreuit, se illi peccata dimissurum, vel tale bonum daturum, in tali tempore, sine sui mutabilitate; non enim mutatur Deus à non velle ad velle, propter petitiones nostras, ut faciunt homines, qui precibus inclinantur, & de nouo deliberant facere, quæ non intendebant facere, sed hoc facit Deus, ut dictum est, mutatione facta in nobis,& in eo, qui petit; nam mediante oratione homo disponitur, & idoneus efficitur, ut impeteret quod petit. sic enim Deus ab æterno, mediante illa oratione pręuisa, petitionem nostram adimplere disposuit. Volens itaque homo Deum sibi fore pium, sit ipse pius, est enim pius, & durus cum duris. Ex his deducitur. valdè proficuum esse tam celebrantibus, quam celebrari facientibus, speciales missas, ac particulares collectas eligere, ut usum habet Ecclesiæ; non enim sufficit illa generalis applicatio intentionis totius Ecclesiæ, quo ad prędictas particulares petitiones.

Cum autem dictum sit, fructus sacrificij tripliciter applicari posse, scilicet specialissimè ipsi celebranti, generalissimè toti Ecclesię,& tertio particulariter quibusdam determinatis personis. Duę primæ applicationes semper sunt determinatę; semper enim fiunt pro ipso celebrante, & pro Ecclesia uniuersali. Quod ita conuenit fieri ex regula Charitatis; quæ ordinata est, ut scilicet homo primo pro se ipso petat, secundo pro omnibus fidelibus, neminem excludendo, sed de tertia applicatione, quæ media est, & particularis, non datur regula determinata, scilicet, vt semper fiat eodem modo; quia non semper celebrans eadem intentione mouetur, sed applicatio fit illi, pro quo specialiter orat; quod fit modo uni, modo alteri.

Dubium de libertate applicandi Sacrificium.

Vnde quęritur modo, an sit in potestate celebrantis applicare fructus, & virtutem sacrificii, quantum ad istam tertiam applicationem, an non? Scotus quodlib. 20. ubi diffusè hanc quęstionem tractat, respondet affirmatiuè: quamuis enim sacerdos sit instrumentum,& minister Ecclesiæ, per quem Deus prece; ipsius Ecclesiæ admittit, & eis, pro quibus ipsa Ecclesia orat per sacerdotem, dona distribuit: tamen quia ipse sacerdos est Deo consecratus, & huic cultui specialiter mancipatus. teneatque supremum gradum Excellentię in Ecclesia, ratione ordinis Sacerdotalis; sicut eius est sacrificium offerre, ita eius est etiam virtutem sacrificii determinare, & ei, pro quo celebrat, applicare, ut tali indigenti bonum à Deo conferatur.

Scotus. Ratio.

Instantia.

Et si diceretur, super bonum, quod Deus alteri confert, Sacerdos non habet ius assignandi illud alteri, quia non debetur sibi, cum sit merus nuncius Eccle-

siæ,

læ, neç procedit ex suo merito personali, sed debetur Ecclesiæ; ergo non est suum illud alicui determinatæ personæ applicare. Ad hoc respondetur, quod licet bonum aleri virtute Sacrificij conferendum, non debeatur Sacerdoti pro se; debetur tamen Ecclesiæ secundum celebrantis distributionem: ipse enim ex ordine, quem tenet in Ecclesia, est nuncius sponsę ad sponsum, offerens petitionem pro determinatis personis; quibus dispositiuè applicat illud bonum. Et quamuis quilibet Sanctus, & iustus in Ecclesia possit pro alio orare, & illi de congruo bonum impetrare: hoc tamen ex officio propriè conuenit ipsi celebranti. Ex quo sequitur, quòd Sacerdos non est tantum instrumentum & minister, sed etiam dispensator: quamuis enim bonum, quod uirtute Sacrificij impetratur, non sit meritum personale proprium: tamen quia ratione ordinis habet in Ecclesia gradum excellentiæ, vt dixi, ideò conuenit ei, non tantum offerre, sed etiam oblationis uirtutem, & fructum alicui determinatę personæ applicare. *Responsio.*

Sed quęritur ulterius, ne uoto, & suffragio petentes fraudentur, postquam suum est fructus Sacrificij particulariter applicare, an liceat ipsi, cui uoluerit, pro libito suo, illud applicare? Respondetur cum distinctione: Aut celebrans tenetur ex aliqua stricta obligatione missam dicere; aut ad hoc inducitur liberè pro sua deuotione: Si pro sua deuotione, clarum est, quòd potest uirtutem Sacrificij pro libito suo, cui voluerit illud applicare: quod accidit simplicibus Sacerdotibus, qui pro nullo tenentur. Si autem tenetur ex aliqua stricta obligatione, hęc multiplex esse potest. Vel inducitur ad celebrandum pro aliquo particulari petenti eius suffragium, cui se obligauit, eo quòd sibi ministrauit necessaria, seu eleemosynam dedit: & tunc non modo fructum Sacrificij alteri applicare non potest; sed neque intentionem petentis suffragium mutare valet, scilicet, ut dicat missam talis Sancti, uel sanctę, tales collectas faciat, & huiusmodi. Vnde valde errant, qui requisiti ad dicendum diuersas missas, illas per commemorationes transeunt. Vel tenetur ex institutione Ecclesiæ, quæ in diuersis Diœcesibus, diuersos instituit Curatos, & Parochos, qui teneantur suas Ecclesias officiare, & pro parochianis, & subditis suis specialiter orare, & tunc non potest alijs, quam sibi debitis uirtutem Sacrificij applicare. Vnde erat Parochus, eo die, quo pro Parochianis missam conuentualem dicere tenetur; si celebrasset tantummodo pro suis parentibus, uel amicis, uel pro deuotione alicuius petentis missam particularem: credens, se satisfacere debito Parochiæ, quomodocunque Ecclesiam suam officiet: dicendo, Satis est, quòd celebro. Vel obligatur collegiatam Ecclesiam officiare: in qua sunt aliqui Sacerdotes instituti ad faciendum sacrum pro fundatoribus, & donantibus Ecclesiam, uel relinquentibus bona temporalia, ut pro ipsorum anima dicantur tales, & tales missæ: & tunc eadem sequitur obligatio, ut dictum est. Itaque eo die, quod missam conuentualem dicere tenetur, pro fundatoribus, & similibus; non potest celebrare pro petenti missam de S. Rocho, uel simili: & dum tenetur dicere missam de anniuersario pro anima illius, qui Ecclesiam dotauit, non potest dicere Missam pro anima patris sui, uel simili. Vel tenetur celebrare ter, uel quater in hebdomada pro beneficio sibi relicto, & tunc illis diebus non potest intentionem instituentis beneficium variare, contra pręceptum, fundationem, uel institutionem, ut suprà dictum est. Quòd si contrariũ fecerit, ait Scotus quo suprà, & ipsi nocebit, & applicanti nihil proficiet; quia taliter applicando peccat mortaliter. Sed nunquid per eadem missam posset satisfacere intentioni amborum, scilicet applicando fructus sacrificij, & beneficium instituenti, & petenti pro se missam particulariter dici, seu animæ parentum, inferius ad plenum dicetur. *Error celebrãtium.*

M 2 Præter

Præter prędictas obligationes, oritur quoque obligatio quandoque ad orandum pro illis, qui bona naturæ, animæ, vel fortunæ contulerunt, ut sunt parentes carnales, & spirituales, amici, & huiusmodi: & quandoque ex charitate mouemur ad orandum pro inimicis, & malefactoribus, aut simul pro uiuis, atque defunctis. Vnde sæpè accidit, vt Sacerdos debito antidorali teneatur, uel liberè moueatur simul pro pluribus in vna missa orare: pro quorum applicatione, ordo quidam obseruandus est.

Ordo habendus in Memẽto.

Verum dum Sacerdos pro pluribus celebrare disponitur, quem ordinem tenere debeat, & in quo gradu, & loco applicationem Sacrificij huic, uel illi facere debeat, dubium est. Sunt enim quidam, qui ordinem sex casuum Grammaticalium in hoc seruant, scilicet, incipiendo à nominatiuo, qui primus est; in quo celebrans ponit se ipsum; quia charitas ordinata incipit à se ipso.

In genitiuo, idest secundo loco, memoriam facit genitorum, idest parentum, & propinquorum, tam carnalium, quàm spiritualium. In datiuo, idest tertio loco, memoriam facit dantium, post eorum, qui bona tam spiritualia, quàm temporalia ministrauerunt, & contulerunt. In accusatiuo, idest quarto loco, facit memoriam accusantium, idest inimicorum; iuxtà illud: Diligite inimicos vestros, & orate pro calumniantibus, & persequentibus uos. In vocatiuo, idest quinto loco, pro peccatoribus, qui ad pœnitentiam uocantur. In ablatiuo, idest sexto, & vltimo loco, pro quibus abstulimus bona, tam temporalia, quàm spiritualia, vel occasionem damni dedimus, orat. Et ita hunc ordinem tenendo, diuersimodè intentionem suam applicat diuersis personis, eos Deo repræsentans, vt virtutem Sacrificij eis, secundum indigentiam distribuat.

Hic autem ordo non solum Sacerdoti tædiosus est, propter mentis distractionem, & populo astanti propter temporis prolixitatem, verum etiam neque ordini obligationis celebrantis correspondet: nam esto, quòd Sacerdos nemini obligatus possit hunc ordinem, vel alium tenere, & omnes prædictos in Missa commendare, quod laudabile est: tamen qui alicui in specie aliquo modo obligatus est, hunc ordinem tenere non potest: Sacerdos enim prius tenetur pro benefactoribus, & eis, qui ad celebrandum inducunt, qui ponuntur in datiuo, quàm pro genitoribus, qui ponuntur in genitiuo: & prius pro damnificatis qui ponuntur in ablatiuo, quàm pro peccatoribus, qui ponuntur in vocatiuo. Itaque ratio debiti requirit, ut quibus magis obligamur, illis nostra intentio prius applicanda est. Ideo aliter dicendum est, vt alij melius dicunt, & primo: Quocunque fine celebrans mouetur ad celebrandum, primo loco semper pro se ipso orare debet; nec aliquem, ordinata charitate, sibi præponere debet. Secundo loco, pro illo, seu illis, quo, seu quibus principaliter celebrare mouetur: & hoc diuersimodè, nam si tenetur pro beneficio, vel Ecclesiæ fundatori, vel benefactori, vel simili, & pro illis celebrare intendit, cum sint mortui, tunc principalem intentionem, pro illo, seu illis, in memento mortuorum reseruare debet; & uirtutem Sacrificij primo illi, post se, applicare: deinde per ordinem cęteris, prout magis, uel minus tenetur. Et in memento uiuorum potest orare pro quibus placet in ratione impetrationis, quia suffragia, quæ pro viuis in Sacrificio petuntur, non impediunt fructum Sacrificij pro mortuis intentum, ut latius infrà dicetur: Vnde concluditur, quòd non opus est tenere semper eundẽ ordinem, prout prima opinio dicebat: sed nunc vni, nunc alteri in primo loco, prout expedierit, applicare potest: deinde cæteris, ut dixi. Et si fortè scrupulus conturbat mentem Sacerdotis oppressi multis obligationibus, & nescientis

tis ordinare intentionem suam circa illos, quibus se uiderit obligatum; intendat in generali, tam in Memento uiuorum, quam defunctorum, post principalem intentionem applicatam illi, pro quo primò celebrat, ut Dominus, qui est iustissimus distributor, dignetur acceptare Sacrificium pro illis, pro quibus tenetur, & eo ordine, eius fructum distribuere, ut ipsum obligatum esse noscit. Et si sacerdos, in illo loco, Memento, ubi hæc fieri debent, nescit suam intētionem dirigere, & ordinare, ut dixi: ne ibi mēte distrahatur, aut superfluè in prædictis moretur, utatur cautela Scoti, scilicet, ut in Sacristia, antequam ad altare accedat, se præparet, & suam intentionem ordinet, illam Deo dirigens, modo, quo intendit orare, & sacrificium applicare: deinde dum super altare peruenerit ad locum (Memento) sufficit habere memoriam in communi, prçordinatorum in sacristia, ut Deus acceptet sacrificium pro illis, pro quibus se uelle offerre ordinauit. Et hæc de Memento.

De ualore Missæ.

Hic definienda est illa quæstio, tam desiderata à Sacerdotibus timoratæ conscientiæ, scilicet: An missa celebrata pro pluribus, tantum ualeat singulis eorum; quantum, si pro uno solo diceretur? 7 *Quæstio utilis & necessaria scitu.*

Pro ueritate huius materię, est ualde insudandum: eo quòd circa eam fuerunt variæ opiniones, propter uaria fundamenta, quibus fulciuntur. Prima opinio tenet indistinctè, Missa dicta pro pluribus, æquè ualet omnibus, ac si pro uno solo, seu singulis eorum diceretur. Fundamentum huius opinionis est: Missa ut habet rationem sacrificii, est infinitæ uirtutis, & ualoris, quia ibi immolatur Christus, qui infinitè satisfecit. Ergo ex sui quantitate sufficit ad satisfaciendum pro omni pœna, ergò per applicationem ad multos, non minuitur eius effectus. Et confirmatur per Can. Non mediocriter, de consecrat. distinct. 5. Vbi Hieronymus habet hæc uerba: Dum igitur pro cunctis animabus psallimus, uel Missa dicitur, nihil minus, quam si pro uno quolibet ipsorum diceretur, accipitur. Huius ratio est: quia Spiritus sanctus non datur ad mensuram. *1. Opinio.*

Ista opinio, sicut paucos habet patronos; ita non est amplectenda, prout cōmuniter neque amplectitur: nam vltrà quod sacerdotes faceret nimium cupidos, continet vnum absurdissimum: nam sequeretur, quod sacerdos una missa totum purgatorium euacuare posset: quod est falsissimum, si enim ita res se haberet: Ecclesia certè non ordinasset tot Missas dicendas pro defunctis, & Suffragia pro qualibet anima existente in purgatorio: ut habetur Cap cum creatura, de celebratione missarum. Ad fundamentum eius respondetur cum D.Th. in tertia parte, q. 79. art. 5. Quamuis Sacrificium Missæ in se sit infiniti ualoris, ex eius sufficientia: non tamen infinitè applicatur ei, pro quo Missa dicitur: sed secundum quantitatem deuotionis offerentis, siue fuerit immediatus, siue mediatus, ut infrà explicabitur. Ad auctoritatem Hieronymi in Can. allegatam, quæ forsan mouit auctores huius opinionis ad sequēdum talem sententiam, dicitur; vt etiam Glos. dicit: Hoc referendum esse ad ipsum celebrantem: tantum enim iuuat ipsum celebrantem, dicendo Missam pro uno, quantum pro multis. Vel melius, ut referatur ad quantitatem deuotionis: in quo ca- *Refutatio.*

Præter prędictas obligationes, oritur quoque obligatio quandoque ad orandum pro illis, qui bona naturæ, animæ, vel fortunæ contulerunt, ut sunt parentes carnales, & spirituales, amici, & huiusmodi: & quandoque ex charitate mouemur ad orandum pro inimicis, & malefactoribus, aut simul pro uiuis, atque defunctis. Vnde sæpè accidit, vt Sacerdos debito antidorali teneatur, uel liberè moueatur simul pro pluribus in vna missa orare: pro quorum applicatione, ordo quidam obseruandus est.

Ordo habendus in Memēto. Verum dum Sacerdos pro pluribus celebrare disponitur, quem ordinem tenere debeat, & in quo gradu, & loco applicationem Sacrificij huic, uel illi facere debeat, dubium est. Sunt enim quidam, qui ordinem sex casuum Grammaticalium in hoc seruant, scilicet, incipiendo à nominatiuo, qui primus est; in quo celebrans ponit se ipsum; quia charitas ordinata incipit à se ipso.

In genitiuo, idest secundo loco, memoriam facit genitorum, idest parentum, & propinquorum, tam carnalium, quàm spiritualium. In datiuo, idest tertio loco, memoriam facit dantium, post eorum, qui bona tam spiritualia, quàm temporalia ministrauerunt, & contulerunt. In accusatiuo, idest quarto loco, facit memoriam accusantium, idest inimicorum; iuxtà illud: Diligite inimicos vestros, & orate pro calumniantibus, & persequentibus uos. In vocatiuo, idest quinto loco, pro peccatoribus, qui ad pœnitentiam uocantur. In ablatiuo, idest sexto, & vltimo loco, pro quibus abstulimus bona, tam temporalia, quàm spiritualia, vel occasionem damni dedimus, orat. Et ita hunc ordinem tenendo, diuersimodè intentionem suam applicat diuersis personis, eos Deo repræsentans, vt virtutem Sacrificij eis, secundum indigentiam distribuat.

Hic autem ordo non solum Sacerdoti tædiosus est, propter mentis distractionem, & populo astanti propter temporis prolixitatem, verum etiam neque ordini obligationis celebrantis correspondet: nam esto, quòd Sacerdos nemini obligatus possit hunc ordinem, vel alium tenere, & omnes prædictos in Missa commendare, quod laudabile est: tamen qui alicui in specie aliquo modo obligatus est, hunc ordinem tenere non potest: Sacerdos enim prius tenetur pro benefactoribus, & eis, qui ad celebrandum inducunt, qui ponuntur in datiuo, quàm pro genitoribus, qui ponuntur in genitiuo: & prius pro damnificatis qui ponuntur in ablatiuo, quàm pro peccatoribus, qui ponuntur in vocatiuo. Itaque ratio debiti requirit, ut quibus magis obligamur, illis nostra intentio prius applicanda est. Ideo aliter dicendum est, vt alij melius dicunt, & primo: Quocunque fine celebrans mouetur ad celebrandum, primo loco semper pro se ipso orare debet; nec aliquem, ordinata charitate, sibi præponere debet. Secundo loco, pro illo, seu illis, quo, seu quibus principaliter celebrare mouetur: & hoc diuersimodè, nam si tenetur pro beneficio, vel Ecclesiæ fundatori, vel benefactori, vel simili, & pro illis celebrare intendit, cum sint mortui, tunc principalem intentionem, pro illo, seu illis, in memento mortuorum reseruare debet; & uirtutem Sacrificij primo illi, post se, applicare: deinde per ordinem cęteris, prout magis, uel minus tenetur. Et in memento uiuorum potest orare pro quibus placet in ratione impetrationis, quia suffragia, quæ pro viuis in Sacrificio petuntur, non impediunt fructum Sacrificij pro mortuis intentum, ut latius infrà dicetur: Vnde concluditur, quòd non opus est tenere semper eundē ordinem, prout prima opinio dicebat: sed nunc vni, nunc alteri in primo loco, prout expedierit, applicare potest: deinde cæteris, ut dixi. Et si fortè scrupulus conturbat mentem Sacerdotis oppressi multis obligationibus, & nescien-

tis

tia ordinare intentionem suam circa illos, quibus se uiderit obligatum; intendat in generali, tam in Memento uiuorum, quam defunctorum, post principalem intentionem applicatam illi, pro quo primò celebrat, ut Dominus, qui est iustissimus distributor, dignetur acceptare Sacrificium pro illis, pro quibus tenetur, & eo ordine, eius fructum distribuere, ut ipsum obligatum esse noscit. Et si sacerdos, in illo loco, Memento, ubi hæc fieri debent, nescit suam intētionem dirigere, & ordinare, ut dixi: ne ibi mēte distrahatur, aut superfluè in prædictis moretur, utatur cautela Scoti, scilicet, ut in Sacristia, antequam ad altare accedat, se præparet, & suam intentionem ordinet, illam Deo dirigens, modo, quo intendit orare, & sacrificium applicare: deinde dum super altare peruenerit ad locum (Memento) sufficit habere memoriam in communi, prçordinatorum in sacristia, ut Deus acceptet sacrificium pro illis, pro quibus se uelle offerre ordinauit. Et hæc de Memento.

De ualore Missæ.

HIc definienda est illa quæstio, tam desiderata à Sacerdotibus timoratæ conscientiæ, scilicet: An missa celebrata pro pluribus, tantum ualeat singulis eorum; quantum, si pro uno solo diceretur? 7 *Quæstio utilis & necessaria scitu.*

Pro ueritate huius materię, est ualde insudandum: eo quòd circa eam fuerunt variæ opiniones, propter uaria fundamenta, quibus fulciuntur. Prima opinio tenet indistinctè. Missa dicta pro pluribus, æquè ualet omnibus, ac si pro uno solo, seu singulis eorum diceretur. Fundamentum huius opinionis est: Missa ut habet rationem sacrificii, est infinitæ uirtutis, & ualoris, quia ibi immolatur Christus, qui infinitè satisfecit. Ergo ex sui quantitate sufficit ad satisfaciendum pro omni pœna, ergò per applicationem ad multos, non minuitur eius effectus. Et confirmatur per Can. Non mediocriter, de consecrat. distinct. 5. Vbi Hieronymus habet hæc uerba: Dum igitur pro cunctis animabus psallimus, uel Missa dicitur, nihil minus, quam si pro uno quolibet ipsorum diceretur, accipitur. Huius ratio est: quia Spiritus sanctus non datur ad mensuram, *1. Opinio.*

Ista opinio, sicut paucos habet patronos; ita non est amplectenda, prout cōmuniter neque amplectitur: nam vltrà quod sacerdotes faceret nimium cupidos, continet vnum absurdissimum: nam sequeretur, quod sacerdos una missa totum purgatorium euacuare posset: quod est falsissimum, si enim ita res se haberet: Ecclesia certè non ordinasset tot Missas dicendas pro defunctis, & Suffragia pro qualibet anima existente in purgatorio: ut habetur Cap cum creatura, de celebratione missarum. Ad fundamentum eius respondetur cum D.Th. in tertia parte, q. 79. art. 5. Quamuis Sacrificium Missæ in se sit infiniti ualoris, ex eius sufficientia: non tamen infinitè applicatur ei, pro quo Missa dicitur: sed secundum quantitatem deuotionis offerentis, siue fuerit immediatus, siue mediatus, ut infrà explicabitur. Ad auctoritatem Hieronymi in Can. allegatam, quæ forsan mouit auctores huius opinionis ad sequēdum talem sententiam, dicitur; vt etiam Glos. dicit: Hoc referendum esse ad ipsum celebrantem: tantum enim iuuat ipsum celebrantem, dicendo Missam pro uno, quantum pro multis. Vel melius, ut referatur ad quantitatem deuotionis: in quo ca- *Refutatio.*

su loquitur Canon.ibi enim repræhenduntur illi, qui cum anxietate quadam, & tristitia cordis,indiscretas psalmorum, & officiorum decantationes faciebant; quos Hieronymus consolatur,dicendo,ut ibi dicitur:Melius est decantatio quinque psalmorum, cum cordis puritate,& spirituali hilaritate,quam totius psalterii,cum anxietate, & tristitia. Vbi insinuatur,quod non sola quantitas suffragij iuuat, sed quantitas deuotionis, cui attendit Deus: qui respicit cor,& non tantum uerba.

2. Opinio. Secunda opinio tenet indistinctè totum oppositum,scilicet,quod Missa dicta pro pluribus,non tantum valet pro singulis eorum,quantum si pro uno solo diceretur. Pro hoc ponunt hoc fundamentum.Merito finito,secundum plenam iustitiam, adæquatè correspondet aliquod præmium determinatum: sed bonum, quod debetur uirtute sacrificij correspondet alicui prçmio Ecclesiæ; illud autem est finitum,& certi gradus:ergo si diuidetur in plures,minus efficietur in quolibet eorum. Probatur, quòd sit finitum: nam bonum illud quod respondet sacrificio, potest dupliciter considerari, uel ex opere operato, uel ex opere operantis. Ex opere operantis, idest affectu,& deuotione offerentis, patet,quòd sit finitum. Ex opere operato, idest uirtute sacrificii in se; & tunc consideratur, aut ut est Sacramentum:& hoc modo nihil operatur, nisi in dignè sumente; quia æque ualet in Ecclesia, dum Eucharistia consecratur, & seruatur in pixide. Aut consideratur, ut est Sacrificium:idest alicuius offerentis oblatio, & tunc non ualet nisi quantum acceptatur: sed in tantum acceptatur, inquantum est alicuius offerentis grati, & accepti, & consequenter secundum quantitatem meriti eius erit meritum, seu præmium reddendum. nunc autem non est Christus immediatè se offerens: nam Christus semel oblatus est à seipso offerente. Dicente Paulo ad Hebræ. 9. Neque vt sæpè offerat semetipsum. Sed hoc est sacrificium Ecclesiæ militantis, ex ordinatione Christi, dicente ipso, Hoc facite in meam commemorationem. Patet ergo, quod sacrificium non acceptatur ratione uoluntatis Christi immediatè se offerentis, ut ualeret infinitè, prout ipse infinitè acceptus fuit, sed ratione uoluntatis Ecclesiæ militantis vniuersalis: ipsa autem habet meritum finitum; ergo finitè acceptatur, & consequenter bonum Sacrificio reddendum finitum est. Ex hoc infertur, secundum Scotum Quodlibeto 20. articulo 2. Si totum illud, quòd Sacrificio debetur in Missa specialiter uni applicabitur, nihil uirtute Sacrificii reddetur alteri: quia quod daretur alteri, nec est illud bonum, quod datur illi primo, nec includitur in illo, ut aliquid eius. Vnde tam ipse Scotus, articulo 3. quam Gabriel in Canone Missæ. lec. 26. post alia multa, consulunt. Dum aliquis inuenitur obligatus ad dicendum missam pro aliquo, si rogatur, pro eodem seruitio ab alio, non promittat eum commendatum fore in eadem Missa in primo gradu; quia primus fraudaretur in suo præmio, ratione iam dicta; sed in secundo, & ita nulla iniuria fit primo obligato. Sed esto quod sit uerum, ut in facto ita esse, inferius magis apparebit, scilicet præmium, quod merito Ecclesiæ debetur, sit finitum, Quæro, aut illud totum applicatur in Memento particulari primo obligato, aut non. Si primum, quæro, quid remaneat applicandum secundo obligato in secundo gradu, nec intelligo, quod meritum respondet in primo gradu primo obligato, & quod in secundo gradu, secundo obligato: Præterea sequeretur, ꝙ una missa satisfaceret pro tota pçna cuiusque animæ: non enim imaginandum est, ut prçmium, quod respondet merito Ecclesiç: si tam exiguum, ut non sufficiat, pro tota pçna non solum vnius animæ, sed plurium animarum; cum sint tot iusti in Ecclesia, digni magno præmio: unde si ita esset, non opus esset ordinare tot missas dicendas pro qualibet anima

Scotus. Gabriel.

Instantia contra opinionē.

anima defuncti. di secundum dixeris, tunc non sequitur, q primus, cui sacerdos primò obligatus, defraudetur per promissionem factam secundo, etiam in eodem primo gradu, nam cum præmium respondens merito Ecclesiæ, quod specialiter, ut sic illi primo applicatur, non totum sibi cedat, remanet aliquid distribuendum alteri. Itaque cum hæc opinio sic posita, non sit constans, ideo Nauar. cap. 25. num. 92. sequens hanc opinionem, postea inconstans uidetur. eodem cap. num. 3. *Nauarrus.*

Tertia opinio distinguit, ita dicens. Si missa dicatur sponte à Sacerdote, uel inducatur ab alio ad dicendum pro multis; tunc illa minus valet pro singulis eorum, quam si diceretur pro uno tantum: Si autem Sacerdos inducatur à diuersis, quorum quisque petit ut celebretur pro se, tunc per unam missam æquè satis sit omnibus, secundum eorum intentionem. Probant hanc sententiã per doctrinam D. Th. 3 p. q. 79. art. 5. hoc modo. Missa de se, in ratione sacrificii, est meriti infiniti, quod meritum non applicatur totum per unam missam, sed secundum quantitatem deuotionis, & affectus celebrantis, uel facientis celebrare. Vnde si attendatur quantitas deuotionis celebrantis, uel facientis celebrare, correspondet ei determinatus effectus, & fructus Sacrificii, qui si per intentionem celebrantis, seu facientis celebrare, ordinetur, vt ex æquo multis applicetur, clarum est, quod omnes simul minus de illo effectu inter eos diuiso participabunt, quam si totus uni eorum applicaretur, per intentionem offerentis; nam applicatio sacrificii correspondet quidem intentioni offerentis; sed quantitas effectus ipsius sacrificii non correspondet intentioni prædictæ, sed deuotioni eiusdem, & ita distribuitur. Si autem quisq; seorsum, & diuisim petit suffragium missæ, siue pro uno, siue pro multis. Puta, Petrus vult missam dici pro anima patris sui, Ioannes, pro matre sua, Franciscus pro fratribus simul celebrari petit; vna missa tantum ualet singulis, quantum omnibus, quia nullus eorum fraudatur intentione sua, omnes enim accipiunt de valore missæ secundum quantitatem deuotionis suæ, & non totum effectum, ut secunda opinio dicere videtur. *3. Opinio.*

Ex quo sequitur. Qui tenetur missam dicere pro uno, si ab alio rogatur, potest ei promittere, & una missa satisfacere ambobus, quia cum meritum missæ sit infinitum, ut supponit dicta opinio, & non totum cedat primo obligato sed secundum quantitatem suæ deuotionis, ut dictum est, semper remanet aliud, & aliud distribuendum, ergo si diuisim alii, & alii applicabitur, nullus illorum fraudabitur sua petitione correspondente suæ deuotioni, & affectui charitatis: quia effectus, & virtus Sacrificii correspondet affectui singulorum per rogantium distributiuè, & non toti multitudini collectiuè. Huius opinionis Caietanus est patronus, cui adhæret Syluester, Verbo Missa, 1. §. quæ. Sotus autem lib. 9. de iustitia & iure, q. 2. art. 2. sequitur secundam opinionem impugnatam: aduertens postea hoc fundamentum D. T. suppositum concurrit cum Caietano in 4. Senten. dist. 13. q. 2. art. 1. Veruntamen ne tantam ansam sacerdotibus daret, ex qua occasionem sumerent conculcandi missas, aliter à Caiet. concludit. *Caietan.* *Syluester.* *Sotus.*

Quarta opinio aliter distinguit, & respondet: ponendo hoc fundamentum. In effectu missæ multa bona comprehenduntur, sicut in aliis operibus ex charitate factis, scilicet, collatio bonorum gratuitorum, & satisfactio pœnæ pro peccatis debitæ, & propterea in missa ponuntur duo (Memento) Vnum pro viuis, ubi petuntur gratiæ, & dona tam spiritualia, quam temporalia. Alterum pro defunctis, pro quibus missa nõ ualet, nisi in ratione satisfactionis pro pęna debita in purgatorio. Vnde dicit ista opinio, si missa dicatur pro satisfactione peccatorum tam pro viuis, quam pro mortuis, non tantum valet multis, quantum *4. Opinio.*

si diceretur pro uno tantum. Si autem dicatur pro impetranda aliqua gratia, atque ualet multis, ac si diceretur pro vno solo. nam bonum spirituale communicatur ubique totum, sicut spiritus, ergo cuicunque applicatur, totum applicatur, & diuisim. Posset dari exemplum in Sacramento Baptismi. Si conferatur Sacramentum vni soli, donabitur gratia Sacramentalis in certo gradu. Si autem conferatur duobus simul, dicendo, ego vos baptizo, aspergendo aquam super eos, unico actu, ambo acciperent tantum gradum gratiæ, quantum si diuisim baptizarentur, non enim per hoc diuiditur effectus, & donum spirituale, quod confertur in Baptismo. Ita in proposito, quæ opinio, quantum ad hunc casum particularem benè dicit, ut infra videbitur. quamuis Gabriel Biel, loco supra citato illam refellat, & oppositum concludat.

Auctor. Ego autem fateor, omnes istas opiniones in parte benè dicere, Sed deficiūt, eo quòd non respiciunt omnes angulos domus: idest intelligentias quæsiti, sed quisque vnum angulum, per diuersa fundamenta, & secundum diuersitatē fundamentorum diuersa concludunt. Sed quia quæsitum hoc est multiplex, idest multos comprehendit intellectus, ideo vnica responsione dicto quæsito satisfieri non potest. Vnde respiciens ego omnes angulos istius quæstionis, pro eius faciliori intelligentia, sunt multa prælibanda, ex quibus Deo duce, credo negocium dilucidari, & quæsito satisfieri.

1. Prælibandū. Primum prælibandum est. Missa continet duo, scilicet orationes, & ipsum sacrificium; quæ diuisim sunt consideranda. Vnde in quadam collecta Secundæ Dominicæ Aduentus, dicitur: Placare quæsumus Domine humilitatis nostræ precibus, & hostijs. Circa vtrumque habenda est in proposito consideratio.

2. Prælibandum. Secundò est prælibandum, quòd Sacrificium Missæ, & habet rationem Sacramenti, & habet rationem Sacrificij. Inquantum dicitur Sacramentum, eius ratio perficitur in consecratione tantum: quia significat rem sacram, quam continet, quam rationem seruat, dum est in pixide, & ad fideles defertur, uel porrigitur. Et secundum hanc rationem, habet quosdam effectus determinatos, in certo gradu, ex Christi institutione, circa illud sumentes tantum, vt cetera Sacramenta; de quibus satis suprà diximus; & secundum hanc rationem non est ad propositum. Inquantum autem est Sacrificium, eius ratio perficitur in oblatione. Dicitur enim Sacrificium, inquantum sacrificatur, & offertur. Est quoque immolatio, cuius ratio perficitur in sumptione Corporis, & Sanguinis, à celebrante: & secundum hanc rationem, eius effectus valet non tantum pro celebrante, & sumente, sed etiam pro quibus offertur, viuis, atque defunctis, per celebrantis applicationem, ut declaratur in sacro Concilio Trident. Sess. 22. Can. 3.

Ex opere operantis. Tertiò est sciendum, quòd hoc sacrificium, ea ratione, qua sacrificium est, dupliciter considerari potest, prout dupliciter valere potest ijs, pro quibus offertur, scilicet, vel ex opere operantis, idest virtute meriti personæ celebrantis, & offerentis sacrificium. Et tunc ualet pro ijs, pro quibus offertur, quoad eius effectus, secundū quantitatem deuotionis offerentis, quisquis sit ille, ut infrà dicetur. *Ex opere operato.* Vel ex opere operato, idest ex ipso Sacrificio, & opere exhibito in se considerato, non habendo respectum ad ipsum operantem. Et hoc dupliciter ad hoc intelligi potest: vel materialiter, idest secūdum seipsum absolutè, ut est immolatio Iesu Christi; nā id, quod offertur, & immolatur est Iesus Christus, qui licet dū spontè seipsum obtulit immaculatum Deo, pro mundi redemptione, infinitè meruerit sufficienter, & efficaciter, tum ratione rei oblatæ infinitè Deo acceptę, quia fuit precium infinitū; tum etiam ratione personę offerentis, quæ

erat

erat suppositum diuinum,& consequenter infiniti meriti,tamen secundũ hanc rationem,nullum effectum particularem habet in quocunque homine,sed tantum in ordine ad Deum habet infinitam acceptabilitatem, inquantum Deus complacet in eius commemoratione,scilicet sacrificii incruenti: nam cruente semel oblatus est,dicente Petro in prima Epistola Can.c.2. Christus semel pro peccatis nostris mortuus est,iustus pro iniustis. Et ad Roma.Paulus, c.6.Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi non vltrà dominabitur. Hinc decipiuntur patres primæ opinionis,dicẽtes, ꝙ Missa cũ sit ualoris infiniti, quia ibi offertur Christus,qui est pretium infinitũ, & infinitè meruit,æquè ualet pro multis,ac si pro uno solo diceretur; hoc enim non sequitur ex dictis, ut patet per antedicta, & patebit per dicenda. Vel intelligi potest formaliter, idest,inquantũ est alicuius sacrificantis Sacrificium, & huic, uel illi applicatiuum:nam de ratione Sacrificii est,ut sit ab aliquo oblatũ, & tunc h. bet quosdam effectus particulares in quocunque Christiano non præciso: nam oblatio non uidetur gratia Deo,in ordine ad nos Christicolas,nisi sit alicuius offerentis grati,& accepti.Iuxta illud Genes.4. Respexit Deus ad Abel,& ad munera eius:prius ad Abel,quam ad munera.Et secundum hanc rationem,est meriti,& ualoris finiti.Hanc autem finitatem aliqui attribuunt sacrificio,ex Dei institutione dicentes,ꝙ Deus ordinauit quosdam effectus determinatos, in certo gradu,conferre pro celebratione cuiuscunque missæ, quibus per celebrantem, dictæ missæ ualor applicaretur,sicut ordinauit determinatum gradum gratiæ conferre per unumquodq; Sacramentum iis,qui suscipiunt illa,quorum effectuum quantitas soli Deo est nota,sed quia eorum sententia nulla ratione, uel auctoritate fulcitur, credo eos decipi,tenendo indifferenter aliam partem extremã, ut tenet secunda opinio. Vnde melius dicendum est,quòd fructus sacrificii,& ualor missæ est quidem effectus finiti,ex opere operato, sed illud est tum ratione efficaciæ,quia efficaciter pro finitis acceptum fuit,dicente Christo: *Qui pro vobis,& pro multis effundetur.* Quod intelligitur,quo ad efficaciam,tum etiam (quod facit pro nobis) ratione offerentis Ecclesiæ, quæ est meriti finiti: nunc enim,& si eadem hostia oblata sit; idemque offerens Christus, non tamen offert seipsum immediatè, ut dictum est paulò suprà: sed offert Ecclesia immediatè,ex Christi institutione, Dicente ipso: Hoc facite in meam commemorationem. Itaque ratio offerendi in casu facit diuersitatem, ut dicitur in Sacro Concilio Trid. Sess. 22.c.2.

Ex dictis infertur, quòd sicut meritum passionis Christi infinitum determinatè,& finitè applicatur huic,uel illi, per hoc ꝙ suscipit hoc, uel illud Sacramentum:ita fructus huius Sacrificii infinitus determinatè, & finitè applicatur huic uel illi,non tñ in certo gradu indifferenter omnibus,sed secundũ quantitatem deuotionis offerentium, qui sunt multiplices, ut infrà dicetur: hæc est enim differentia inter Sacramentũ,& Sacrificium: nam Sacramentum habet ex opere operato,idest,ut est instrumentum Dei, conferre effectum in certo gradu determinato,ut dictum est,nempè gratiam Sacramentalem,ut patet de Baptismo in omnibus pueris,qui æqualiter suscipiunt effectũ baptismi: & ita intelligendum est de Eucharistia,ut habet rationem Sacramenti, dum sumitur à dignè dispositis. Potest quidem crescere, ratione maioris dispositionis suscipientis Sacramentum, ut patet in adultis baptizatis; qui ultra gradum gratiæ baptismo respondentem, ut dixi, accipiunt maiorem gratiam,quam pueri, ratione proprii actus concurrentis: ita, & in Sacramento Eucharistiæ, ultrà gradum gratiæ Sacramento correspondentem, accipiunt plus, prout sunt magis dispositi. Sed effectus Sacrificii non datur illi,cui per celebrantem applicatur, in certo gradu determinato, tanquam per merum instrumentum Dei.

Differentia inter Sacramentum, & Sacrificium.

Dei, ita ut non aliud requiratur ex parte suscipientis talem effectũ, nisi dispositio, quo ad dignè suscipiendum. Sed cum sit opus offerentis, qui concurrit tanquam causa agens, & non merè passiua, ut in alijs Sacramentis (nam sacrificium alicuius, sacrificantis, & offerentis sacrificium dicitur, ut toties notaui) eius effectus crescit, secundum quantitatem deuotionis offerentis. B. Vnde ait D. Thom quanto plures sunt offerentes, vt dicetur, tanto maior est fructus sacrificii oblati, non quidem in singulis, sed in omnibus simul, in quantum unusquisque offerens unam, & eandem hostiam, ut dicetur nunc, participat quotam partem suæ deuotioni correspondentem, Dixi (secundum quantitatem deuotionis) nam, ut ait Diuus Gregorius: Non pensat Deus quantum, sed ex quanta, & quali deuotione offertur. Hinc illa paupercula vidua Euangelica, plus alijs à Christo commendata fuit, de duobus denariis missis in gazophylatium Domini; quia, quæ misit, ex maiori deuotione, & charitate, ac uoluntate magis accepta sunt.

Quartò est aduertendum, quòd offerens, de quo suprà dictum est, duplex esse dicitur, scilicet immediatus; & hic est Sacerdos celebrans. Alter mediatus dicitur, & hinc est multiplex. Primus, & principalis est Ecclesia uniuersalis, in cuius persona, tanquam eius minister Sacerdos offert. Secundus est ille, qui inducit Sacerdotem ad celebrandũ pro se, uel suis, siue sit inducens viuus, quærens, ut celebrans oret pro suis necessitatibus; siue inducens sit mortuus, petens suffragia Ecclesiæ, per dispositionem factam in testamento, uel simili, vt est, qui reliquit beneficium, uel anniuersarium, uel alias missas, ut celebrentur pro eius anima. Tertius est ministrans in altari, ut Chorus in missa cantata, & similes. Quartus est audiens missam, in quo gradu intelliguntur omnes circunstantes. Quæ omnia probantur per Canonem missæ, ubi dicitur. In primis, quæ tibi offerimus, & non dicit, quæ tibi offero: Pro Ecclesia tua sancta Catholica. In quo loco, intelligitur vniuersalis Ecclesia. Deinde subdit: Memento Domine, &c. in quo loco intelliguntur, mouentes Sacerdotem ad celebrandum, ut dixi. Et sequitur: Et omnium circunstantium, pro quibus tibi offerimus, uel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis, &c. ecce quomodo non tantum Sacerdos est offerens hoc sacrificium. D. Qui omnes de ualore infinito huius Sacrifici, quo ad efficientiam, & sufficientiam participant finitè, secundum quantitatem deuotionis cuiusque partem dicti fructus sacrificii sibi tangentem; unusquisque in suo gradu, plus, uel minus: ad modum illorum, qui aquam haurirent de abundanti fonte; vnusquisque hauriret, & acciperet tantum, quanta est capacitas uasis sui: nam æquali merito debetur æquale pręmium, & hoc in quocunque gradu, siue immediato, siue mediato principali, siue secundario offerenti, ut dictum est. Puta celebrans ex æquali deuotione, meretur æquale præmium, siue pro se, siue pro quo vel quibus celebrat; & ita offerentes mediati secundarii, qui missam petunt, uel audiunt, si sunt in gratia: si enim essent in peccato mortali, tam celebrans, quam facientes celebrare, aut audientes; nihil eos iuuaret.

E. Sed Ecclesia uniuersalis, sicut nunquam est sine aliquo iusto, (dicente Domino) Ego pro te rogaui Petre, ut non deficiat fides tua: ita nunquam est sine merito, etiam si celebrans esset in peccato mortali: quia ipse non celebrat in persona propria, sed Ecclesiæ, ut dictum est. Vnde sicut in ea quandoque sunt plures, quandoque minores iusti merentes, ita æquè, & correspondenter participant plus, uel minus de ualore missę, quę in persona dictæ Ecclesię offertur, Qui ualor correspondens merito totius Ecclesię uniuersalis, si totus applicaretur per unam missam ei pro quo dicitur, una tantum missa cuilibet sufficeret. Sed non ita fit, ut infrà dicetur.

F. Quintò

F. Quinto sciendum est, quod iste effectus, seu fructus Sacrificii, est multiplex: est enim Missa meritoria; impetratoria, & satisfactoria, ut habetur in S. Concil. Trid. Sess. 22. capit. 2. & Can. 3. Meritoria est, inquantum offerens ex charitate; quisquis sit ille, siue immediatus, siue mediatus, meretur sibi de condigno augmentum gratiæ, & gloriam paradisi, gratiæ correspondentem. quod dicitur præmium essentiale, scilicet beatitudinis: ipse enim offerens habet bonum motum animi, eligens opus bonum in gratia, ad honorem Dei; quod opus, ut sic est meritorium uitæ æternæ, augmenti gratiæ habitualis, & cuiuscunque alterius boni, ad ipsam uitam æternam ordinati, ut ait D. Thom. prima secundæ, quæstio 114. Quem effectum ita sibi offerens meretur, ut alteri illum dare non possit. Et hoc modo intelligendus est Scotus Quodlib. 20. dicens, quod illud alteri dare non potest, quin sit suum; Vnde male eum Nauarrus intelligit. Merces namque debetur secundum iustitiam, & non secundum gratiam. Iuxta illud Pauli. De reliquo, reposita est mihi corona iustitiæ, &c. Iustitia autem respicit personam merentem, & non aliam. Iuxta illud Ezechiæ c. 14. Si fuerint in Ciuitate Noe, Daniel, & Iob; filium, & filiam nō liberabunt; sed ipsi iustitia sua animas suas liberabunt. Itaque ait D. T. quo suprà. præmium essentiale de condigno debetur operanti propriè in gratia, ex infallibile lege Dei, qua seipsum obligauit, ut benè operanti, pro Dei gloria, mercedem redderet. 5 *Missa est meritoria.*

Impetratoria est, inquantum offerens, ut suprà, applicando ualorem Sacrificij secundum suam intentionem, ex Dei misericordia, de congruo impetrare meretur remissionem peccatorum, Donum perseuerantiæ, ne cadat; Remotionem eorum, quæ impediunt salutem; Gratia sanitatis, & alia bona temporalia. Pro omnibus istis etiam ualet sacrificium missæ, ut dicit etiam S. Concil. Tri. Ses. 22. Can. 3. dummodo non sint saluti animæ contraria: nam cum sint quandoque obnoxia, ideo non semper impetrantur. Hinc dicitur, ideò non accipitis, quia non benè petitis: uel si nobis sunt noxia, non expedit illa habere, hęc est enim differentia inter meritum de condigno, & meritum de congruo, ut ait D. T. quo suprà. Meritum de cōdigno innititur Diuinæ iustitiæ, ut dixi. Meritum autem de cōgruo innititur diuinę misericordiæ: cum enim homo in gratia constitutus, impleat Dei uoluntatem, cōgruum est secundum amicitię proportionem, ut Deus quoque impleat hominis uoluntatem, in fide perfecta radicatam, & saluti non contrariam. Iuxta illud Danielis, c. 9. Neque enim in iustificationibus nostris prosternimus preces nostras ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Dico (in fide radicatam) nam talia bona fidentes impetrant; quibus dicitur, cōfide fili. & alibi: fides tua te saluā fecit. Vnde si aliquando non accipimus, quę petimus, accidit, uel quia deficimus in fide, uel quia nō expediunt nostræ saluti, uel quia nō recta intentione petimus; uel deniq;, quia ponimus obicem, ex quo nō assequimur, quæ per preces Ecclesię postulamus, quamuis Ecclesia in se semper audiatur. Et hos effectus, qui dicuntur impetratorij, offerens siue immediatus, siue mediatus, uirtute sacrificii, ut dixi, potest tā pro se, quam pro aliis impetrare. Immò ultrà hæc, potest alii impetrare primā gratiam, & remissionem peccatorum: nam cum sit in amicitia Dei, ut dixi, congruum est, ut Deus amore sui, alteri benefaciat: dummodo ille alter obicem nō ponat. Hinc solent pii peccatores orationibus iustorum se commendare. Satisfactoria est, inquantum offerens, applicando fructum missæ, idest merita passionis Christi, in missa repræsentatæ, iuuat ad satisfaciendum pro eo, cui per intētionem offerentis applicatur. Qui effectus satisfactorius est proprius huius Sacrificii, ut Sess. prędicta, c. 2. dicitur. Quamuis enim tam Sacramenta, quam orationes,

Missa est impetratoria.

Meritum de condigno & de congruo.

Quare non semper exaudiamur circa temporalia bona.

Missa est satisfactoria.

tiones,& alia opera in charitate facta,sint & meritoria,impetratoria, & satisfactoria aliquo modo,tamen Sacrificium Missæ primò,& principaliter ordinatur pro satisfactione pœnæ peccatis debitę, remissa culpa. Impetratio magis pertinet ad Orationes,& Collectis,quę in Missa dicuntur,ut suprà tetigimus. Dixi(aliquo modo)nam opera pęnalia habent ex se, ut sint satisfactoria, sed oratio,cũ non sit opus pęnale,non tã ualet pro satisfactione defunctorum, ex genere operis, sicut ieiunium, & eleemosina;nisi inquantum vim accipiunt ex parte Diuini,& Ecclesiastici pręcepti.& mandati instituentis,ut pro defunctis dicantur, ut patet in officijs, & missis defunctorum, ad hoc specialiter ordinatis.

G.Sexto est aduertendũ,quòd iste fructus Sacrificij Missæ prædictus in triplici gradu potest intelligi ualere alicui.Primò specialissimè,& hoc modo semper ualet celebranti,quãdo est in gratia,& intellige hoc secundum triplicem effectum, scilicet, meritorium, imperatorium, & satisfactorium. Verum primum ita si debetur, ut alteri dare non possit, ut dictum est suprà. Reliquos autem duos,s.imperatorium,& satisfactorium,potest cui, uel quibus uoluerit applicare,potest enim nihil pro se petere,& impetrare,sed pro alio,ita etiam,quod in ratione satisfactionis sibi in Missa contingit,alteri per applicationem donare.Secundò,ualet generalissimè: & hoc modo ualet toti Ecclesiæ:orat enim sacerdos celebrãs pro omnibus Orthodoxis,atque Catholicę,& Apostolicę fidei cultoribus: nec aliquem fidelem de hoc numero excludere debet: nisi excommunicatos obstinatos, & Ecclesiæ rebelles, pro quibus Ecclesia ordinat, ut non oremus in Collectis generalibus, nisi priuatim ex charitate, ut resipiscant. Huic ordini inseruntur illi, pro quibus ex Ecclesiæ instituto generaliter offertur Sacrificium, ut est Papa, Rex, Antistes, circunstantes, & benefactores generales, ut sunt de populo, Parochiales, decimas soluentes, uel alia secularia tribuentes, pro sustentatione ministrorum Ecclesiæ. H. Tertio ualere potest medio modo: idest specialiter, illis uel illis, quibus specialiter, per intentionem Sacerdotis celebrantis applicatur: siue in Memento uiuorum, siue mortuorum: propterea namque Ecclesia ordinauit ista duo loca in Missa,scilicet ut in uno oretur pro uiuis, & in altero pro defunctis,vt sacerdos,vltra generalem applicationem pro omnibus fidelius viuis, atq; defunctis, applicare possit meritum Missæ specialiter cui, uel quibus voluerit ipse, siue viuis, siue defunctis;uel ex motu suę uoluntatis, applicando illis partem, quæ sibi debetur, & suę deuotioni correspondet,ut suprà dixi, uel ex uoluntate alterius quærentis Missam pro se dici. Verum si ex motu proprię uoluntatis applicat uiuis, potest sibi ualere impetratoriè, & satisfactoriè,ut dixi. Si autem ex uoluntate alterius,quærentis Missam;tunc si quęrens missam vult,ut applicetur sibi, potest sibi ualere meritoriè, impetratoriè,& satisfactoriè.Si uerò vult,ut applicetur suis parentibus uiuis,potest illis ualere impetratoriè,uel satisfactoriè, uel utroque modo, sed non meritoriè,rationibus suprà dictis. Sed si vult, ut applicetur defunctis, tam ex motu proprio, quam ex motu alterius, illis non potest valere,nisi satisfactoriè, pro pœnis soluendis,quibus detinentur in purgatorio,nõ enim illis ualet, pro merito de condigno;quia eis applicari non potest;nec sunt in statu merẽdi,neque pro impetratione alicuius boni; quia, cum sint in termino proficiscendi, his non opus habent. Relinquitur ergò, ut pro satisfactionibus tantum illis ualeat.I.Isti autem defuncti pro quibus offertur sacrificium,sunt in duplici differentia:quidam enim dicuntur etiam offerre Sacrificium uirtualiter, idest uirtute uoluntatis antecedentes,& sunt illi, qui,dum erant uiui, ordinauerant, ut

tales

tales missæ pro ipsis dicerentur,& tunc valent ipsis, primo meritoriè, propter bonum motum in charitate, dum eliguntur, etiam si non dicantur, secundo valent in ratione satisfactionis debitę illis, missis, si dicantur, aliàs minimè. Alij sunt, pro quibus offertur Sacrificium,sed ipsi nullo modo offerunt,& sunt; qui non ordinauerunt tales missas pro se dici; sed dicuntur ex ordinatione Ecclesiæ,vel parentum, vel amicorum, absque quòd illi defuncti, tales petijssent: & tunc valent illis per modum suffragij.

Septimò est notandum, quòd suprà dixi, celebrans medio modo, potest in Memento applicare fructum Sacrificij, ut suprà, cui uoluerit, siue viuo, siue mortuo: nam in potestate celebrantis est, applicare aliquo modo specialiter uirtutem sacrificij, ut suprà declarauimus: quando de Memento, locuti sumus. Verumtamen, quamuis ipse celebrans fructum sacrificij medio modo dictum applicare possit,cui uoluerit,idest bonum,quod illi sacrificio debetur,sed datur illi, cui ipse per intentionem suam applicauerit, tamen ubi habetur doctrina certa de applicatione, sic, uel sic faciendo, puta, ut loco citato dicebamus, Parochus, seu Curatus, qui tenetur celebrare, & orare pro suis Parochianis, & subditis, qui decimas, & prouentus soluunt: vel Ecclesiam dotauerunt, & fouent, non potest rectè intentionem suam alteri, quam illis applicare.

Item Canonicus præbendatus, beneficiatus, uel alius de Collegio, qui tenetur pro certis personis determinatus, secundum suam obligationem beneficialem, non potest, pro libito suo, aliis, quam illis valorem Missæ applicare, si aliter faciet, & illum, cui applicabit, non iuuabit; & ipsimet nocebit, faciendo contra debitum suum. Secus, si non esset Curatus, seu beneficiatus; sed liber, uel etiam beneficiatus esset, & hoc facere velit, eo die, quo pro beneficio non tenetur; quia tunc liceret, ut suprà.

Sed nunquid per vnam Missam posset satisfieri debito beneficij, & alij, cui tenetur ex debito antidotali,seu liberali promissione, aut alia requisitione,uel eleemosyna sibi data,ut pro illo celebretur,uel simili? Hoc est,quod uertitur in dubium, & ideo.

Octauò est valdè aduertendum; quòd quantitas prædictorum effectuum ipsius Sacrificij non eodem modo diuiditur inter offerentes particulares, prout sunt celebrans; Inducens Sacerdotem ad celebrandum, siue uiuus, siue defunctus, & Missam audiens. Et primò, quo ad meritum essentiale; cum enim nullus mereatur de condigno uitam æternam, nisi sibimetipsi, ut suprà dictum est, & hoc meritum non debeatur, nisi ex opere operantis, consequens est, ut tantum sibi respondeat de merito prædicto, quanta est deuotio sua, & charitatis actus, quo dignus sit, vt ei retribuatur. Et hoc intelligitur, scilicet ut talis retributio fiat, tam ipsi celebranti, quam facienti celebrare, si est in gratia, siue viuus, siue defunctus fuerit, quam etiam audienti Missam, vnicuique in ordine suo. Dico (in ordine suo) nam cæteris patribus, plus retribuitur celebranti, quam inducenti ad celebrandum, & plus inducenti; quam audienti tantum, & plus inducenti, audientique simul, quam inducenti tantum. Dixi quoque (siue fuerit defunctus) defunctus enim dum uiuens instituit pro se Missas celebrandas, ex illo actu elicito uoluntatis in gratia, & charitate facto, impulsu Spiritussancti, tunc meruit premium beatificum,secundum ęqualitatem iustitiæ ad suam deuotionem correspondentem,ex diuina promissione;etiam si illæ missæ à se institutæ postea non dicerentur; quia circa hunc effectum bono motui voluntatis correspondentem, non fraudatur, in hoc enim casu, voluntas pro facto habetur, quam respicit Deus. Fraudaretur quidem circa effectum satisfactorium

si missę

si missæ non dicerentur; nunquam enim debitor liberatur, nisi debitum cum effectu soluatur. Et quia prędictum meritum essentiale respicit solum opus operantis, ut dictum est, ideò nullus offerentium fraudatur portione sua, deuotioni suæ correspondente, quamuis plures concurrant ad offerendum idem sacrificium; immò quanto plures sunt offerentes in uno sacrificio, modo prædicto, tanto magis dictum sacrificium est acceptum, & fructuosum in ordine ad dictos offerentes. Dixi (ex opere operantis) nam ex opere operato, idest ex merito vniuersalis Ecclesię, circa hunc primum effectum, nihil offerentibus prædictis correspondet. meritum enim essentiale respicit actum proprium, & non alienum. L. Secundò quo ad effectum secundarium, scilicet impetratorium, qui respondet tam sacrificio, quam orationibus in missa factis, uis meritoria de congruo, ut suprà in quinto aduertendo dictum est ex opere operantis attenditur, secundum quantitatem deuotionis, & fidei celebrantis, seu facientis pro se celebrare. Vnde multitudo offerentium, uel facientium offerre nihil nocet singulis ex hac parte, ut quilibet eorum accipiet partem suam. Et quamuis Scotus quolib. 20 dicat contrarium, motus hac ratione, scilicet, sicut aliquis dilectus in amicitia humana, per suam supplicationem meretur maius bonum uni soli, si pro illo solo rogaret, quam si supplicaret pro multis; nam pro vno exaudiretur, ut tantum bonum impetraret ei soli, & si pro multis peteret, uel non exaudiretur pro omnibus, uel non tantum bonum singulis eorum impetraret. ita est, ait ipse, in proposito, & hoc secundum amicitię legem; tamen hæc eius ratio, si locum habet inter homines, qui mouentur aliqua determinata passione, vel actione amicitię erga supplicantem, uel ex minore liberalitate, ex parte dantis, propter quæ minus daret singulis eorum, pro quibus supplicaretur, quam uni soli si pro illo tantum supplicatio fieret: solent enim Reges esse parci in donando, eo quòd eorum thesaurus est finitus, & petentes sunt multi: sed in Deo hæc ratio Scoti non habet locum; nam uis ista impetratoria ex parte nostri, principaliter innititur fidei, iuxta illud Marci 11. *Quidquid orantes petitis, credite, quia accipietis, & fiet vobis*. Ex parte autem Dei innititur suæ misericordię, quæ est infinita: Vnde Caietanus ait, in suis Quodlibetis super hanc materiam. Nec fides de vno petito minuit fidem alio obtinendo, nec liberalitas Dei circa unum, minuitur ex alterius largitione; quia thesaurus gratiarum, & donorum Dei est infinitus: ideò sacrificium, & oratio, cuius principalius est impetrare, inquantum impetratoria sunt, non minus ualent singulis, si pro pluribus, quam si pro uno solo fiant; immò quanto ex maiori fiducia Diuinæ liberalitatis, & ampliori charitate procedit, tanto maiorem effectum inducit. Sed dicit Scotus ibidem, ergo sequeretur; quòd aliquis posset impetrare primam gratiam quotcunque peccatoribus, sicut & uni eorum. Respondeo, concedendo hoc consequens, & ratio est: quia hic non requiritur pœnæ solutio, sed Dei placatio, ad quod Deus pronus est: ac etiam requiritur boni impetratio ab ipso, ad quod liberalissimus est; dummodò ex parte nostri sit uera dispositio. Et confirmatur; Dicitur enim Genes. 18. Si in Sodoma, & Gomorra inuenti fuissent decem uiri iusti, non perdidisset Deus vniuersam Vrbem propter eos. Et si consideremus hoc negotium ex opere operato, idest militantis Ecclesię, quæ orationes, & collectas ordinat fieri in missa, ut pro fidelibus deprecetur: Neque dicendum est, prædictum effectum impetratorium esse determinatum, ut minus valeat singulis, dum pro pluribus deprecetur; si enim ita esset, sequeretur, quòd quanto plures essent fideles audientes unam missam, tanto minus iuuarentur Ecclesiæ petitione: Vnde consultius esset, præsentem esse in missa, ubi pauciores collectę fierent ex ordinatione Ecclesiæ, pro diuersis causis impetrandis:

quod

quod non est asserendum. Itaque celebrans non solum iuuatur propria deuotione, ut dictum est, sed etiam fide Ecclesiæ uniuersalis. Similiter & audens missam unusquisque in gradu sua. Inducens autem ad celebrandum iuuatur deuotione propria, si est in charitate, fide Ecclesię, si obicem non ponit, & deuotione celebrantis, si illam petit in specie.

M. Quo uerò ad tertium effectum, scilicet satisfactorum qui est proprius & principalis effectu sacrificij, ut suprà dictum est communiter dicitur; quòd de illo merito infinito Sacrificio correspondenti, illi cui applicatur, debetur quantitas finita, & determinata, cum ex opere operantis, tum etiam ex opere operato. Et quidem ex opere operantis, clarum est, quòd sibi respondet tantum de satisfactione passionis Christi, in dicto sacrificio repræsentatæ, quanta est deuotio offerentis; & non pro tota pęna sibi debita, siue fuerit offerens immediatus, ut celebrans, siue mediatus secundarius, ut est induces Sacerdotem ad celebrandum: qui siue fuerit uiuens, petens missam pro peccatis suis, aut suorum, siue mortuus relinquens in testamento missas pro se dicendas, ut suprà notatum est. Veruntamen, ut ait D. Th. quo suprà, tanta esse posset deuotio offerentis, seu facientis offerre, ut una missa sufficeret ad satisfaciendum pro tota pœna sibi debita: sed quoniam uia ordinata, deuotio non est tanta, ut sufficere possit: ideo pro pœnis peccatorum in purgatorio purgandis, plures missæ dicendæ ordinantur: & maximè, qua ignoramus quantitatem nostræ deuotionis, & pœnę soluendæ.

Ex his sequitur primò, quantum est ex parte operis operantis, & offerentis particularis tam celebrans ex motu proprio, quam inducens ad celebrandum si intentione sua habent ut sacrificium pluribus applicetur: puta applicando illud animæ patris & matris simul, tunc illi minus paticipabunt de fructu satisfactorio, quam si uni tantum applicaretur, quia quantitas satisfactionis correspondens suæ deuotioni, cum diuidatur inter plures, minus participatur ab singulis eorum. Verbi gratia, si offerens hoc sacrificium habeat deuotionem tantum, ut ei respondeat de dicto sacrificio, satisfactio pœnæ purgatorij unius anni; applicando illud patri, & matri simul, quilibet eorum releuabitur pro mediate anni; & si applicaretur tribus, quęlibet pro tertia parte releuaretur, si autem applicetur patri tantum, ille releuabitur pro toto anno. Itaque quanto plures sunt commendati in una missa, per unam intentionem (quod nota) tanto minus participabantur singuli eorum de fructu satisfactorio, quia effectus prædictus non correspondet intentioni applicantis, sed deuotioni eius, quo ad quantitatem, ut dictum est. non enim quantum intendo, ex hoc sacrificio, tantum haurio, sed quantum deuotionem habeo. & in hoc conueniunt omnes. N. Secundo sequitur aliud, opposito modo, scilicet. Quanto plures sunt rogantes, dici missam pro eodem, tanto plus iuuat illum; quia effectus sacrificij erit ei, secundum deuotiones rogantium. Verbi gratia, Ioannes petit missam dici pro anima patris; tantundem respondet ei, de effectu satisfactorio, quanta est deuotio Ioannis; ut dictum est. Si autem Franciscus frater Ioannis petet separatim eamdemmet missam pro eodem patre ultra meritum Ioannis applicabitur patri illa portio, quæ respondet deuotioni Francisci; quia portio debita deuotioni Francisci non aufert, uel minuit portionem quæ debetur deuotioni Ioannis; ut infrà dicetur. Et ultra deuotionem rogantium eamdem missam, potest etiam animam patris eorum iuuare deuotio celebrantis, applicando sillimet animæ portionem, quę sibi debetur de illo sacrificio, in ratione satisfactionis, ut dictum est in sexto aduertendo. O. Dico (potest) nam regulariter inducentes Sacerdotem ad dicendum missam pro se, uel suis, non petunt deuotionem Sacerdotis, idest effe-

ctum

ctum Sacrificij, qui debetur suæ deuotioni, sed tantum intentionem applicatiuam, idest, ut intendebat applicare sacrificij effectum, sibi, uel suis; quæ intentio est necessaria in Memento, ut suprà dictum est; aliàs multis deciperetur in sua opinione: nam stare potest, ut Sacerdos celebrans non sit in gratia; propter quod nil iuuaret animam rogantis missam: & maximè hoc apparet in defunctis, qui reliquerunt anniuersaria, & instituerunt beneficia perpetua, & alias Missas pro se dicenda; constat enim, cappellanos ei inseruientes, non omnes, uel non semper esse in gratia; signum est, quòd petens Missam, regulariter non confidit deuotioni celebrantibus. Et quia malitia celebrantis non impedit effectum Sacrificij, ut omnibus confessum est; ideo petentes missas, non fraudantur fructu sacrificii, qui respondet sibi, & Ecclesiæ Vniuersali, ut infrà dicetur.

P. Nèque regulariter, & communiter sacerdos seruiens beneficio, uel requisitus ad celebrandum pro anima alicuius, promittit applicare illi portionem fructus satisfactorij, quæ sibi debetur ex deuotione propria, illam cedendo, nisi in specie de hoc requiratur. Et hoc non aduertētes multi, hallucinati sunt in determinando aliter, quam requiritur in hac materia. Et dum aliquis petit à celebrante hanc prædictam portionem, non ęquum est, celebrantem se obligare ad totum, ut non possit aliquid de ea etiam aliis impertiri, ait Parisiens. Secus dicendum est de effectu impetratorio, idest, quando missa ordinatur ad impetrādum aliquod bonum, cuius ipse petēs forte iudicatur indignus; tūc enim sæpe quæritur deuotio celebrantis, ut tale bonum impetret pro se; potest enim Sacerdos Dei amicus impetrare pro alio primam gratiam, uel aliquod bonum temporale, ex merito de congruo, ut ait Diuus Tho. prima secundę, q. 114. art. 6. Vnde tales diligentes esse solent, ad quærendū sacerdotem bonæ famę, & bonæ uitę.

Q. Tertiò sequitur, si plures separatim concurrant ad faciendum sacrum idest, petunt eamdem missam dici pro se, unus non fraudatur portione sua correspondente suæ deuotioni per hoc, quòd alius uult eamdem missam dici pro se; nam, ut ait Caietanus, quo suprà, cum ex parte rei oblatæ, effectus sacrificii sit infinitus, ut dictum est suprà, per unicam deuotionem non exhauritur, nec diminuitur quantitas prędicti effectus: immò, non solum duobus, sed etiam pluribus: & plusquam multis deuotionibus unicum sacrificium sufficiens est, tribuēdo cunctis certam partem satisfactionis deuotioni eorum correspondentem. Itaque nihil admittitur uni facienti pro se offerri sacrificium, de quantitate effectus eius per hoc, quòd aliter procurat illudmet pro se dici, seu offerri, sed unicuique respondet tantūdem, quantum, si pro se solo offerretur; quia unicuique respondet sufficiēter, & efficienter, secundū quantitatē deuotionis suę, ut toties dixi. R. Et si hoc solum consideraretur in missa, licitum esset Sacerdoti, plures, & multas pitantias & eleemosinas accipere, pro missis mortuorum, & postea per unam missam dicendam, omnibus satisfacere: sed quoniam sacrificium hoc quantum ad illum effectum consideratur etiam ex opere operato: quod non aduertit Caietanus, ideo dico.

S. Ex operato, idest merito totius Vniuersalis Ecclesiæ militantis, in cuius persona principaliter Sacrificium offertur, ut dictum est in tertio, & quarto aduertendo, respondet, secundum plenam iustitiam, satisfactionis fructus, in certo gradu finitus, secundum quantitatem deuotionis totius Ecclesiæ prædictæ, idest Religionis Christianæ. Qui fructus satisfactorius non applicatur totus, ex intentione Ecclesiæ, illi, pro quo sacrificium offertur, aliàs sequeretur, quòd una missa sufficiens esset ad satisfaciendum, non solum pro tota pœna vnius animæ, sed multis; supponimus enim quòd tam multi deuoti, & iusti sunt in Ecclesia, quorum deuotionibus respondet tantum de

tum de merito satisfactorio, ut si totum illud Ecclesia applicare intenderet, per quamlibet missam, una sufficeret pro multis, & multis. De qua intentione, etsi certitudo haberi non possit; eo quòd nullibi hoc cautum inuenerimus; tamen illud, quod communiter in Ecclesia practicatur; dat nobis intelligere, ita esse: nam in Sacramento pœnitentię, pro satisfactione peccatorum pœnitentibus plures missæ dicendæ imponi solent. Præterea Ecclesia ordinauit triginta missas Sancti Gregorij, dicendas pro liberatione unius animæ à Purgatorio, & ita in Missali Romano multæ missæ pro uno mortuo dicendæ ordinantur, ut etiam habetur de Celebrat. Missarum. Cap. Cum creatura. Signum est, quòd pars satisfactoria ex opere operato, uni Missæ correspondens, non est sufficiens ad liberandum vnam animam ab omni pœna debita; quia est taxata ab Ecclesia in certo gradu determinato, (nisi esset alicuius animæ tam parua pœna soluenda, ut illa pars taxata sufficeret.) Et confirmatur: nam Ecclesia ordinat in Canone Missæ, ut hoc sacrificium offeratur, & valet ex intentione sua, non solum iis, qui specialiter in Memento commendantur, sed etiam omnibus Orthodoxis, & Christi fidelibus, pro Papa, Antistite, pro Rege, & omnibus circunstantibus, quibus vltrà meritum correspondens deuotioni eorum, vt suprà dictum est, participant etiam de merito quòd Ecclesiæ debeatur, ut dixi, in certo tamen gradu ab ipsa deputato, & taxato, quod, ut bene ait: Nauar.cap.25. num.110. non minuitur, neque augetur, eo quòd sunt plures, uel minores ortodoxi in Ecclesia, uel circunstantes in missa: quod non sequeretur, nisi prędictum meritum taxato modo cuique applicaretur. Ex quibus dictis sequitur, quòd ultra meritum ex opere operantis, idest correspondens deuotioni offerentium, & circunstantium, ut suprà diximus; adest aliud meritum ex opere operato, s. quod Ecclesię debetur; quod non applicatur totum, sed in certo gradu taxato, & determinato vnicuique prædictorum. Et confirmatur etiam, nam Ecclesia ordinauit, ut est uidere in Sacro Concil. Trid. Sess.25. capit.4. de reformatione, ut Episcopi in Synodo Diœcesana, Abbates, & Generales Ordinum in suis Capitulis generalibus, ex causa ibi contenta, possint coarctare Missas defunctorum in testamento relictas, idest, statuere possint pro sua conscientia, ut in una missa, fiat commemoratio plurium defunctorum; quæ missa tantumdem valere possit pro singulis eorum, quantum valeret, si pro uno tantum diceretur. Aliàs sequeretur, ut qui reliquerat in testamento, ut singulis hebdomadibus pro eius anima dicerentur quattuor Missæ, dum postea per Prælatum, auctoritate prædicta, coarctatæ fuerint, & reductæ ad duas; si illę duę missæ postea nō haberent ex ordinatione Ecclesiæ tantam efficaciam satisfactoriam, quantum habebant illę quattuor institutæ ex testatoris voluntate, dictus defunctus fructu satisfactorio sibi debito fraudaretur; quod non est asserendum; ergo signum est, quòd meritum missę, quod ipsi Ecclesiæ debetur, non totum, ex intentione sua, animæ unius defuncti applicabatur, sed in certo gradu ab ea taxato, qui gradus uult, ut multiplicetur, & crescat tantum quanti erunt commendati in una missa, ex ordinatione Pręlati habentis hanc auctoritatē ab Ecclesia, ut dictum est. Ex his sequitur, ut qui tenetur ex beneficio, uel alia stricta obligatione, ad dicendum missam pro anima beneficium instituentis; si simpliciter requisitus ab alio, ut diceret unam missam pro anima patris sui, dicendo unam missam pro ambobus, quamuis ex opere operantis non fraudarentur fructu sibi debito; quia quilibet eorum acciperet portionem deuotioni suæ correspondentem, ut dictum est suprà; tamen fraudaretur, quantum est ex opere operato, idest merito Ecclesię, quo ad illam portionem ab Ecclesia taxatam, quæ in ca-

su prædicto, diuideretur inter illos, ut quisque acciperet medietatem illius meriti ab Ecclesia taxati. Dixi (simpliciter) nam si petens missam dici pro anima patris sui, sciret Sacerdotem teneri ad dicendum pro alio, & tamen petit, signum est, quòd contentatur de illa portione, quæ sibi aduenire potest. Et tunc Sacerdos non errat, quia non intendebat aliter se obligare. Dixi (in casu prædicto) nam licet Episcopus, & Prælati Religiosorum, auctoritate sacri Concilii ut dixi, ubi sunt beneficia tenuia, & consuetudo dandi paruam eleemosinam pro vna missa rogata, pro defunctis, propter quę Clerici non possunt commodè viuere, nec facilè inueniuntur, qui huic muneri se subiicere velint: possint coarctare illas, idest ordinare, ut quisque accipere possit duas eleemosinas, vel tres, ut sibi videbitur; quantum sufficere possint, pro victu unius diei, & postea per vnam Missam omnibus satisfacere, eo modo, quo dictum est; tamen Sacerdos auctoritate propria hoc facere non valet. Vnde, in tali casu optimè reprehenditur à Nauarro opinio Soti, ut per suprà dicta patet: reliqua autem, quæ Nauarrus dicit, non omnia bene consonant, ut sanè consideranti nostra aduertenda, liquebit. Vt ergò omnibus quæsitis, quæ in hac materia fieri possunt, satisfiat, ex prædictis adnotatis colligemus plures Conclusiones pro serenitate conscientiarum sacerdotum.

Pro

Pro Missis Cantatis.

SIt prima Conclusio. Missa Cantata magis proficua est illi, pro quo dicitur, quam missa priuata, tam in ratione impetrationis, ut est missa uotiua pro deuotione alicuius Sancti, uel similis, quam in ratione satisfactionis, ut est missa pro defunctis; Valor namque missæ non est semper æqualis, sed tātò plus crescit, quantò plures sunt offerentes secundarij. Vnde non solum celebrans, sed totus chorus, & ministri altaris operantur in illo Sacrificio, ut patet per dicta in quarto aduertendo, literis C. & D. Itaque dum inuitatur Capitulū vel Collegium ad cantandum missam pro aliquo, siue missa sit de Sancto, siue pro defunctis, fraudatur intentio inuitantis, quo ad fructum prætensum, si non omnes, uel saltem maior pars eorum ad cantandum concurrat. Et multo magis fraudaretur, si dicta missa priuatè diceretur. Idem dicitur de obligationibus antiquis, ut sunt missa Conuentualis, & Anniuersaria defunctorum in Ecclesijs, & Monasterijs, ubi hæc dici solent.

Obligati ad dicendum missam Conuentualem in Ecclesijs Cathedralibus, Collegiatis, uel Monasterijs, ubi singulis diebus tenentur cantare missam pro fundatoribus, & benefactoribus, qui dicta locà dotauerunt; si accidat, aliquo die dici missam pro defunctis, siue nouam, siue antiquam, siue pro particulari, siue generali deuotione, tenentur cantare duas missas, scilicet, Conuentualem, & pro Defunctis, ut etiam habetur, de Celebratione Missarum, cap. cum creatura. Et dicendo unam earum priuatè, non satisfaciunt: rationibus suprà dictis in prima Conclusione.

Si autem ab aliquo particulariter petatur, aliquo die cantari missam currentem: puta die Sancti Antonij petit pro se cantari eamdem missam ob deuotionem illius Sancti, vel pro impetratione alicuius gratiæ, vel doni, in eodem Altari maiori, & hora consueta, tunc per unam eamdemque missam satisfiet ambabus obligationibus, scilicet debito particulari petentis, & uniuersali Ecclesiæ, ut suprà, per dicta in quarto notando. lit. D. Quintò notando. E. & octauo L.

Si uerò illa eadem missa peteretur dici in aliqua cappella, seu altari particulari, Clerici collegiati non essent absoluti ad obligatione ordinaria, idest à missa conuentuali debita in altari maiori, dicendo tantum unam in cappella; nisi Episcopus dispensaret.

Et multo minus satisfacerent, si petens missam vellet, vt cantaretur missa uotiua alterius Sancti, non currentis illo die in Kalendario; quia sunt diuersæ intentiones, & obligationes, & ideo ambæ sunt cantandæ, scilicet conuentualis, & votiua, per prædicta.

Si contingat, ut plures petant, missam cantari eiusdem Sancti in eadem die, puta Beatæ Mariæ in Sabbatho, pro impetratione alicuius doni, uel gratiarum actione, per unam missam satisfiet omnibus, per dicta in quinto notando lit. E. & octauo, L. Idem dicendum, si vnus peteret missam cantari pro se, in ratione impetrationis, vt suprà, & alter in ratione satisfactionis; quia effectus sunt diuersi, & unus per alterum non fraudatur intentione sua, ut dicitur in Sexto aduertendo, lit. H. & octauo L. Secus si ambæ peterentur dici in ratione satisfactionis, per ea, quæ nunc dicemus in sequenti Conclusione.

Qui de Capitulo, Collegio, vel Monasterio obligati singulis diebus cantare Anniuersarium pro defunctis, ob magnum numerum missarum; Si alius petat eodem modo cantari Anniuersarium pro se eadem die; sciens consuetudinem Ecclesiæ circa talem obligationem continuam: unam missam cantando, satisfaciunt ambobus debitis: quia quilibet eorum accipit portionem suam correspondentem suæ deuotioni; quantum est ex opere operantis; per dicta in quarto aduertendo lit. C.& octauo. Q. licet non habeat totum quod sibi respondet ex opere operato, qui secundo petiit, ut ibidem dicitur, lit. S. quia scienti consuetudinem, & consentienti, non fit iniuria, vt ibidem lit. X.

Si autem nesciebat talem consuetudinem, sed obligauit Sacerdotes uerbis generalibus, & ipsi non aliter se obligare intendebat, satisfaciunt per unam missam cantatam obligationi ordinariæ, & petitioni ipsius: ratione qua suprà. Et si petens missam aliter intelligebat, sibi imputetur, ait Scot. Quodl. 20. quia dicti Sacerdos non intendebant se aliter obligare, quam uerba sonabant, & ipsi poterant.

Si uerò petens missam, ipsos strictè obligauit, missam per se specialiter dici; non satisfacerent ambabus obligationibus, unam missam dicendo, si ita se obligauerunt. per dicta in octauo aduertendo, litera R.& S.

Pro Missis priuatis, & primo in ratione impetrationis.

SAcerdos non habens cappellaniam, seu curam animarum, ratione cuius teneretur celebrare pro parochianis, & benefactoribus, sed liber existens dum celebrat propria uoluntate, non minus iuuabit plurimos, si æquè omnibus illis fructum impetratorium applicabit, quam uni soli, si pro illo tantum missam diceret, puta orans, petit à Domino donum gratiæ pro tota familia, vel donum sanitatis, tantum oratio sacrificij iuuabit singulos eorum, quantum si pro uno tantum orasset. Per dicta in octauo aduertendo, litera, L. quamuis Scotus dicat oppositum, & Gabriel, vt ibi est uidere, quos refutauimus.

Idem dicendum, dum quis petit missam dici pro suis uiuis, puta Ioannes petiit dici missam de S. Maria, uel alterius Sancti, ut impetret à Domino salutem mentis, & corporis, uel simile pro tota eius domo, ratione qua suprà, & per dicta in quarto aduertendo C.

Requisitus à pluribus, ut dicat eandem missam in ratione impetrationis: æquè satisfaciet omnibus per vnam missam; puta requisitus a Ioanne, vt dicat missam de S. Lucia, pro eius uoto, seu sanitate oculorum, & idem quæritur à Francisco seorsum. tunc potest per unam missam ambobus satisfacere: quia tam oratio fidei, quam sacrificium, in ratione impetrationis, sufficiens est omnibus, si plures essent petentes, ratione supra dicta, contra Scotum, octauo notando. L. Secus si peterentur diuersæ missæ, puta Ioannes vult missam de Sancta Lucia, & Franciscus vult, ut dicatur missa Sancti Antonij, tunc non liceret dicere missam, de S. Lucia, cum commemoratione S. Antonij, uel econtra, & per unam ambobus satisfacere: quia deuotiones diuersæ, diuersas orationes, & cultus diuersos quærunt, in honorem diuersorum. Vnde intentio petentis fraudaretur. quod non accidit in primo casu recitato. nisi secundus petens ita contentaretur.

Obligatus

Obligatus dicere missam pro satisfactione peccatorum, tam hominis uiui, scilicet pro pœnitentia illi iniuncta, quam defuncti, scilicet pro purganda pœna purgatorij, si requisitus ab alio, ut dicat missam pro ipso ad impetrandam aliquam gratiam; potest per unam missam utrique satisfacere, puto obligatus hodie pro beneficio, potest se obligare in missa currenti, collectam dicere pro infirmis, ad petitionem alterius, & illi applicare uirtutem sacrificii in Memento uiuorum, uel dicere missam de gratia, in qua intentionem habeat applicandi uirtutem sacrificij impetratoriam ad intentionem petentis in Memento uiuorum, & postea in Memento mortuorum, uirtutem satisfactoriam, pro anima beneficium instituentis; quia effectus isti cum sint diuersi, ut in quinto aduertendo dictum est, lit. E. defunctus beneficium instituens non fraudatur intentione sua, per petita alterius, idest instituens beneficium non fraudatur fructu satisfactorio, quod solum competit ei, ut dictum est in sexto aduertendo. lit. H. per quod hoc idem sacrificium applicatur alteri in ratione impetrationis alicuius boni, ut patet per notata in quinto aduertendo. E. Et ideo in missa sunt posita duo Memento ab Ecclesia, ut in sexto aduertendo dictum est lit. H.

Secundo in ratione satisfactionis.

SAcerdos nulli obligatus, celebrans ex motu proprio pro peccatis multorum tam uiuorum, quam mortuorum in ratione satisfactionis, æquè commendatorum in Memento, minus iuuabit illos simul iunctos, quam si pro uno solo illam diceret. Et hoc tam in ratione operis operati, idest meriti Ecclesiæ, quod determinatè, & in certo gradu per quamlibet missam applicatur, ut patet per octauum notandum. S, quam ratione operis operantis, idest meriti personalis celebrantis, quod respondet suæ deuotioni, quæ est certi gradus, ut patet in quarto aduertendo. lit. D. & octauo, litera, M. nam finitum diuisum in partes, minus participatur à singulis alicuius multitudinis, quam si totum vni eorum applicetur. Et in hoc concurrunt omnes Doctores, puta si deuotioni tam celebrantis, quam merito Ecclesiæ in una missa correspondet subleuatio unius anni à pęna purgatorii; clarum est, si tota missa applicabitur uni, ille releuabitur pro uno anno; si autē applicabitur duobus, quilibet illorum releuabitur per sex menses, & ita proportionabiliter, tāto minus, si plures erunt. 14

Eadem ratio consideratur in eo, q petit missā dici pro animabus propinquorum defunctorum. Puta Petrus vult, ut missa dicatur pro anima patris, & matris simul: quisque illorum participabit medietatem illus fructus satisfactorii illius missæ, tum suæ deuotioni, tum merito Ecclesiæ correspondentis, si autem uellet, ut diceretur pro anima patris tantum, totus fructus illius sacrificii satisfactorius, illi cedet, per superius dicta, & in sexto aduertendo, H. I.

Ex opposito. Missa rogata à pluribus pro anima eiusdem defuncti, est magis satisfactoria illi, quam si dici rogaretur ab uno solo: quia unicuique eorum correspōdet quota pars illius fructus satisfactorij, suæ deuotioni proportionata ut patet in tertio notando, lit. B. & octauo. N. Quę deuotiones simul iunctę & illi soli applicatæ, cedendo illi, quod unicuique eorum, de fructu satisfacto-

rio debetur,magis operantur,quam unaquæque deuotio per se sola,illi applicata,& hoc in ratione operis operantis, ut colligitur ex quarto aduertendo.lit. D.& octauo,N.& non operati.

Qui tenetur dicere missam alicui pro liberali promissione, idest promisit orare pro mendicante suam orationem, & tribuente eleemosinam, sine pactione, seu conuentione: sed ut habeat eum commendatū,potest per vnam missam pluribus sic petentibus in generali, satisfacere; quia tam promittens, quam petens orari pro se, per illa uerba generalia non intendebant tam strictam obligationem; ut alios excluderent à dicta Missa, qui omnes accipient de fructu missæ portionem suæ deuotioni correspondentem, per superius dicta.

Obligatus ad dicendum Missam pro beneficio, præbenda, uel simili, potest in eadem missa non solum orare pro uiuis in ratione impetrationis alicuius boni, siue temporali, siue spirituali, & ab illis eleemosinam accipere, quod fit in Memento uiuorum,secundum intentionem petentium suam orationem, sed etiam potest sacrificii fructum applicare, tam uiuis, quam defunctis in ratione satisfactionis pęnæ peccatorum pro libito suo,applicando tamen portionem illam,quæ sibi debetur,de fructu satisfactorio,& non amplius per dicta in sexto aduertendo.G. & H.puta postquam in Memento mortuorum applicauit sacrificium illi animæ,pro qua principaliter tenebatur celebrare obligatione ordinaria; potest in secundo gradu habere intentionem circa animam patris, uel alterius, cui placuerit, idest portionem sibi competentem de fructu satisfactorio,per illud opus in gratia factum;quia regulariter,illam partem dare, seu applicare non tenetur animæ instituentis beneficium, qui ad illam non intendebat obligare Sacerdotem: per dicta in octauo aduertendo, lit. O. quo facto,non potest alium commendare in tertio gradu,quia non habet quid aliud applicare sine fraude alterius.

Obligatus pro missa beneficiali,ut suprà; si rogatus ab aliquo donante sibi eleemosinam, ut dicat unam missam pro anima talis uel talis; cui se obligat stricta obligatione,& conuentione legali;non potest postea,per unam missam utrique obligationi satisfacere. ambo enim fraudarentur fructu satisfactorio correspondente ex opere operato, idest merito Ecclesiæ, ut dictum est in octauo aduertendo,lit. S.& V.Quia fructus prædictus diuideretur inter eos.Vnde posset sic petenti respondere: non possum per hanc missam te iuuare,nisi quo ad illam portionem, quæ mihi debetur, illam applicando cui uis; ut supra dictum est.

Eadem ratione sacerdos, nulli obligatur, accipiens duas eleemosinas à diuersis personis, quibus separatim se obligauit celebrare pro animabus eorum parentum. Puta promisit Petro missam dicere pro anima patris sui; & Ioanni seorsum pro anima suę sororis,nō potest p una missam utriq; satisfacere: quāuis enim ambo acciperent portionem fructus satisfactorij correspondentem deuotionibus petentium missam; quod dicitur ex opere operātis,ut in octauo aduertendo diximus. lit. Q. tamen fraudarentur portione illa, quæ ex opere operato illi debetur, ex ordinatione Ecclesiæ, ut paulo suprà dixi;quam portionem quilibet illorum totam pro se habere intendit, & hoc modo diuideretur. Et multo magis errasset, si primo petenti se obligasset dare portionem satisfactoriā sibi competentem,deinde alteri illam applicasset,nisi in conuentione omnia hæc explicassent,& se contentassent.

Ideo pono aliam conclusionem. Si petens dici missam pro anima suorum, tribuens eleemosinam, scit, sacerdotem teneri pro alio tunc celebrare, potest sacerdos eleemosinam accipere, & illi satisfacere, per eandem missam:

quia

quia in tali casu supponitur, petentem missam, contentari portione sibi correspondente suæ deuotioni, ut in dicto octauo notando dictum est, lit X.

Et si petens missam, ut suprà, nescit Sacerdotem teneri pro alio; debet sacerdos illi notificare suam obligationem, & tantum promittere de fructu Sacrificij, quantum potest, si illa contentatur secundum supradictam doctrinam, accipiat eleemosinam, alias non.

Et vniuersaliter. Quoties Sacerdos inuitatur ad celebrandum pro alio, siue inueniatur obligatus, siue non: si non vult errare, tenetur interrogare nicō dicantem à se missam, & eleemosinam tribuentem, scilicet pro quo vult, ut missa dicatur, pro uiuis, an pro mortuis; & si pro viuis, forsan pro impetratione alicuius boni spiritualis, an temporalis, pro gratiarum actione, deuotione, uel noto, & similibus, an pro satisfactione peccatorum suorum, uel aliorum uiuorum. Vt sciat, quid promittere debet, & potest. in quo memento illi sacrificium applicare debet: secundum prædicta alias semper errabit, ut multos in hoc errare percepi;

In locis, vbi eleemosinæ pro missis dicendis, sunt tenues. si per Episcopos locorum, & Prælatos Religionum, missæ fuerint coarctatæ, celebrans potest tot eleemosinas pro missa mortuorum dicenda accipere, quantum per dictos Prælatos fuerit dispensatum, & per illam missam omnibus satisfacere, & non amplius, nec tale facere potest propria auctoritate: per dicta in octauo aduertendo, lit. Y.

Et denique, aduertant Sacerdotes, ne doctrina hæc occasio sit accrescendi auaritiam in ijs, qui sunt cupidi, & auidi eleemosinarum, qui mane se præsentant ianuis Ecclesiæ, expectantes seculares, ingredientes Ecclesiam, ut faciant aceruum eleemosinarum dedita opera; deinde vnam missam dicunt pro omnibus. Non enim hęc intendo, sed doceo eos, qui cum se præparauerint, dispositierint, sacrum facere. si acciderit, ut ab uno, vel pluribus inuitentur ad celebrandum pro illis: sciant, se resoluere, quid sine peccato promittere possint, & facere debent, Aduertant etiam, ne in huiusmodi conuentionibus de missis dicendis, pro mercede aliqua pacta, & conuentiones illicitas faciant, aut ne importunas exactiones, & similia exerceant. Sed potius postulent, uel accipiant quidquid pro eleemosina liberaliter donatur. ne fortè incidant in labem simoniacam, uel saltem committant turpem quæstum. Quæ omnia condemnantur per Sacrum Conc. Trid. Sess. 22. in Decreto de seruandis, & euitandis in celebratione missarum. Cuius rei fidem facio: me vidisse aliquos Sacerdotes in hoc genere auaritiæ laborasse: & in extremę uitę suę, fame periisse, (iustitia Dei hoc permittente) cui sit honor, & gloria in secula seculorum.

Amen.

Sequitur Canon Missæ.

FActa sacrificij applicatione, per mentalem orationem, iis viuentibus, quorum meminit in dicto Memento, sequendo canonem, fit sanctorum memoria, pro benedictionis impetratione, atque supplicatio, ut Deus placatus oblationem accipiat. Quibus peractis, proceditur ad consecrationem materiæ Corporis, & Sanguinis, per uerba Saluatoris, dicendo: Qui pridie, quam pateretur, accepit panem, &c. vbi Sacerdos imitando Christum, duo facit: Primò præmittit modum institutionis huius Sacramenti, accipiendo panem in manibus suis, eleuando oculos ad cælum, ac benedicendo materiam: deinde profert verborum formam, qua consecratio ipsa perficitur: de qua suprà dictum est ad plenum, ideò non opus est repetere. Facta consecratione, sequendo secundum silentium, quod designat accessum Christi latentem in hortum, ait Sacerdos: Vnde, & memores, &c. vbi tria facit: Primò excusando suam prosumptionem, qua offerre audet, de acceptis donis, ac datis, Sacrificium: memoriam facit, tam beatæ passionis, quam resurrectionis, & ascensionis Iesu Christi. Vnde offert hostiam puram, sanctam, & immaculatam, idest Sacram Eucharistiam, quæ hostia dicitur, ab ostio; in Veteri enim Testamento, Sacrificium ante ostium tabernaculi offerebatur; significans oblationem huius hostiæ, factam esse ante ostium cæli, quod nobis aperuit, & nos in ipsum introduxit. Vel secundum Gentiles, hostia dicitur ab hoste; cum enim statuerent cum hoste pugnare, hostiam, idest sacrificium faciebant, significando, ut cum Christus pugnaturus esset cum hoste humani generis, corpus, & sanguinem suum Deo obtulit; in quorum uerborum prolatione, sacerdos quinque cruces facit, ad designandum quinque plagas Christi in cruce inflictas, tres primo super corpus, & sanguinem simul, significato per hostiã, ut dixi; & duas separatim; vnam super Corpus, & alteram super Sanguinem; quia Corpus & Sanguis per uerba ultima, s. panem sanctum, calicem salutis perpetuæ, significantur separatim, quæ duæ cruces fiunt separatæ; quia significant, Animam, & Corpus Christi in morte fuisse separatas. Hæc autem signa, & uerba prędicta quamuis significent ipsam consecrationem de præsenti, ac si non fuisset adhuc consummata, & perfecta, tamen secundum Innoc. & post eum, Alexandrum de Ales, quarta parte, q. 17. hęc uerba non debent referri ad tempus, quo proferuntur, sed ad illud instans consecrationis, ac si tunc simul cum forma fuissent prolata. non enim dici possunt simul, quæ facta sunt, & fiunt. Deinde, per illa uerba (supra quę, &c.) Petit oblationem esse acceptam, à Deo, ut accepta fuerunt Sacrificia antiquorum patrum, quorum tria Sacrificia nominat, eo quòd in eorum figuris magis manifestatur ueritas huius Sacrificii, quam in alijs, scilicet. Primò nominat Sacrificium Abel, quod repræsentat oblati passionem. Secundò Sacrificium Abrahæ, quod significat Vnigeniti oblati dignitatem. Tertiò Sacrificium Melchisedech, quod demonstrat huius mysterii ritum, & ueritatem, de quibus suprà; Et nota, quòd illud verbum (sicut) significat similitudinem, & non ęqualitatem. nam hoc sacrificium Vnigeniti filii sui est magis acceptum incomparabiliter, quam omnia simul alia sacrificia. Tertiò, post petitam oblatorum acceptationem, Sacerdos supplex precatur, ut Diuinæ gratię participationem, idest Sacrificii effectum, accedentes ad Sanctam communionem habeant. Quartò, exprimitur, per illa uerba: (Memento etiam Domine) refrigerii, & suffragii pro defunctis postulatio. Primò, pro aliquibus

Hostia unde dicatur.

Quinque Cruces quid significent.

bus in specie, pro quibus principaliter missa dicitur, Secundò in genere, pro omnibus in Christo quiescentibus. Et subiungitur. Qui nos præcesserunt cum signo fidei; idest Sacramenta fidei reuerenter susceperunt. Et sequitur: Et dormiunt in somno pacis, idest in pace conscientię mortui sunt sine peccato mortali, sed in charitate, & Dei amicitia. Ex quibus uerbis, secundum Albertum, insinuatur, quòd animę in purgatorio non affliguntur mysterio Dęmonum: quia cum eis non haberent somnum pacis. Sotus in 3. distinct. 19. quęstio. 3. artic. 2. adiungit aliam rationem, scilicet, cum in hac uita cum eis pugnauerint, ac de eis triumphauerint, conueniens est, ut Deus non permittat, quòd victores post hanc vitam, & militiam finitam uictis subdantur, ut ab eis crucientur. Itaque credendum est, animas prędictas castigari in purgatorio nullo alio ministerio, sed solo igne, tanquam Dei instrumento. Ad quem locum, ait D. Tho. associantur per Angelos bonos. Et quamuis morientibus in charitate, Demones assistant insidiantes, ut si quid lucrari possint in exitu Animę, ut sępè experti sumus, & forsan cōmittantur eas vsque ad locum pęnę, de qua lętantur, tamen post eorum exitum nihil ab eis sperare possunt; quia sanctę sunt in gratia decedentes: Dicit enim Dauid. Ps. 37. Non tradas bestiis animas confitentes tibi: idest non tradas eas Dęmonum potestati affligendas, qui bestię nominantur. Hic autem facienda est applicatio sacrificii pro defunctis, ut dixi, eo modo, & ordine, ut suprà explicuimus, mentaliter tamen, & breuiter. Deinde sequitur: Ipsis Domine, quos scilicet specialiter designauimus, & omnibus in Christo quiescentibus, idest in fide, & confessione defunctis; uel à laboribus huius uitę quiescentibus, &c.

In hoc conuenit tractare aliquid de Suffragiis mortuorum: cuius materiæ explicationem necessariam esse puto. Circa quæ, sex examinabimus. Primò quibus animabus prosint Suffragia à viuis facta. Secundò quibus Suffragiis iuuari possint. Tertiò, quorum uiuorum suffragia illis prosunt. Quartò, ad quid prosunt. Quintò, si dicta Suffragia prosunt actori. Sextò, & vltimò, an Indulgentiæ proficiant illis. *Circa Memento mortuorum.*

Quantum ad primum, supposita ueritate Catholica, scilicèt, quòd Suffragia viuorum facta pro defunctis, illis proficiunt. Quod constat ratione, auctoritate sacræ Scripturæ, & sanctorum Patrum, ritu Ecclesiæ, & denique Conciliorum confirmatione. Dico (ratione) nam charitas, quæ est vinculū uniens membra Ecclesiæ, non solum se extendit ad viuos, sed etiam ad mortuos, qui è uita in charitate discesserunt. Dicit enim Paulus. Charitas nunquàm excidit, quia neque in hoc sæculo, neque in futuro finitur: ideo opera viuorum defunctis communia esse facit. Dico (auctoritate sacræ Scripturæ) legitur enim secundo Machab. c. 12. quòd vir fortissimus Iudas misit Hyerosolimam, orare pro mortuis, &c. Dico (Sanctorum Patrum, & ritu Ecclesię) Augustinus namque in lib. de cura agenda pro mortuis ait: Non parua est uniuersæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas, ut in precibus Sacerdotis, quę Domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum habet etiam commemoratio mortuorū. Hoc idem dicit Ambrosius lib. 2. de obitu Theodosij Imperatoris Quem ritū, ait Dionysius in lib. de Ecclesiast. Hierarchia, cap. vlt. esse obseruatum in primitiua Ecclesia. Imò Damascenus in quodam sermone de suffragiis mortuorum, dicit, incæpisse ab Apostolis. Et denique hoc confirmatum est per Conc. Trid. Sess. 25. Decreto de Purgatorio. 16 *Suffragia viuorum, prosintne mortuis.*

Quęritur Primò, Suffragia viuorum prosintne omnibus defunctis? Pro quo nota, quòd Suffragium de sui ratione importat quoddam auxilium, quod competit indigenti, qui aliquod defectum patitur. Vnde sicut vnusquisque debet proximo indigenti opitulari de sua substantia, ita alter pro altero, oratio- *1. Dubium. Suffragia viuorum quibus mortuis prosint.*

nes, eleemosinas, & Sacrificia offerre debet. Iuxta illud Pauli. Alter alterius onera portate. ad Gala. 6. Quod etiam intelligitur de auxilijs spiritualibus, quorum hæc tria potissimum, & propriè mortuis suffragantur, idest à pœnarum obligationibus eos absoluunt. Hoc notato, respondet Augustinus in Enchiridio, vt allegat Magister in 5. distin. 45. dicens: Non omnibus defunctis prosunt suffragia Ecclesiæ militantis. Sed quare non omnibus? nisi ob differentiam vitæ, quam quisque gessit in corpore. Est enim quidam viuendi modus nec tam bonus, ut non requirat ista post mortem, nec tam malus, vt ei non prosit illa quicquam, Est uerò talis in bono, ut ista non requirat. Est rursus talis in malo, ut nec his ualeat, cum hæc vita transierit, adiuuari. Ex his colligimus quattuor propositiones ad dubium responsiuas, iuxta numerum quattuor receptaculorum animarum post mortem.

Suffragium quid significet.

1. Suffragia uiuorum non prosunt beatis.

Prima propositio est. Animæ eorum, quæ exeuntes è corpore statim ad cælum euolant, non indigent Suffragiis viuorum, seu Ecclesiæ militantis, ut sunt pueri ante vsum rationis, & iusti decedentes cum magnis meritis, ut sancti, & beati in patria. Probatur, dictum est enim suprà, suffragium nil aliud est nisi auxilium quoddam miseris egenis impensum, sed animæ iustorum existentes in paradiso, sunt omni miseria, & egestate exemptæ, habent enim quidquid desiderare possunt, ergo. Vnde Augustin. ait. Isti tales ita sunt in bono, ut ista non requirant. Itaque sicut ait, idem Augustin. & habetur de celebrat. missarum. Cap. Cum Martæ. Iniuriam facit martiri, qui orat pro martire: ita iniuriam facit beatis prædictis, qui orat pro illis: sed potius nos indigemus eorum orationibus. Quapropter ait D Thom. missæ, quæ pro Sanctis cantantur, prosunt illis, non ad gloriam essentialem, sed ad gaudium accidentale, iuxta illud Lucæ 15. Gaudium est in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente. Ideo Augustinus subiungit: Pro valde bonis sunt gratiarum actiones.

2. Suffragia uiuorum prosunt existentibus in purgatorio.

Secunda propositio. Suffragia viuorum, de quibus loquimur, prosunt omnibus, & solis animabus existentibus in Purgatorio, habent enim animæ illæ duas conditiones; una est, quòd sunt in statu charitatis, qua meruerunt, ait August. ut ipsis suffragiis adiuuari possint, quod meritum non est aliud, quàm perseuerantia charitatis usque ad finem mortis, qua defuncti sunt in communione corporis, & sanguinis Christi, ex qua facti sunt tales, ut ista eis prodesse possint, dum pro eis exhibentur. Altera conditio est, quòd prædictis suffragiis indigent, cum enim in hac uita non satisfecerint ad plenum, remanent debitores in purgatorio, sustinendo illas pœnas, donec ad plenum satisfaciant. Ideo ait August. Est quidam uiuendi modus, nec tam bonus, ut non requirat ista, nec tam malus, ut eis non prosint ista quidquam. Quę pœna alleuiatur ipsis per suffragia à uiuis impensa, in ratione satisfactionis, eis illa applicando, vt suprà dictum est, in Memento uiuorum. Hæc autem conclusio, non alia indiget probatione, quam rationibus suprà adductis: nam cum de ratione suffragii sit, ut dicebamus, auxiliari indigenti, in miseria posito, animæ in purgatorio existentes sunt in tali statu, & sunt capaces tali auxilio, ut dictum est, ergo cũ pro eis suffragia fiant, eis prosus. Nec immorandum est satis in hoc, cum habeamus determinationem Sacri Concilii Tridentini suprà citati. Sed nunquid hæc alleuiatio intelligitur, quo ad temporis abbreuiationem, uidelicet, qui tenebatur pati in purgatorio per decem annos, per opera pietatis, & sacrificium altaris pro ipsis exhibita, hoc tempus abbreuiatur? An alleuietur tantum per laxationem pęnæ, s. qui patitur pœnam magnam, & intensam, per ipsa opera satisfactoria, pęna prædicta fit ei laxior, & leuior. Sanè dici potest, quòd utrumque operantur dicta suffragia, sed primum est certius, per aliquas reuelatio-

nes

nes confirmatum. Sed dubium est de illa particula posita in secunda propositione, scilicet (solis) idest an solis existentibus in purgatorio hæc suffragia prosunt, ideo ponitur tertia propositio.

Tertia propositio. Animabus damnatis, quæ in Inferno cruciantur, suffragia prædicta nullo pacto prosunt, de communi lege Dei. Probatur, nam radix in qua fundatur suffragium, est charitas; in qua mensa Christi uiua ad inuicem communicant bona spiritualia. sed isti, cum discesserint sine charitate, extrà corpus Ecclesiæ, & in graui Dei inimicitia, non est, cur Ecclesiæ suffragia ipsos iuuare possint. Et confirmatur, nam si aliquo suffragio iuuari possent hoc non, quia pęna damni, cum sit carentia uisionis Diuinæ, tolli non potest, nisi per uisionem Essentię Diuinæ: quia priuatio tollitur per eundem habitum: hæc autē uisio est beatificatā, ad quam ipsi nunquam attingere possunt, cum sint perpetuo exclusi. & ut inimici condemnati, ergò, &c. Vel quo ad pœnam sensus: & hoc neque aquā cum enim pęna sensus sit aliquid afflictiuū positiuum, ut est ignis, & vermis: hæc autem sunt æterna: iuxta illud Matt. 25. Ite maledicti in ignem æternum. Hinc Esaias ultimo: Et Ecclesiast. c. 11. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Ideo Aug. ait, Est rursus talis in malo, ut nec his ualeat, cum hæc uita transierit, adiuuari. Vnde ait: pro ualde malis: & si nulla sint adiumenta mortuorum, tamen qualescunque uiuorum consolationes sunt.

3. Suffragia uiuorum non prosunt damnatis Christianis.

Contra hanc Conclusionem insurgunt quidam, dicentes hanc propositionē non esse uniuersaliter veram: sed intelligitur de infidelibus, s. Gentilibus, Iudæis, & Hæreticis, non autem de Christianis in fide mortua sepultis, idest cum peccato mortali. Mouentur isti eadem auctoritate Augustini superius adducta, ubi faciunt quattuor membra morientium, scilicet, sicut sunt duo genera hominum in charitate morientium, qui sunt ualde boni, ut Sancti, & mediocriter boni, ut sunt, qui decedunt in amicitia Dei, cum aliquo debito satisfaciendi pro peccatis commissis, & remissi; ita dicunt, quod sunt duo genera hominum reproborum, sine charitate, & amicitia Dei decedentium: qui sunt ualde mali, ut sunt, qui fidem nostram non acceperunt, & mediocriter mali, ut sunt, qui fidem acceperunt, sed habuerunt illam informem. Itaque primum membrum auctoritatis Aug. distinguunt in duo, s per mediocriter bonos, intelligunt illos, qui descendunt in locum purgatorij, ut diximus, & per mediocriter malos, intelligunt malos Christianos decedentes in fide mortua, & cum inimicitia Dei, in Infernum, propter peccata mortalia. Hos, aiunt, posse iuuare suffragia Ecclesiæ, ut eorum pœna sit saltem tolerabilior. Quod confirmant dictis eiusdem Augustini in sermone de uerbis Apostoli, dicentis. Quibus uerò prosunt, uel ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, quod refertur ad descedētes in purgatorium, uel certè, ut tolerabilior sit ipsa damnatio, quod refertur ad decedentes in Infernum: nam si non differrent isti à primis, diceret, (ipsa purgatio) & non (ipsa damnatio) Huius opinionis est Glo. in Can. Tempus, 13. q. 2. Et quia non possunt negare, animas in Inferno detentas, inde nunquam exire posse, quia in Inferno nulla est redemptio, & cruciantur igne æterno, quod nunquam extinguetur, ut suprà dictum est: ideo suadent; hoc iuuamentum eis ualere, non ad extinctionem pœnæ, sed alleuiationem tantum hoc modo, Si uerbi gratia pro una eleemosyna tolleretur centesima pars pœnæ, secunda eleemosyna tollet etiam tantam aliam pœnam, non tamen tantam in quantitate, sed tantam in proportione, scilicet centesimam partem eius quæ remanet, & ita dicendum de tertia, & quarta eleemosyna in infinitum procedendo, unde semper remanebit aliquid de pœna, ita, ut nunquam intelligatur, illam finire. Aliqui, vt Pręposituus, male philosophantes confirmant hanc rationem exemplo

Instantia.

Glossa.

Prepositiuus. exemplo in naturalibus scilicet. Accipiatur linea, seu aliquod quantum continuum, si diuidatur in partes eiusdem quantitatis, puta auferatur nunc unus palmus, deinde alius palmus, deinde alius, & alius quandoque stabit diuisio ad certam quantitatem, ut nil aliud diuidendum remaneat. Si autem diuisio fiat in partes proportionales, puta primo auferatur medietas totius lineæ, secundo medietas remanentis, tertio medietas alterius remanentis, & sic deinceps, semper remanebit aliquid diuidendum, quia de ratione cõtinui est, ut sit diuisibile in infinitum, continuo enim quantumcunque minimo dato, adhuc est diuisibile: ita in proposito.

Responsio D. Thomæ. Auctor. Contra hanc falsam opinionem se opponit D.T. in 4. Sent. dist. 45. dicens, qđ ista proportionalis diuisio non ita conuenit quantitati spirituali, sicut & materiali. Sed esto quod conueniret, adhuc sequeretur inconueniens, quod ipsa opinio fugere conatur, s. quod in dies intantum possent multiplicari suffragia, ut pœna damnatorum hoc modo finiretur, contra dictum Euangelii sup à citati. Probatur, primo non enim datur ratio, quare secundum suffragium, nempe secunda eleemosyna facta in æquali charitate, & pondere, seu secunda missa dicta cum æquali deuotione, ut prima, nõn tollat tantundem de pœna potius secundum quantitatem, quam secundum proportionem; quod non probant. Secundo: quia exemplum de quantitate continua non currit ad eorum propositum: licet enim continuum, ut est quantum, sit in infinitum diuisibile; hoc tamen intelligitur in potentia, semper enim dato aliquo quanto, habet rationẽ, ut diuisibile sit, sed in facto rei non est ita; est enim deuenire ad unum minimum, quod si diuidatur, corrumpetur; ita ut non seruaret eandem speciem, nec esset sensibile: itaque applicando hoc modo hanc rationem quantitati pęnarum, aut nulla remaneret pęna, aut si remaneret, esset tam exigua, ut non sentiretur: quod esset contra auctoritatem Euangelii, suprà allegati. Ad auctoritatẽ August. in qua se fundant, dicitur quod diuisio illa non est quadrimembris, ut ipsi ponunt, sed trimembris; nam per mediocriter bonos, & mediocriter malos, August. idẽ genus hominum intelligit: qui etsi peccauerint, propter quod dicuntur mediocriter mali, tamen decesserunt in gratia, & charitate, propter quod dicũtur mediocriter boni: sed cum peccatis uenialibus, & deuotio pęnarum mortalium remissorum, nondum satisfactorum: & ideo indigent suffragijs, quæ eos iuuare possunt, ut ex serie propriè uerborum August. congnosci potest. Ad confirmationem dicitur, quod illa uerba (tolerabilior fit ipsa damnatio) non intelliguntur de damnatione æterna; sed de quacunque condemnatione, utendo uerbo generaliter, ut etiam utuntur iuris periti; qui tam pœnam ad tempus, quam ad uitam hominis, damnationem uocant. Vnde B. Gregorius dicit: Eodem Igne puniuntur boni in purgatorio, sicut mali in Inferno; sola hęc differentia est quod boni in igne purgantur satisfaciendo; mali autẽ cruciantur satisfaciendo. Et confirmatur hęc interpretatio in auctoritatẽ August. idem enim Aug dicit alibi: Si scirem, quod mater mea esset in Inferno, nõ potius orarem pro ea, quàm pro Diabolo. Quomodo ergo per mediocriter malos, vult intelligere Christianos damnatos? Dicendum est igitur, quod per ualde malos, intelligit non solum gentiles, & alios infideles, sed etiam Christianos mortuos in peccati mortali, ut dictum est. Et in lib 21. de Ciuit. Dei, & 24. dicit: Si Ecclesia esset certa de aliquibus hic in uita constitutis, quod essent in ignem mittendi æternum, pro eis non oraret: quod intelligit de malis Christianis. Item habetur 1. q 1. Canone, Quibus peccata dimissa non sunt, à sacris locis, idest ab orationibus, quæ in ipsis fiunt, post mortem iuuari non possunt, &c. Quę uerba intelligi non possunt de infidelibus, quia tales in locis sacris sepeliri non solent: sed de malis Christianis. Idem dicit Gregorius 11. &

explicatius

explicatius habetur Can. Pro obeuntibus eadem quæst. Nec mirum de auctoribus huius opinionis, quia ponit falcem in messem alienam. Alij aliter dixerũt, & peius, s. quòd suffragia viuorũ prosunt Christianis in fide mortua defunctis: immò tantum possent suffragia multiplicari, vt tota pœna tolleretur: uerum, quia non possunt contradicere Euangelio, dicenti, quòd pœna damnatorum est æterna: somniant, quòd hæc pœna eis alleuiatur, vsque ad diem Iudicij: deinde reassumptis corporibus, relabuntur in easdem pœnas perpetuò cruciaturi; quia post Iudicium non erunt amplius Suffragia. *Opinio Aliorum peior.*

Confirmant hanc opinionem, auctoritate Ioannis Chrysostomi dicentis: Duplex est misericordia Dei, scilicet liberans, & relaxans. Liberans est, dum ex toto indulgens liberat; & hac misericordia utitur in purgatorio. Relaxans est, dum illam ad tempus suspendit: & hac misericordia utitur erga damnatos. Iuxta illud Ps. Omnes viæ Domini misericordia, & ueritas.

Contra hanc opinionem, quæritur: quæ nam est causa, ut semel liberatus iterum relabatur in eandem pœnam, cum apud Deum, tanquam iustum Iudicem dum aliquis satisfacit pro alio, & Deus acceptat illam satisfactionem, ut postea eum de eodem puniat: Iniustum esset, iterum reum ad pœnam reuocare; ut patet in his, qui sunt in purgatorio: ideo cum hęc assertio non habeat fundamentum, nec probetur; falsa est. Nec auctoritas Chrysostomi facit ad eorum propositum, non enim dicit per hoc, quòd misericordia Dei se extendit ad relaxandum pœnam damnatorum, etiam ad tempus, postquam inflicta est: quia semper manet, quo ad essentiam: sed dicitur, Deum uti misericordia circa damnatos, dum infligit minorem pœnam, quam peccata eorum merētur, vnde dicitur communiter, quòd Deus punit citra condignum, & hoc sentit propheta in Ps. citato. *Refutatur opinio.*

Vnde alij aliter dixerunt, cum Guglielmo Altisiodorensi, quòd pœna damnatorum, per uiuorum suffragia, nec aufertur, nec diminuitur aliquo pacto, rationibus iam dictis. Sed intantum dicuntur suffragia illis prodesse, inquantum per ea confortantur, & roborantur, vt illas pœnas infernales leuius ferre possint: ideo eorum damnatio dicitur tolerabilior. Ponunt exemplum, dum aliquis magno pondere oneratus lassitudinem dilabitur, & debilitatur, ex quo ægrius sustinet laborem, si quis in faciem funderet aquam frigidam, per illam refrigerationem, confortarentur eius uires, ita, ut leuius sustineret pondus aggrauans, sine qua non alleuiaretur, aut exornaretur: ita in proposito, unde sic exponunt illum passum Euangelij, Lucæ. 16. dum Diues ille guttam aquę petijt ab Abrahamo, ut refrigeraretur. *Opinio Guilielmi.*

Sed contra istam opinionem sic arguitur: Si unum suffragium tribuit confortationem in certo gradu, ut leuius sustineat pœnam, tanta posset esse multiplicatio suffragiorum, & per ea posset quis ita confortari, & roborari, ut nullatenus damnatus sentiret pœnam inflictam, quod esset contra prędictas Ecclesiæ auctoritates. Præterea, contra omnes prædictas opiniones arguitur, & probatur, quòd viuorum suffragia damnatis nullo modo prosunt. Primò, quia pater Abraham, qui erat amicus Dei, & charitate plenus negauit illam paruam refrigerationem, eo quod per ea, quæ in uita gesserat, iam non erat amplius capax alicuius suffragij, quid mirum, si eis negantur suffragia viatorum? ideo Ecclesia nunquam consueuit pro talibus orare, dummodo sciret certò, eos esse damnatos, immò eis negat Ecclesiasticam sepulturam, dum aduertit eos mori sine contritione. Secundò, quia inter iustos, & iniquos damnatos existit magnum Chaos, idest distantia infinita meritorum firmatum, & stabilitum, ut unus non possit transmeare ad alium, idest unus non possit iuuare alium per suffragia, eo quòd sunt in termino. Vnde Ambrosius ait: Inter diuitem, & pauperem *Refutatur opinio Guilielmi.*

Chaos

Chaos magnum firmatum est, quia post mortem nequeunt merita mutari.

Instantia pro dicta opinione.

Sed aliqui conantur probare oppositum per ea, quæ facta sunt, legitur enim in vita S.S. Patrum, de S. Machario, quòd inuento quodã capite humano in via volens scire cuius fuisset, orauit, & ad eius preces respondit; se fuisse caput cuiusdam sacerdotis Gentilis damnati, & orationibus suis iuuari dixit: Item Ioannes Damascenus narrat, B. Gregorium orasse pro Traiano Imperatore Gentili, qui vocem diuinitus audiuit. Vocem tuam audiui, & veniam Traiano do. Cuius rei testis est Oriens, & Occidens, ait. Hinc mos insurrexit in Ecclesia, pro defunctis dici Missas S. Gregor. qui fuit tanti meriti apud Deum, vt animam oratione sua ab inferno liberauerit, multo magis à Purgatorio.

Responsio.

Ad hæc respondetur. Et primo ad illud S. Macharij quòd illud iuuamentum non fuit ad pœnæ diminutionem, sed solum ad hoc, ut ibidem dicitur, quòd eo orante concedebatur illi cum alijs: ut in illo igne obscuro, mutuo se viderent. propter quod, aliquod gaudium accidentale non verum, sed phantasticũ habuit; sicut Dæmones dicuntur habere aliquod solatium, dum homines ad peccandum trahunt; & multo magis, quando ad infernum adducunt, nec per ista dicendum est quòd eorum pœnam minuatur. Ad illud Traiani, dici potest, quòd fuit reuocatus ad uitam in statum uiatorum, ut gratiam consequeretur, & inde veniam, & remissionem peccatorum obtineret, & consequenter saluaretur. Vnde non fuit ad infernum finaliter confinatus, sed ad tempus detrusus, secundum superiores causas, quibus præuidebatur, ad vitam reuocandum precibus D. Gregorij: ut accidit in multis alijs, qui fuerunt miraculosè resuscitati ab inferis, cùm essent idolatræ, quòd patet in vita S. Pauli Apostoli; & Sanctæ Agnetis, qui suscitauerunt duos adolescentes paganos, qui ad uitam reuocati, statim se conuerterunt. Vel si dicatur, quòd anima Traiani fuerit simpliciter ab Inferno reuocata; hoc fuit per absolutam Dei potentiam. Sed de potentia ordinaria, secundum leges Dei communes, legitur in Ecclesia, q in Inferno nulla est redemptio. Itaque nemo confidat, male operando, quòd in inferno iuuamentum sentiet Quãuis ut probati auctores moderni inter quos est Illustriss. Card. Bellarminus attestantur, apocripha sint hæc quæ de salute Traiani narrantur à nonnullis, ut apud eundem uidere est Bellarm. Card. fusè satis.

Suffragia viuorũ non prosunt pueris sine baptismo, decedentibus

Quarta, & vltima propositio, ut imponatur finis huic primæ q. 1. Pueris sine baptismo decedentibus, & limbo adiudicatis, non prosunt suffragia Ecclesiæ, quamuis.n.nõ damnentur proprijs malis actibus, quibus dici possint ualde mali, tamen quia sunt fide carentes, & Dei inimici, quia nati filij iræ, & nunquam in corpore Cristi mystico per charitatẽ incorporati: quia fide, & charitate cõicamus adinuicem de bonis spiritualibus. Vnde Ecclesia numquam consueuit pro eis etiam orare, & si quandoque uidetur orare pro animabus Christianorũ quæ sunt in Inferno, illud est, quia nescitur certò exitus earum, qui si sciretur, nunquam pro eis oraret, ut ait August. quo supra. Et hęc de prima quæstione.

1. Dubiũ quibus suffragijs anima iuuantur.

Quantum ad secundam quæstionem, quæritur, quibus suffragijs animæ prædictorum iuuari possint: & dictorum suffragiorum, quæ magis illis prosunt, Quo ad primam partem. dicit Augustinus in lib. de cura agenda pro mortuis: & habetur, 13. q. 2. Can. Non æstimemus ad mortuos, pro quibus curam agimus peruenire, nisi quod pro eis siue altaris sacrificio, siue orationum, siue eleemosinarum auxiliis sollemniter supplicamus. Vbi tria tangit tantum, s. sacrificium Missæ, orationem, & eleemosinam. Sed Beatus Gregorius scribens ad Bonifacium Episcopum, ut habetur Can. Animæ, eadem q. adiungit ad hæc tria; ieiunium. Pro quorum intelligentia est notandum, ut docet D Th. in 4 Sent. dist. 45. q. 6. art. 1. quòd suffragia viuorum propter duo prosunt defunctis, uidelicet, & quatenus uiui cum defunctis uinculo charitatis vniuntur, ut dictum est, &

dicetur

dicetur, qua charitate communicant ad inuicem: & quatenus intentio uiuorum ad mortuos dirigitur. Hinc omnia opera bona moralia, quæ ex charitate fiunt, ea intentione, ut ad defunctos dirigi possit, quasi facta in persona eorum, intuitu subueniendi eis, illis proficiunt, si fiant. Horum autem propriè, & ex sua natura, tria prima habent, ut mortuis suffragari possint, Sacrificium namque altaris cum sit uinculum charitatis, & Sacramentum unionis Ecclesiæ continens Christum, in quo tota Ecclesia consolidatur, tanquam membra in capite, non solum, qui in hoc seculo, in charitate uiuunt, sed qui in Purgatorio, & in cælo sunt (ideò hostia sacra in tres partes diuiditur, antequàm sacerdos communicet, ut infrà dicetur) meritò retinet suffragij rationem. Eleemosina quoque ad charitatem pertinet, tanquàm ad eius effectum, est enim præcipuus effectus charitatis, respiciens proximum; vnde mortuis plurimum suffragatur. Sed oratio secundum suam rationem respicit intentionem; non enim respicit solum orantem, ut cætera opera bona; sed etiam eum, pro quo deprecatur, ad quem dirigitur intentio; unde non solum iuuat pro uiuis in ratione impetrationis, sed etiam defunctis, in ratione satisfactionis, ex ordinatione Ecclesiæ uim accipiens, quàmuis de se non sit pœnale opus, ut satisfactio requirit. *Sacrificium Missæ.* *Eleemosina.* *Oratio.*

Ieiunium autem, cum de ratione sui non habeat, ut ad charitatem attineat; quia charitas propriè est ad aliud, ieiunium est ad ieiunantem, nec ut attineat ad intentionem directionis, sed respicit ieiunantem corpus suum affligentem; ideo Augustinus non posuit illud inter suffragia mortuorum. Verum cum sit opus pœnale corporis afflictiuum, de ratione sui habet, ut sit satisfactorum: quod cum ex charitate, ut opus pœnale satisfactorium assumi possit, ex intentione pro defunctis, Deo offerendum, quod tum ex charitate, tum ex intentione ad ipsos defunctos dirigi potest, extrinseca tamen ratione, ideo B. Gregorius inter suffragia illud posuit. Cetera autem opera bona, ad hæc reduci possunt, quæ si in charitate fiant, & ex intentione defunctis diriguntur; ex eorum applicatione defunctis applicari poterunt. Ad sacrificium missæ reducuntur obligationes, cærei, oleum, thura, & omnia, quę pro defunctis offeruntur ad cultum Dei pertinentia, & tanti sacrificii ministrationem. Hinc insurrexit mos in aliquibus locis, ponendi cæreos super sepulchris mortuorum, in die commemorationis omnium defunctorum, & circa corpus mortui die eius depositionis, qui mos antiquissimus est. Vnde Damascenus ait, in sermone de morientibus. Decet cæreos, oleum, & huiusmodi pro mortuis offerre. sunt enim, inquit, luminis fomentum, quod ante sacrificium, & Sacramentum altaris ardet: dum enim cærei ante altare, feretrum, & tumulum ardent, ex persona defunctorum, Christum uerum lumen, eiusdem fidem profitentur. Ad orationem reducuntur Psalmi, Orationes, & preces, officium mortuorum, quæ ad rem aptissima sunt, ex institutione Ecclesię, multitudo clericorum, & Religiosorum qui mente pia, ad Deum ex intentione, in persona defuncti fundunt preces. Ad eleemosinam reducuntur omnia opera misericordiæ corporalia, & spiritualia. Ad ieiunium reducuntur omnia opera pęnalia, ut sunt afflictio, maceratio, disciplina, peregrinatio, & huiusmodi. Rursus ad hæc omnia tria prędicta reducitur etiam officium sepulturæ mortuorum, quod tam uiuis, quàm defunctis utile est. Viuis quidem utile est, quia per hoc officium, quod fidelibus pręstant, & fidem resurrectionis profitentur, & affectum charitatis, circa fideles ostendunt. Defunctis quoque utile est: nam occasione talis officij, oramus pro defunctis. In quo officio tria considerantur, scilicet, Officium humandi corpora, Pompæ funerales, & Ritus exequiarum. *Ieiunium.* *Oblationes. Carei. Oleum. Thura. Vsus ponendi careos super tumulis.* *Psalm. Orationes. Officium mortuorum. Opera misericordia. Opera pœnalia. Officium sepultura satis utile.* *Mos humandi corpora commendatur.*

Quantum

Quantum ad primum, corpora fidelium humari, semper fuit commendatum, sed non cremari, more Gentilium, qui de animæ resurrectione, & immortalitate nihil sentiebat. Quapropter Tobias illud exercuit, sperans in futuram uitam: & alij patres legis antiquæ, ut Abraham, qui emit agrum, ubi sepeliri uoluit. Genes. 13. Item Ioseph moriens in Aegypto rogauit fratres suos, ut tempore uisitationibus suæ, idest cum Deus eos educeret de seruitute Aegypti terram promissionis, ossa sua secum deferrent, & in sepulchro patrum suorum ea collocarent. Et hoc fecit, quia in spiritu uidebat, quòd Dominus Messias ibi resurgere debebat, & multi resurrecturi erant cum eo: de quibus fortè ipse erat unus. quod etiam Christiani obseruant, sepeliendo corpora carorum in locis sacris; non quòd ipsa loca in se absolutè considerata, aliquid conferant defuncto; sed ratione deuotionis uiuorum, qui occasionem accipiunt orandi pro illis, dum eorum sepulchra accipiunt Vnde August. ait: Sepulchra dicuntur monumenta, eo quòd monent mentem, idest, excitant uiuos, ut pro defunctis ibi orent. Participiant etiam ipsi defuncti de suffragijs, & orationibus, quæ in tali loco fiunt: quę omnia non haberent, nisi essent humati in tali looo sacro. Neque in talibus locis, illis prodesse credendum est, si in peccatis mortalibus defuncti fuerint, ut supra diximus. & ait Augustin. in lib. de cura agenda pro mortuis. & habetur in Can. Cum grauia, & Can. Non ęstimemus, 13. quæst. 2. Sed quia non discernimus qui, sunt tales, oportet omnibus baptizatis hoc obsequium pręstare. Quantum ad secundum, scilicet, pompæ funerales, ut sunt uestes nigræ, & alia ornamenta, cantilenæ, & lamentationes, magni apparatus, & superfluitas luminarium, & huiusmodi, nihil defunctis proficiunt, sed potius sunt solatia uiuorum, ut ipse ait, quàm subsidium mortuorum. Idem dicitur de sepulturis preciosis: si enim aliquid prodest sepultura preciosa impio, oberit pio uilis, aut nulla. Et quamuis luctus moderatus non sit Religioni Christianæ contrarius; sed potius laudabilis; quia aliquid utilitatis apportat: generat enim quandam compassionem, excitando fideles ad opera misericordię; ac uiuos admonet, ut mortem meditentur: tamen superflui planctus, clamores, & tristitię excessus, sunt ualde condemnati: ostendunt enim talia agentes, esse nimium carnales. Vnde Paulus 1. ad Thessalon. Non prohibet simpliciter aliquantulum contristari: sed excessus contristationis, sicut gentes, quæ spem non habent. Et Ioannes Chrysostomus ad hoc propositum ait. Excessus lamentationis, aut est eorum, qui non habent certam spem resurrectionis, aut qui pluris hanc uitam, quam illam perpetuam æstimant.

Monumentù unde dicatur.

Pompæ funerales.

Ritus exequiarum cōmendatur.

Quantum ad tertium, Ritum exequiarum, quia in eo omnia prędicta includuntur, ideo exequiæ quę fiunt pro fidelibus defunctis, sunt ualde commendatę: ibi.n. primum est sacrificium missæ, ubi mos est, mortuos sepeliri cum missa cantata, de Requiem est concursus clericorum, & Religiosorum orantium, & psallentium pro anima defuncti, sunt ibi luminaria, incensum, & oblationes, ut suprà diximus: sunt etiam eleemosinæ, siue in pane, & uino, siue in pecunia, quę dantur ministris Ecclesiæ pro eorum sustentatione, quę omnia sunt religiosa officia, & defunctis ualde utilia, nisi ubi uani excessus, qui fiunt potius ad inanem gloriam captandum, quàm ad religionis obseruationem, fumo superbię, religionem obnubilant. Reliqua autem Sacramenta non pertinent ad defunctos, non enim habet rationem suffragij, quoniam effectus, quos causant, sumentibus illa tantum prosunt, ita ut non possint dirigi ad alios.

18 Circa secundam partem quęstionis, scilicet, quæ dictorum suffragiorum magis prosunt? Dicuntur Sacrificium missæ inter cuncta suffragia primum obtinet locum. Sententia hęc communis est; Et probatur, nam defunctis magis suffragantur, in quibus plures rationes suffragandi inueniuntur, ita est in sacrificio

Sacrificiū tenet primum locum.

ficio missę: est enim in hoc ratio charitatis, ut suprà dictum est: dicitur nanque Sacramentum unionis, & vinculum charitatis, in quo tota Ecclesia unitur. Est etiam in hoc ratio supplicationis, per quam dirigitur intentio, ita ad defunctos, sicut ad viuos, non solum per oblati applicationem, sed etiam per orationum, quę in missa fiunt, directionem, & hoc tam per intentionem ministri, quã uniuersalis Ecclesię, quæ instituit fieri memoriam defunctorum in missa. Est etiam ibi ratio meriti. nullum enim opus in Ecclesia est magis meritorium gratię, & glorię, remissionis culpæ, & pœnæ, sicut est hoc sacrificium. nam ex suo genere habet, ut sit satisfactorium pro uiuis & defunctis, sicut enim dicitur Sacramentum, propter gratiæ infusionem; ita sacrificium nominatur, propter peccatorum remissionem, & pœnarum satisfactionem. Pręterea, nulla oratio est tam priuilegiata, sicut Missa, tum, quia fuit à Christo instituta, quod ad essentialia, tum etiam, quia ab Ecclesia sapientissimè est ordinata, quo ad orationes, cæremonias, & cetera, quę in illa fiunt. Hinc Sacerdos cautus esse debet, ne addat aliquid in missa, quod ab Ecclesia non sit positum, uel minuat, de his, quæ ab illa sunt ordinata cuius missæ efficaciam in subueniendo defunctis Beatus Gregorius lib. 4. Dialogorum multis exemplis probat.

Sed hic quęritur, quid sit melius pro anima defuncti, dicere missas pro defunctis, an de Dominica, vel aliquo Sancto? Respondetur, quòd in missa duo sunt consideranda, s. sacrificium; & orationes, quantum ad sacrificium, quod est principale in missa, omnes missæ sunt æqualis ualoris pro defunctis, quantum autem ad orationes, cum ipsæ sint ordinatæ ad excitandam deuotionem deprecantium, sint immediati, siue mediati; illæ magis prosunt defunctis, quæ maiorem deuotionem pariunt, & magis excitant animum offerentis, ac mouent intentionem versus illos, pro quibus celebrantur: Verum quia in missa pro defunctis, orationes, & alia, quæ in illa dicuntur, magis explicant miseriam defunctorum existentium in Purgatorio, & auxilium eorum per quæ animus magis mouetur ad compassionem dictarum animarum; ut pro eis feruentius Deum deprecentur: ideo genere suo, & per se, missa pro defunctis, magis iuuat defunctos, quam alia missa. Posset quandoque per accidens alia missa alicuius Sancti magis prodesse, quando s. deuotio particularis magis intensè ad illum fertur, ob eius deuotionem, ut intercedat pro anima illius in particulari. Hinc testatores solent eligere sepulturam in quadam cappella alicuius Sancti, & ibi pro se celebrari facere, propter deuotionem, quam habent ad illum, ut pro eis oret.

Dubium de missa defunctorum.

Oratio quamuis genere suo sit pręstantior eleemosyna, eo, quod immediatius dirigitur ad Deũ, & est placatiua, & impetratiua: tamen, ratione qua aliis suffragatur, ut suprà dicebamus, ipsa eleemosyna, quæ est miserorum subleuatio, in ratione satisfactionis inter suffragia, secundum locum obtinet: est enim inter opera charitatis, quæ respiciunt proximum, princeps, sed ratione directionis ad alium, pro intentione, ut suprà, oratio tenet secundum locum. Vltimò ponitur ieiunium, ea ratione extrinseca, ut explicuimus suprà, & ita de reliquis, quę ad hæc reducuntur. Et de secunda quæstione, hæc sufficiant.

Quantum ad tertiam quæstionem, quæritur. Quorũ suffragia prosint defunctis, s. existentium in gratia tantum, an etiam in peccato mortali. Reuocatis ad memoriam, quæ suprà dicta sunt in qõne de valore missæ, breuiter ad hoc rñdetur. Si quæritur de suffragiis, quorũ effectus proueniunt ex opere operato. i. merito militantis Ecclesię: tunc dico, suffragia Ecclesię prosunt defunctis, nõ solũ si fiant, ex ordinatione tantũ Ecclesię verum etiam à quocũque ordinentur; ut fiant in forma Ecclesiæ; Ecclesia namque semper exauditur; quia eius pręces semper sunt acceptę. Ita quoque orationes piorũ pauperum, & Religioso- 19

Dubium quorũ suffragia prosint defunctis.

rum, qui orant pro benefactoribus, & eleemosinas tribuentibus, etiam si tribuentes sint in peccato. Sed quantum ad suffragia, quæ proueniunt ex opere operantis, est distinguendum, secundum D.T. in 4. dist. 45. quæst. 4. art. 3. & Richardum, eadem distinctione, s. suffragia secundum hanc considerationem intelligi possunt dupliciter ab aliquo fieri, s. vel tanquam à principali agente, ex se operante, vel mandante, seu ordinante, ut fiant: Vel tanquam ab agente instrumentali ab alio moto: puta ministro exequente Suffragium, mandato ordine, & intentione alterius. Quantum ad primum, dico. Principalis auctor operis pii siue per se faciens, ut sacerdos sponte dicens Missam pro anima alicuius, siue mandans dici per alium, quodam affectu pietatis, ut secularis faciens dicere Missam pro anima patris sui: siue ordinans dici Missas pro se, ut infirmus ordinans in testamento, ut tot missæ dicantur pro anima sua post mortem, & similes, si non fuerint in charitate, dum hæc eligunt fieri, siue pro se, siue pro aliis, suffragium nihil iuuabit, etiam si minister fuerit in charitate: nam opus meritorium sequitur conditionem agentis principalis, magis quam instrumentalis. Dico hoc; nam minister existens in gratia, posset ex propria deuotione illi animæ proficere, applicando portionem meriti satisfactorii, quæ sibi debetur, tamen via ordinaria, ministri Ecclesiæ, & seruientes maximè missas beneficiales, hoc non intendunt, nisi qui in specie de hoc rogantur. Itaque mandans, seu ordinans fieri suffragium; si dum hoc ordinat, non est in charitate, nihil missa proderit illi, pro quo dicetur, ex opere operantis; quamuis postea, antequam missa dicatur, mandans ipse seu ordinans iustificetur, & gratiam recuperet, quia cum opus illud fuerit mortuum, dum ordinabatur, non uiuificatur per subsequentem iustificationem. Vnde versus.

Viuere non possunt, quæ mortua nata fuere.

Nisi post iustificationem, antequam missa dicatur, de nouo factum confirmaret, & approbaret, tunc enim uirtute illius approbationis, & confirmationis nouæ opus illud viuificant, ac si tunc de nouo eligeretur. Vnde consultum foret, ut Aegroti dum testamentum condere volunt, & pro anima aliquid disponere, prius confiteatur saltem. Et quod dico de Sacrificio missæ, intelligendum est de aliis speciebus suffragiorũ, ut suprà tetigimus. Verum, quãdoque eleemosyna facta ab aliquo existente in peccato mortali, pro anima alicuius, per accidens illi animæ conduceret & prodesset, inquantum s. pauperes, & pii Religiosi illam accipientes orarent pro anima prædicta, pro qua facta est eleemosyna, quod potius esset ex opere operato, quam operantis, ut suprà tetigimus.

Consultatio ægrotis.

Hinc sequitur, ut dum testator ordinat, ut exequiæ fiant ad arbitrium hæredum, errat non parum: stare .n. posset, ut hæredes pro tunc sint in peccato mortali; unde quidquid ex propria voluntate ordinarent, & mandarent fieri, defuncto non suffragaret, quantum est ex parte eorum; sed si aliquid defuncto prodesset, illud esset ex parte Clericorum Religiosorum, & aliorum virorum piorum orantium & psallentium pro anima defuncti, ob eleemosynas, & alia sibi ministrata, ut supra dicebamus. Item consultum foret, ut facere uolens, uel fieri mandans aliquod opus pium, siue pro se, siue pro alio, curet prius, ut cum Deo iustificetur, ut munus suum acceptum sit Deo, sicut acceptum fuit munus iusti Abel, & non Caim legitur enim Gen. 4. Respexit Deus ad Abel, & ad iniuncta eius, prius ad Abel, quam ad munera, quia amat Deus cor donantis, & non donum, qui bonorum nostrorum non indiget.

Quantum ad secundum, è contra accidit, s. si dum mandat, seu ordinat fieri suffragium, siue pro se, siue pro alio, fuerit in gratia, quãuis minister altaris, vel hæres exequens mandatũ, seu ordinẽ mandantis, & instituentis, fuerit extra gratiam; suffragium illud proderit principali ordinanti; quia malitia ministri, seu exequentis

exequentis mandatum non impedit fructum operis boni correspondentem deuotioni principalis agentis: est enim minister instrumentum operans in persona alterius, cuius deuotionem sequitur opus bonum: est etiam instrumentũ Ecclesiæ, quæ nunquam caret gratia, & charitate; & ideo opus factum in persona Ecclesiæ numquam caret fructu: Vnde cautius esset ordinare Suffragia pro defunctis, per officia Ecclesiæ, quàm per priuatas personas: ac item instituere anniuersaria, & beneficia Ecclesiastica, quæ nunquam deficiunt, quàm relinquere missas perpetuas in potestate hæredum. Itaque concludendo intentum, dicitur: malitia ministri, uel executoris non impedit fructum suffragij, seu alterius operis meritorij, si principalis, dũ hæc fieri ordinauit, erat in gratia, & hæc de tertia quæstione.

4. Dubium ad quid prosint suffragia defunctis.

Quantum ad quartam quæstionem, scilicet ad quid prosint suffragia prædicta ipsis defunctis? Pro huius declaratione est aduertendum, prout diximus suprà in q̃stione de valore missæ. Valor Suffragij in charitate facti, duplex est: Quoddam dicitur essentiale; quod consistit in aliquo gradu beatitudinis, idest visionis Dei, & hoc modo omnis actio in charitate facta, dicitur meritoria uitæ æternę, ex Diuina pactione, unde sortitur nomen præmij, & mercedis. 10 Alterum dicitur accidentale; quòd est aliquod bonum temporale, & hoc modo actio prædicta dicitur impetratoria, quæ non debetur nisi de congruo, uel est etiam spirituale, sed non de essentia beatitudinis, & hoc uocatur gaudium accidentale, quòd habetur de bono proximi. Et præter ista, est quoque remissio pœnæ purgatorij, & hoc modo dicitur actio satisfactoria, qui effectus certitudinaliter habetur, ut præmium essentiale. His stantibus tria dico. Primo ꝙ suffragia viuorum non prosint defunctis ad mutandum statum, ut in prima quæstione dictum est; & dicitur Ecclesiast. 11. Lignum ubi ceciderit, siue ad austrum, siue ad Aquilonem, ibi erit. Secundò, cum probatum sit suprà, suffragia uiuorum prodesse tantum existentibus in purgatorio, illis non prosint ad augmentum gratiæ, neque ad augmentum gloriæ; nam si ita esset, sequeretur, quòd per nos animæ illæ acquirerent nouum meritum, quod est falsum; præmium enim essentiale, quod est gloria paradisi, & Beatitudo, nemo pro alio merere potest, quia datur secundum propria merita. Iuxta illud Psalm. Reddes unicuique secundum opera sua. Et Apocalip. capit. 14. Opera enim illorum sequuntur illos. Et Paulus, 1. Corinth. 4. Vnusquisque propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem. Omnes isti loquuntur de pręmio essentiali, quod est beatitudo, & eius augmentum. Sed benè ualent suffragia prædicta defunctis ad accelerationem ipsius beatitudinis, idest ad satisfaciendum pro ipsis; nam cum migrauerint cum debito pœnæ, pro culpis remissis, non possunt in beatitudinem introire; nisi soluta pœna, quia pœna repugnat beatitudini, nec dicta pœna reseruari potest, post adeptam beatitudinem, quia postquam illam adepti fuerint; nihil remanet soluendum, eo quòd est (terna, & nunquam deficit, ergo ante ingressum Paradisi, pœna ipsa soluenda est. Hæc autẽ solutio fit per suffragia eis impensa, per quæ pęna prædicta soluitur, vt dictum est suprà, ergo suffragia illam accelerat, satisfaciendo pro eis in toto, vel in parte. Veruntamen prædicta suffragia si fiat per ordinationem vniuersalis Ecclesiæ dirigentis intentionem ad omnes fideles existentes in purgatorio, tunc omnes æqualiter participant de illis suffragiis, uel fiunt per priuatas personas, dirigendo intentionem ad aliquem particularem defunctum, & tunc in ratione satisfactionis prosint illi, pro quo fiunt, & hoc ex opere operantis, nam ex opere operato, idest merito Ecclesię ordinantis, in quolibet sacrificio fieri memoriam omnium defunctorum, aliæ animæ in ratione charitatis, in qua suffragia fundantur, aliquid de illo eodem suffragio participant. Veruntamen plus

O 2 prosint,

prosint, simpliciter loquendo, illi, pro quo specialiter fiunt; quidquid dicat Præpositiuus. Quartò dico, quòd prosint omnibus, æqualiter certo modo, scilicet, per quandam consequentiam, quantum ad gaudium accidentale, cum animę in purgatorio existentes sint beatificandæ, non solum gaudent de beatitudine essentiali propria, quam expectant, sed etiam de bonis proximorum, qui eandem beatitudinem adipiscuntur. Itaque omnes animæ in purgatorio existentes, habent quoddam gaudium, dum aliquam animam cognoscunt illis pęnis liberari, siue in totum, siue in parte per suffragia viuorum, propter consolationem quam accipiunt, de talibus suffragiis exhibitis; Et in hac parte uerificatur dictum Prępositiui dicentis, suffragium pro uno factum, non magis prodest illi, quàm omnibus aliis in carcere existentibus. Illa .n. consolatio quã habet animæ prædictę de bono proximi, idest eius liberatione à pœna, est quædam confortatio patientis ita, ut quasi pœnam suam, aut suspendat, aut minus sentire faciat, iuxta illud Philosophi 7. Eth. Delectatio de quocunq; minuit tristitiam inexistentem: quod naturaliter omnibus animabus prædictis aduenit, sicut lumen naturaliter per circuitum illuminando, æqualiter agit. Sed satisfactio, quę ad pœnæ solutionem ordinatur, non fertur naturaliter ad indigentes, vt æqualiter per hoc eos iuuet, sed fertur per intentionem dirigentis, & applicantis, ut dictum est suprà; ideò exemplum de lumine quod Præpositiuus inducit, non ualet, quo ad illam partem, & consequenter opinio, quam tenet, scilicet suffragium pro uno factum, ęqualiter pro omnibus ualere, in ratione satisfactionis, falsa est. Et hęc de quarta quęstione.

5. Dubium an suffragia defunctis impensa, prosint actori.

21 Quantum ad quintam quęstionem, in qua quæritur, utrum suffragia, quæ fiũt pro defunctis prosint actori. Respondetur breuiter. Et primò pro eius intelligentia suppono distinctionem factam in præcedenti quæstione, s. quod præmiũ correspondens cuicunque actioni bonæ in charitate factæ, est duplex, scilicet essentiale, & accidentale, itaque eademmet actio dicitur meritoria, & satisfactoria. Secundo dico, q actor suffr. gij pro defunctis, aut erit principalis, idest mouetur ex deuotione sua, quodam affectu charitatis, ad suffragandum pro mortuis. Aut est instrumentum alterius, idest mouetur, ut executor testamẽti, seu voluntatis alterius suffragia petentis, seu instituentis. His præmissis, quantum ad primum dico: Suffagia, quæ in charitate fiunt ab actore, qui spontè ex affectu charitatis mouetur ad suffragandum pro mortuis, quantum ad præmiũ essentiale, illi correspondens, pdest ipsimet actori, & non defuncto, sed quantũ ad meritum satisfactorium, quod respondet illi bono, tum ex opere operantis, tum etiam ex opere operato, totum cedit defuncto, per intentionis applicationem. Hoc patet ex dictis in pręcedenti quęstione, & suprà in quæstione de ualore missę. Sed hic instatur, antequam ad aliud membrum procedamus: An tantũ ualet actori, quo ad præmium essentiale, dum illud bonum facit pro defuncto, quantum ualeret, si pro ipso solo, illud bonum faceret? Ad hoc dico plura: Primò, nulla actio meritoria est minus meritoria, ex eo, quòd est etiam satisfactoria, aliàs sequeretur, quòd pij Religiosi, & Sancti Patres, qui quotidie laborant in benefaciendo, ut maiorem gloriam acciperent, nimis punirentur in Purgatorio, nam cum semper intendant mereri, si per hoc non satisfacerent etiam pro pœnis sibi debitis: omnes illæ pęnę sibi reseruarentur soluendæ in Purgatorio. Et è contra, si pij Religiosi, & uiri charitate pleni, dum affectu charitatis pro defunctis orant, si cum hoc, non lucrarentur aliquod prĕmium beatificum, pro seipsis; fraudarentur de meliori bono, pro quo Religiosi facti sunt, subtractio enim illius gradus gloriæ illi bono correspondentis, longè excedit, quo ad damnum, quantamcunque pœnam temporalem: unde frustrarentur sua intentione, quod non est neque imaginandum. Itaque secundò

dico,

dico, quod actioni meritoriæ, & pariter & satisfactoriæ tantum præmij æterni debetur, quantum debetur, si non esset etiam satisfactoria. Vnde actor suffragij tantum præmij essentialis lucratur, dum satisfacit pro se, uel alio, siue uiuo, siue mortuo, quantum lucraretur si actionem illam non dirigeret ad satisfaciendum: puta uel quia satisfactione non indigeret, sed pro præmio essentiali tantum ageret. Tertiò dico, quod aliquando actor maiorem gradum gloriæ lucratur, dum facit opus suffragij pro anima alicuius, quam lucraretur, si pro ipso tantum illud faceret: nam quanto maiori charitate acceditur ad benefaciendum, tanto maiori gradu gratiæ, & gloriæ illi bono correspondenti, præmiabitur: sed constat, dum actor mouetur quodam intenso affectu charitatis, & pietatis erga defunctos, ad suffragrandum ipsis, cum maiori charitatis feruore operatur, quam si pro ipso solo sollicitus esset, charitas enim non quærit quæ sua sunt tantum, sed aliorum: ergo ex illo suffragio alteri impenso, maiorem utilitatem pro se asportabit. Vnde stulti, & ignorantes repræhendendi essent qui timore diminutionis præmii proprii essentialis, se retraherent à suffragando proximo. Quartò dico, quo ad præmium accidentale, idest satisfactoriũ: posset actori prodesse uel directè, uel indirectè: directè actori minimè prodest, dum is, pro quo fit, indiget tali suffragio: nisi is, pro quo fit, quando fit suffragium, solutus esset à pœnis purgatorii, & in paradisum euolauerit, tunc enim suffragio non amplius indiget: uel nisi decessisset in mortali culpa, pro qua damnatus esset in Infernum, vbi talia sibi non prosunt, ut suprà diximus: in his enim casibus, bonum illud pro defuncto exhibitum, reuertitur ad actorem in ratione satisfactionis, iuxta illud Psal. 34. Oratio mea in sinu meo reuertetur. Et Luc. 10. Sibi non fuerit filius pacis: pax uestra ad uos reuertetur. Et ideo omnis actor, pro alio operans, Consilium est, ut habeat saltem habitualem intentionẽ, uidelicet, si ille, pro quo facit suffragiũ, nõ indiget, uel eius capax nõ est, sibi proficiat: Indirectè prodest actori ad plura. Primò ualet ei ad remissionem pœnę Purgatorii, dũ ibi talibus indigebit: dum enim actor post mortem ad similem uenerit statũ; superstites similibus suffragijs eũ iuuabunt ait enim August. Illis mortuis prosunt suffragia uiuorum, qui dũ uiuerẽt meruerunt, ut possint post mortẽ eis prodesse. Quod licet intelligatur quo ad perseuerantiam in charitate usque ad finem uitæ: tamen huius occasione Deus specialiter permittit, & sua infinita sapientia disponit, ut idem eis retribuatur. Iuxta illud Matth. 5. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Sicut è contra, qui tardè, uel nunquam recordantur de animabus suorũ, uel propter negligẽtiam, uel propter auaritiã, permittit Deus, ut ita ipsi à suis post eorum mortem obliuiscantur; iuxta illud: Qua mensura mensi fueritis, remetietur uobis. Secundo ualet actori ad augmentum gratiæ, & perseuerantiam in bono: nam qui per suffragia uiuorum iuuantur, Postquam à pœnis liberati fuerint, erunt in cælo pro benefactoribus intercedentes: licet enim nunc sint in carcere patientes, sunt tamen amici Dei cum magnis meritis: qui non erunt ingrati beneficiorum à uiuis impensorum. Tertiò ualet quandoque actori ad impetrandam primam gratiam, hoc modo, uidelicet. Stare potest ut actor post factum in charitate suffragium, incidat in peccatum mortale, & animæ illæ suis orationibus impetrare possunt pro eo conuersionem à peccato; per auxilium Dei speciale. Nec obstat, quod sint extra uiam, ita ut sibi nil mereri possint, nam affectu charitatis, quę in eis perfecta est, possunt pro nobis gratiam, & remissionem impetrare. Vnde B. Gregor. lib. 4. Dialogorum ait: Neque negandum est plerosque diutius purgari, qui maioris meriti existunt, & per consequens, potiores apud Deum. Itaque si ibi existentes, quandoque temporalia beneficia uiuis præstant; quanto magis

spiritualia præstabunt? Legitur enim de B. Seuerino Coloniensi Episcopo qui dum erat detentus in Purgatorio, miraculis claruit, ut refert Petrus Damiani, & B. Gregor. 4. Dialog. Idem refert de B. Pascasio Diacono Romano. Et multo magis hæc impetrare possunt in patria. Si ergò Suffragia defunctis impensa, non solum eis, sed etiam actori vtilia sunt, nullo pacto erunt despicienda. Quantum autem ad secundum membrum principale, scilicet, de
22 executore alterius uoluntatis, ad quid sibi proficiunt, dum Suffragia soluunt, ut hoc sciatur, primo uidendum est; an suffragium relictum in testamento, uel quomodolibet ordinatum, fieri possit post obitum ordinantis; & si retardetur, aut ex toto negetur, noceat ordinanti, seu testatori? Respondetur. Quantũ ad pręmiũ essentiale, scilicet augmentum gratiæ, & gloriæ, ut dictum est suprà, siue fiat suffragium, siue non, nihil ordinanti nocebit: nam is quando ordinauit illud fieri, si erat in charitate, lucratus est illud præmium essentiale, quod meretur illud opus bonum, ex bono motu ordinatum. Quantum autem ad præmium satisfactorium, quod illi bono respondet, ex opere operato, tam ex ordinatione Ecclesiæ, quam ex orationibus, quæ fiunt per Ecclesiæ ministros, & pios pauperes recipientes eleemosynas, & legata pia, si suffragium non fiat, nihil utilitatis ordinator, & testator sentiet: vel donec fiat, si solum retardatur. Itaque quo ad pœnæ alleuiationem, & Gloriæ accelerationem, ut dictum est suprà ordinans ipsum suffragium defraudabitur. Vnde totam pœnam debitam in purgatorio soluet; nam suffragio neglecto, nullus effectus sequitur: quia ex nihilo nihil fit; quod omnibus in confesso est. Verum quantum ad præmium satisfactorium, quod illi respondet ex opere operantis, ait Scotus in 4. distinct. 45. quæst. 2. artic. 4 ordinator non frustatur; habet enim effectum suum, propter illum bonum affectum charitatis, & deuotionis, qua illud bonum elegit, etiam si non fiat. Sed Richardus eadem dist. q. 5. art. 4. Cui consentit Gabriel Biel in Can. missæ, oppositum tenent. Ad hoc dici potest, quod etsi illi bono motui charitatis aliquid pęnæ satisfactoriæ corresponder, ultra præmium essentiale, ut in ceteris aliis bonis; tamen dicendum est, quod nunquã lucrabitur totum effectum satisfactorium correspondentem quantitati suæ deuotionis, sicut lucraretur, si suffragium fieret; nam quantum ad hunc effectum, præmium est conditionatum, scilicet si fiat: itaque conditione non existente, neq; pręmium existit. His prælibatis, dico: Si actor suffragii ex ordinatione testatoris illud exequitur, non ex mandato sibi facto, & obligationis debito, sed ex charitatis actu, tunc meretur pro se apud Deum, ob illum bonum motum, quem habet ad adiuuandum proximum, ex affectu charitatis, & si illud non facit, nõ peccat; quia ad nihil tenetur. Si aũt tenetur ex promissione facta testatori, uel debito hæreditatis, dum eum elegit executorem testamẽti; & hoc negat ex negligentia, non curando, ut pia legata, & suffragia relicta, fiant per hæredes, peccat mortaliter, quia ad hoc se obligauit. Vnde meretur etiam, ut sui superstites eodem modo negligentes sint circa executionem suorum legatorum, dũ moriens his indigebit: quia scriptũ est. Qua mensura mensi fueritis remetietur uobis. Et si ultra qui est executor testamenti, est & hæres, qui tenetur soluere legata, ut suprà, tunc dico: si testator nõ determinauit tempus solutionis legatorum, & eorum executionis, executores testamenti habent tempus adimplendi legata per annum. Verum ait Richardus, quo suprà Si adest possibilitas adimplendi statim, quamuis in foro iudicii compelli nõ possit: tamen conscientia ad hoc eos compellere deberet: supponitur enim, q̃ testator uoluerit illis suffragiis iuua, q̃ citius possit; quia ad hoc fiunt. Sed si anno elapso: uel si tempus determinauit, & eo transacto, suffragia: & legata retardantur, executores, seu hęredes, ad quos spectat, dum sunt in mora peccant mortaliter.

Executores alterius uoluntatis in quo noceant defunctis non exequendo eorũ legata siue differendo & quomodo peccent mortaliter.

ter: anima enim defuncti ordinantis suffragia, eorum negligentia patitur in tormentis,& impeditur ab adeptione glorię: quod non est paruum damnum, dum ad omnia hęc remedium iuuaminis impenderat per legata relicta, & non soluuntur. Vnde exclamat dicens: Miseremini mei,miseremini mei,saltē uos amici mei:quia manus Domini tetigit me. Et multo magis peccant,si executio legatorum in tantum differtur, ut anima defuncti totam pœnam peccatis debitam in purgatorio soluat, antequam fiant: ita ut dum postea fiant, illa iam liberata inueniatur à pœnis. Nec excusantur ex eo quòd non habent modum pro tunc, quia hoc prouenit non ex impotentia,sed quia nolunt incommodo molestari, aut priuare se bonis relictis, quę certè eis non debentur: deberent enim cogitare, quòd si defunctus reliquit mille aureos duobus hęredibus;quorum cuilibet attribuentur quingenti aurei,si fuissent tres hæredes,minus quilibet eorum accepisset,ita quidem, & anima defuncti, nonne est tertia hæres,quæ succedit in legatis ad pias causas?cur igitur, dum diuidunt hæreditatem, non soluunt etiam portionem illi animæ debitam? sed procrastinando differunt illam,cum deberet ipsa primo satisfieri: unde quid mirum,si hæreditates non diu durant. Nec minus peccant Episcopi,& Ordinarij locorum,qui in defectu hæredum, succedunt, ut executores testamentorum ad pias causas. Can.Nos quidem,& cap Si hæredes,Extra,de Testamētis:si adueniente tempore solutionis,& satisfactionis legatorum, non compellunt hæredes, ut dictis legatis satisfaciant. Et quamuis diligentes sint in quærendo copiam testamenti ad pias causas; hoc tamen faciunt pro eorum interesse, & non pro defuncti beneficio,quærentes quæ sua sunt,& non quæ Iesu Christi. Et si fortè hęredes, seu testamentarij,dicta suffragia & legata à testatore relicta,ita fieri despiciūt, vt non curent ea penitus adimplere,imò negant Ecclesiæ dicta legata,ipsi sibi iram Dei in die iræ lucrantur,condemnandi tanquam fures,& raptores legatorum,imò tanquam sacrilegi puniendi in Inferno,ut habetur 13.q.2.Can. Qui oblationes,& cap.Clerici.

Ex his colliguntur quædam Corrolaria. Primum est. Nemo fraudari potest fructu retributionis beatitudinis, qui bono debetur operi, nisi propria culpa, vel quando est in peccato mortali, uel post factum redicit, uel retractat, quod fieri ordinauit. Secundum est. Quandoque quis fraudatur aliquibus bonis spiritualibus ob culpam alterius,quod intelligitur,quo ad præmium accidentale,ut suprà uidistis. Tertium est. Stat,aliquem decedentem in charitate,defraudari effectu satisfactorio Suffragiorum relictorum tam si non fiant, quam si fiant,postquam anima soluerit per se in Purgatorio ob executorem dilationū. Quartum est. Plus prosunt defuncto Suffragia ab ipso relicta, quam illa, quæ spontè fiunt à parentibus,& amicis.

1.Corrolar. 2.Corrolar. 3.Corrolar. 4.Corrolar.

Hic sunt quædam aduertenda. Primum est. Quod qui potest in uita agere pro anima sua,quæ in testamento reliquit, imprudens est, non agendo, ea relinquens discretioni hæredum, triplici ratione: Prima est. Quæ fiunt in uita, sunt maioris ualoris, & fructus, quo ad augmentum gratiæ, & gloriæ; plus enim meretur dans cum effectu, quam ordinans tantum, ut post obitum detur,quia actus ille procedit ex maiori affectu,& ardentiori charitate Secunda est,quia quantum ad remissionem pœnæ,plus operatur eleemosyna facta in uita,& erogatio bonorum in pios usus,& similia, quando sunt in dantis potestate,quam dum ordinantur, ut dentur post obitum quando retineri non possunt, tunc enim dantur quasi non sua. Vnde Ecclesiast.cap.14.dicit,Ante mortem bene fac amico tuo, & secundum vires tuas exporrigens, da pauperibus. Et sequitur: Nonne alij relinquis labores, & dolores tuos; & quis magis ami-

Aduertentia.

cus tuus, quam anima tua Miserere animę tuę, placens Deo. Hinc Isid. lib. 3. Sententiarum, c. 4. sic ait. Terrena omnia seruando, amittimus, largiendo seruamus. Tertia ratio est, quia hęredes & executores testamentarii rarò inueniuntur fideles, ut experientia docet.

Vnde qui in uita sua exequitur uoluntatem suam, certus est de Suffragio facto, qui autem committit illud faciendum post mortem, incertus est, si fiat, certus est utique de poena, quam in Purgatorio patietur Hinc B. Hieronymus super Lucam, ait: Nemo de substantia, quam habet homo, fidelior dispẽsator est, quam ipsemet. Etsi fortè in uita prędicta exequi non potes, nisi post mortem, memento, illa committere fideli executori, quorum nullus magis fidelis est, quam Ecclesia, committe ergo Ecclesię, in quo hęredes non se intromittant, quia certus eris de fructu eorum.

2. Aduertendum. Secundum aduertendum est, ut dum quis pro anima sua, aliquod suffragium facere, vel ordinare uoluerit, scilicet aliquam donationem Ecclesiæ, vel pauperibus, Cappellam erigere, beneficium, aut aliud bonum, ad Diuinum cultum instituere, studeat prius amicitiam Dei habere, ut facta in gratia, Deo sint accepta, & animæ suæ proficiant ad medelam.

3. Aduertendum. Tertium est, ut si fortè prædicta facta fuerint extra gratiam, uel quidem in gratia, sed post legatorum ordinationem, illam per lapsum amiserint, studeat se munire Sacramentis, & deinde ratificet quidquid pro anima sua fecerat, quia per istum nouum consensum reputabuntur apud Deum, ac si tunc de nouo fuerint ordinata, & ita recuperabit fructus eorum. *4. Aduertendum.* Quartum est, si executores piorum legatorum, & Suffragiorum, ea exequi sine rationabili causa differant, grauiter peccabunt; & quod peius est, si illam exequi negauerint, tanquam raptores, & sacrilegi in Infernum retrudi se sciant, nisi impoenitentia cum contritione eos excusaret quod quandoque euenit iusto iudicio Dei; vt non possint frui bonis malè possessis.

De

De Indulgentijs.

QVantum ad sextam,& vltimam quęstionem, scilicet an Indulgentiæ prosint defunctis, & quomodo prosint. Respondetur. Sed antequam responsio detur: cum multa supponat, pro illius materiæ intelligentia, ideo sunt multa consideranda, quæ breuissimè tangemus, quantum facit ad nostrum propositum, nam per alios Doctores, ad plenum de hac re scriptum reperitur. 23 *Indulgentia an prosint defunctis.*

Primò quæritur, quid sit Indulgentia. Et quamuis quæsitum, quid est, supponat quæsitum, si est, teste Philos. 2. Poster. nunquã enim quæritur de aliquo, quid sit, nisi prius sciatur, si est in rerũ natura id de quo quæritur: vnde sequeretur, prius tractare, si Indulgentiæ sint in Ecclesia, deinde, quid sint: tamen quia loquor fidelibus, & Catholicis, sufficit supponere, quod in Ecclesia sint Indulgentiæ, & quòd vsus earum sit antiquissimus, licet non tam frequens, ut hisce temporibus, & quod hanc potestatem conferendi indulgentias Christus Ecclesiæ suæ concessit, suntque maximè utiles populo Christiano, ut per plura sacra Concilia, & præsertim per S. Concil. Trid. Sess. 25. definitum est, ita ut qui hæc negaret, tanquam anathema damnatus esset. *Negare indulgentias, esset anathema.*

Indulgentiam igitur aliqui dixerunt; esse donum quoddam partis thesauri Ecclesię, per quam donantur debitori pœnę pro peccatis soluendæ. Alii dixerunt, indulgentiam esse remissionem pœnę temporalis pro peccatis debitę. Et si illi ambo benè dicant in parte, sunt tamen deficientes in definiendo; primi enim tangunt causam tantum, secundi solum effectum. Vnde melius dicamus, coniungendo utrumque.

Indulgentia Ecclesiastica est donum thesauri spiritualis, quod est in Ecclesia; quo relaxantur pœnę pro peccatis debitę, remissa culpa, per eum, qui habet auctoritatem extra Sacramentum. *Definitio indulgentiæ.*

Dicitur (Indulgentia Ecclesiastica) indulgentia namque uenit à verbo, indulgeo, quod duo significare potest, vel licentiam alteri facere; & hoc modo sonat in malã partẽ: vnde dici solet, indulgere Gulę, indulgere Veneri, idest permittere, & concedere, vt Gulam, & Venerem exerceat: uel significat in bonũ, vt Ecclesia vsurpauit, scilicet indulgere est idem quòd ignoscere, & remittere, quod aliquis fecerit. Vnde Hieronymus super Daniel. c. 4. ait ad hunc sensum: Ignoscet Deus delictis tuis. Et hoc modo Ecclesia semper sumit. Dicitur (est donum) eo quòd meritum passionis Christi gratis datur, ex eius liberalitate, per manus sui Vicarij, successoris Petri, iuxta illud Apostoli ad Corinth. 2. Ego quod donaui, si quid donaui propter vos in persona Christi. Quæ donatio est solutio unius pro alio per Ecclesię thesauri applicationem. *Indulgentia unde dicantur.*

Dicitur (thesauri spiritualis, quod est in Ecclesia) pro quo nota; quòd thesaurus Ecclesię, de quo loquimur, vt explicat Clemens VI. in Extrauaganti cõm. Ca. Vnigenitus, nil aliud est, quã superabundantia meritorum Christi: qui pp nimiã charitatẽ, qua dilexit nos, non solũ meruit nobis gratiã, & gloriã, iuxta illud Pauli. Quem posuit propitiatorem nostrum per fidem in sanguine ipsius. Itaque quantum ad Gloriam nihil sibi meruit; quia ab instãti suę conceptionis per hypostaticam unionem fuit gloriosus. (Et quãuis idem Paulus dicat alibi, Propter, quod & Deus exaltauit illum, &c. illud intelligitur de Gloria accidentali, quã sibi meruit, quia fuit redẽptor totius orbis) sed etiã remissionem peccatorũ superabundanter: tota enim uita sua, in qua multa opera supererogationis fecit, *Nota de Ecclesia thesauro.* 24

fecit,& multa passus fuit,meritoria, & satisfactoria fuit: ipse enim factus est nobis redemptio,& satisfactio, per proprium sanguinem, quē effudit abundè, & copiosè in Ara crucis uelut quoddam profluuium, cuius una gutta pro redemptione humani generis sufficiens fuisset,propter unionem ad uerbum; Vnde infinitè meruit,& infinitè satisfecit,ultra quod nos indigeamus.Hinc Ioan. ait. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris,non autem nostris tantum,sed pro peccatis totius mundi. Quasi dicat: Christus multo plus passus est,quam opus erat.Hinc etiam dicitur Lucæ 9.q̃ Moyses,& Elias in monte Thabor loquebantur cum Iesu de excessu, quia in patiendo pro nobis excessit omnem mensurā, oēm necessitatem,omnemq; pœnam, itaq; ista suprabundantia meritorum,& satisfactionum Christi,uæ adhuc non sunt prçmiata,ne superuacua,& inanis, pro tanta effusione,redderetur:thesaurum militanti Ecclesiæ acquisiuit,uolens thesaurizare suis,ut qui eo vsi fuerint,participes amicitiæ Dei efficiantur,ideo ipsum in Ecclesia reposuit,ad instar benigni Principis, uel prudentis patrisfamilias,qui non solum prouidit pro necessitatibus præsentibus,sed reseruat aliquid pro futuris necessitatibus, ut fecit illa antiquus Patriarcha Ioseph, qui fuit typus,& figura Christi, qui non fuit contentus soluere omne debitum necessarium,pro redemptione generis humani,sed uoluit pati plus quā satis erat, vt illa superabundantia suarum satisfactionum in futurum,nobis deseruiret;in in adiuuando nostram imbecillitatem,& fragilitatem.IN hoc thesauro sunt ēt recondita merita satisfactoria B. Virginis Mariæ quæ per totā uitam passa fuit multa mala pœnç,& multa supererogationis opera fecit,quibus ipsa non indigebat,cum nunquam peccatū commiserit, quia fuit prçseruata.Quç opera satisfactoria dicuntur ei fuisse superflua. Ad hçc adiunguntur quoq; multa de operibus satisfactoriis Sanctorum, qui in Ecclesia multum laborauerunt,quæ opera superabundantia vocantur; eo quòd ipsi passi sunt plus quam opus erat pro suorum peccatorum satisfactione. Itaque, quæ solutis debitis suis superfuerant, in hoc thesauro recondita sunt, & incorporata cum satisfactionibus Christi supradictis. Cum enim Christus cum Sanctis suis sit unum corpus mysticum in Ecclesia, cuius ipse caput est, teste Paulo,conueniens erat,ut mēbra caput imitantia,in hoc thesauro aliquid reponerēt,ideo laborauerunt, & passi sunt plus quam ipsi indigebant. De qua re Paulus testatur dicēs.Nunc gaudeo in passionibus pro uobis;& adimpleo ea,quæ desunt passionibus Christi in carne mea,pro corpore Christi,quod in Ecclesia,super quibus uerbis dicit Diuus Anselmus; Si accipis Christum, ut caput & corpus in se ipso,non desunt passiones eius,quas passus est in carne sua,quam de virgine traxit; quia sunt infinitæ. si autem accipis Christum,ut caput tantum, cuius Paulus erat membrum, vtique deerant passiones Christi in membris eius secundum Diuinam prædestinationem,quæ ab æterno ordinauit, vt etiam membra eius, idest fideles paterentur superabundanter,ideo Paulus dicit,desunt. Et ubi desunt,in carne mea, inquit;quasi dicat: Adimpleo,idest adiungo portionem meam passionum, quç in corpore meo patior,quæ desunt passionibus Christi, scilicet corporis Christi mystici,quæ adhuc non sunt completæ, secundum diuinam ordinationem. Et hoc ago pro corpore eius, quod est Ecclesia, idest repono cum aliis in thesauro Ecclesiæ. Sed quantum passus sit Paulus pro Christi Ecclesia, in uarijs locis Epistolarum ipse insinuat,& prçcisè ad Corinthios 2.cap.11.

Indulgentiarum effectus. Dicitur (quo relaxantur pœnæ) per quæ uerba explicatur effectus, quem producunt ipsç Indulgentiæ in suscipientibus illas. Pro cuius rei intelligētia, *Nota.* est notandum, quòd pro quolibet peccato mortali homo incurrit reatum cul- *Culpa quid sit.* pç, & pœnç. Illa culpa considerata, ut causa,est deordinatio actus moralis: quæ si erit contra charitatem Dei,& proximi, dicetur lata,seu grauis culpa: si autem

autem præter Charitatem, dicetur leuis, uel leuissima. Culpa igitur mortalis est deordinato contra Charitatem. Cõsiderata, ut effectus, est inimicitia Dei, contracta per illum actum deordinatum, quæ inimicitia alio uocabulo dicitur pœna damni: & ideo reatus pœnæ est quoque duplex; sicut per illum actum deordinatum duplex motus fit: unus scilicet aduertendo se à Deo, & alter conuertendo se ad creaturas. Per auersionem, homo incurrit pœnam damni, idest, inimicitiam Dei: & hæc pœna de se est ęterna: qui enim à Deo se elongat per auersionem, meretur, ut æterno tempore ab eius amicitia sit exclusus, & ita quodam modo ista pœna est infinita ratione termini à quo se elongat, cum sit bonum infinitum. Per eundem quoque actum conuertitur ad creaturas, quas præponit Deo, qui enim inclinat se ad ipsas creaturas, relinquẽdo legem Dei, anteponit amorem creaturæ, amori Dei: & huic conuersioni respondet pęna sensus. Hæc autem pœna suapte natura non est infinita, nec intensiuè, nec extensiuè, idest duratione; quia malum, cui respondet, non est sua natura infinitum; nullum enim creatum est infinitum, sed est maior, uel minor, secundum mensuram rei, ad quã se conuertit. Iuxta illud Deuter. 17. Secundũ mensurã delicti, erit & plagarum modus. Sed intantum dicetur æterna, inquantum homo, cum inueniatur Dei inimicus, sequitur, ut nunquam apud eum inueniat rationem satisfactionis; sed satispassionis; & ideò in Inferno nunquã finitur. Cum autem per motum contrarium; idest auertendo se ab amore creaturæ, & conuertendo se ad Deum per pœnitentiam consequatur remissionem culpæ, & pœnę ęternæ, tunc recuperata Dei amicitia, aufertur illa pœna damni, quæ illi auersioni respondebat: & ordinatur ad eius uisionem. Verum remanet iustitiæ debitor, quo ad pœnam sensus, pro offensa facta: quæ ex æterna commutatur in temporalem, ad hunc sensum secundum Sotum, scilicet, non quod esset de se æterna, & per pœnitentiam efficiatur temporalis. Sed quæ per inimicitiam contractam, nunquam habebat finem, & ideo æterna in patiendo, ut dictum est, per amicitiam recuperatam, desinit esse æterna, & remanet in sua natura temporalis: quæ cum patiatur tempore amicitiæ est satisfactoria. Et quãuis recuperata amicitia, remissa culpa, nihil cruciatus ab amico deberet remanere exigendum: tamen quia illa inordinatio non est penitus reordinata per iustitiam, quousque fiat plena satisfactio: propterea illam exigit Deus; quod in humana politia probari potest: nam lędens aliquem per iniuriam, licet dum de iniuria ueniam petit, illius amicitiam recuperet, tamen semper remanet debitor alicuius satisfactionis, ratione iustitiæ. Itaque non est contra legem amicitiæ, petere ab amico, ut damnum resarciatur; quod fit satisfaciendo. Hæc enim differentia est inter satisfactionem, & satispassionem: inimicus namque punitur inuitus, & ideo satispatitur, absque ut remittatur ei: amicus autem spontè, & uoluntariè pœnam pro amici offensa patitur: & ideo talis pœna satisfactoria est, per quam satisfactionem remittitur ei. De hac re sunt multa exempla in Sacra scriptura, & auctoritates Sanctorum, de quibus non est dubitandum. Hæc autem pœna temporalis tripliciter solui potest, per uiam ordinariam, uel per pœnitentiam iniunctam ab Ecclesia, seu Sacerdote in foro pœnitentiæ: uel per opera pęnalia spontè assumpta, uel post uitam hanc in purgatorio, secundum Dei iustitiam.

Pœna duplex & quid Pœna damni.

Pœna sensus.

Quare recuperata amicitia Dei tenetur aliquis pœnam pati in purgatorio.

Differentia inter satisfactionem, & satispassionem.

His præmissis dico: Dum Indulgentiæ conferuntur, aliqua pars thesauri prædicti applicatur suscipienti indulgentiam in ratione satisfactionis, pro eo, per quam applicationem remittuntur pęnæ sibi debitæ, ac si ipsemet satisfecisset pro dictis. Verum aliqui hoc intelligunt, quo ad forum Ecclesiæ tantum: idest, dum alicui imponitur pęnitentia à Confessore, si, postquam illam acceptauit, nollet facere, per applicationem Indulgentiæ liberaretur quidem ab illa obligatione,

Opinio aliquorum circa effectum indulgentiarum.

gatione,ut non teneatur hic dictam pęnitentiam agere: sed non remitteretur pęna peccatis debita in iudicio Dei. Vnde remaneret adhuc obligatus, illam in purgatorio passurus, & satisfacturus. Hæc opinio, si uera esset, sequeretur, quod applicatio indulgentiarum, esset magis damnosa Christianis. pęnitens enim, qui in hac uita satisfacere posset, per leuiores poenitentias à Sacerdote impositas, dum per Indulgentiarum applicationem releuari uideretur, magis aggrauatus remaneret, eo quod illæ pęnitentiæ essent postea per eum soluendæ in Purgatorio, per acriores, & atrociores pęnas: illæ namque pęnæ non differunt à pęnis Inferni, quo ad atrocitatem, nisi quod pęnæ purgatorii sunt satisfactorię; & ideo ad tempus finiuntur: illæ autem inferni sunt punitiuæ tantum: & ideo nunquam finiuntur. Vnde merito hæc opinio condènata fuit ab Alexandro de Ales, D. Bonau. D. Tho. & aliis Doctoribus Modernis. Itaque dicendum est, quod ualent ad soluendum pęnas prædictas, quibus pro peccatis remissis debitores sumus, tam in foro Ecclesiæ, quam in iudicio Dei: unde, qui uisitaret Ecclesiam, ubi posita est Indulgentia, uel faceret, quod Bulla præcipit, lucraretur tantum indulgentiarum quantum indigeret pro solutione pęnæ peccatorum sibi remissorum, quibus obligatus erat, secundum iudicium Dei, in hac uita, uel in Purgatorio, in casu, quo hic non soluerentur. Igitur, per applicationem Indulgentiæ facienti hoc, uel illud, Ecclesia dispensans prędictum thesaurum, soluit pro eo, de meritis satisfactoriis Christi, & Sanctorum, ita ut amplius non teneatur in hac, uel alia uita satisfacere: sicut si ipsemet satisfecisset. Hinc dici potest, quod huiusmodi applicatio dicatur solutio pęnæ, quod est opus iustitię, inquantum Ecclesia soluit pro pęnitente: applicando aliquid de thesauro prædicto: & simul dicatur absolutio, quod est opus misericordiæ; inquantum per dictam applicationem pęnitens remanet absolutus, quia omne debitum sibi misericorditer remittitur, & relaxatur, absque eo ut ponat aliquid de suo.

Refutatio. *Vera opin.*

25 *Indulgentiæ quib. ualeãt.* Dicitur (pro peccatis debitæ, remissa culpa) quod ex prædictis colligitur, nam indulgentię non ualent, nisi ijs, qui de peccatis præteritis sunt legitimè confessi, uel saltem uerè contriti: pro quibus remanent postea ad pęnam temporalem obligati, ut dixi, pro qua pęna nondum satisfecerunt. Itaque indulgentiæ, non prosunt existentibus in peccato mortali, nec sunt necessariæ illis qui ad plenum satisfecerunt.

Ergò qui accepit indulgentiam plenariam, vna uice, non opus est amplius illam repetere. Dico, quod utique ita est, si sciret certo se illã lucratum fuisse, sed quia nõ scit certò an odio, uel amore dignus sit, illã sæpè accipere, optimum consilium est, ut si fortè prima uice illam lucratus non fuerit, quia bene dispositus non erat, lucrabitur alia uice.

26 *Qui possit cõcedere Indulgentias.* Dicitur (per habentem auctoritatem) hic pro causa efficiente tangendi sunt qui habent auctoritatem in Ecclesia dispensandi hunc thesaurum. Primò potestas hæc dispensandi thesaurum data fuit à Christo principaliter Petro Vicario suo, & successiuè Summis Pontificibus, qui possunt hũc thesauũ plenariè in toto orbe dispensare. Secundò, Concilium generale in Spiritusancto legitimè congregatum, eandem Indulgentiam plenariè dare potest. Tertiò, Legati Papæ possunt Indulgentias perpetuas concedere, sicut & perpetua statuta facere, infra tamen terminos suæ legationis. Quartò, Archiepiscopi in sua Prouincia, & Episcopi in sua Dioecesi possunt quadraginta dies tantum Indulgentiarum semper concedere: sed in dedicatione Ecclesiæ possunt concedere unum annum, & non plus, ut habetur in cap. cum ex eo, & in cap. Nostro, de Pęnitent. & remissio. Sed Capitulum Cathedralis Ecclesiæ, Sede uacante, Parochi, & Abbates, hanc potestatem non habent, neque Con-

fessarij

fessarij, quia potestas hæc dispensandi thesaurum requirit iurisdictionem in foro exteriori, quam non habent de iure diuino nisi Papa in toto Orbe, & Episcopi in suis Diœcesibus, qui succedunt Apostolis, Ceteri autem intantum possunt, inquantum à Summo Pontifice illam habeant. Quomodo autem intelligatur, quod dicit Abbas, & aliqui alij Doctores, quòd confessarii possunt indulgentias dispensare, inferius dicetur.

Dicitur denique (extra Sacramentum) ad denotandum, quòd non potest, vt dans indulgentiam audiat subditum in confessione, & tunc illam applicet, quia indulgentiam concedere potest etiam non Sacerdos ex commissione Papæ, ut ait Syluest. Verbo, Indulge. sed sufficit, ut fiat, quod per Summũ Pont. aut eius ministrum ordinatur, ad indulgentiam obtinendam. Pro quo est notãdum, quod qui vult, ut indulgentia sibi ualeat, primo opus est, ut sit in gratia Dei, per contritionem perfectam, dum indulgentiam suscipit. (sola autem attritio non sufficit, & ideo melius est, ut qui uult suscipere indulgentiam prius cõfiteatur, nam si fortè esset attritus, mediante Sacramentali absolutione fieret uerè contritus, ut indulgentiam lucraretur. Quid autem sit attritio, & contritio, & quæ differentia, in Sacramento pœnitentiæ dicetur) quia, ut dictum est, indulgentiæ tantum iuuant pro pœnis satisfactoriis, quæ remanent, remissa culpa; Vnde dum culpa manet, pœna tolli non potest, ideo cõiter dicitur in Bullis ut sit perfectè contritus cum proposito confitendi tempore suo; nisi expressè de confessione mentionẽ faciat: quia tũnc õia hæc præcedere debent; Secũdo hæc largitio Indulgẽtiarum fit misericorditer iis, qui per Dei amicitiam digni facti sunt. Sed existens in peccato mortali, inimicus est Dei: quomodo ergo potest participare de eius donis? Dico, (dum indulgentiam suscipit) nam quando bulla dicit, qui uisitauerit talem Ecclesiam, & ibi tales preces fuderit, lucrabitur tales indulgentias; si casu in itinere mortale peccatum commiserit: dummodo antequam Ecclesiam uisitet, & ibi oret, pœniteat de peccato commisso, indulgentiam consequetur, alias non. Item quando dicitur in quibusdam Iubileis, ut ter in tali Hebdomada ieiunet, Sabbatho confiteatur, & Dominica sequenti cõicet, & oret, & tunc consequetur indulgentiam si fortè infra Hebdomadam dum ieiunat, peccaret mortaliter, dummodo dum cõicat, & oret, sit restitutus in gratiã, indulgentiam consequetur. Itaque consilium optimũ est, ut quoties homo facit aliquid pro consequendo aliquam indulgentiam, melius est, ut confiteatur, accidere numquam potest, ut homo non accedat uerè contritus, sed attritus. quæ attritio, ut dixi cum non sufficiat non consequeretur indulgentiam. Peccata uenialia non impediunt effectum indulgentiarũ, quia non tollũt gratiã. Veruntamen, nisi de eis contritio habeatur, indulgentia nõ tollit pœnas eorũ. Tertio oportet, ut obseruetur tenor Bullæ, ad unguẽ circa essentialia, puta uisitet Ecclesiã tali die, faciat talẽ eleemosynã, dicat tales orationes, ieiunet, cõfiteatur, & cõicet, uel simile, quæ si omitantur, ẽt per impotentiam. indulgentiam non consequetur: quia Bulla tantũ ualet, quantũ sonat. Nec refert, an hæc fiant cum magno labore, uel paruo, quãtũ ad ualorem indulgentiæ: unde tantũ cõsequetur indulgentiarũ uisitans Ecclesiã patriæ suæ Incola, quantum Aduena, qui longo itinere uisitare uenit. Verũ incola nõ meretur tantũ, quo ad præmiũ essentiale, illi operi bono correspõdẽs, quãtũ Aduena, q. magis laborauit: & ita de aliis operibus intelligendum est. Et si aliquando requiratur absolutio pro indulgentia consequenda. hoc tamen fit extra cõfessionem. quia absolutio illa non est Sacramentalis, quod accidit in articulo mortis, dũ aliquis ascr p us alicui confraternitati, uel habens aliquod diploma, seu priuilegium, uel saltem granum benedictum: in quibus datur facultas, ut semel in uita, & in articulo mortis, possit consequi Indulgentiam plenariam, uel simile, tunc illa Indulgentia, non

Nota. Quid necessarium sit ad indulgentiam obtinendam.

Absolutio qua requiratur pro indulgentia cõsequenda.

tia non applicatur ei, nisi mediante absolutione, puta dum ægrotus confessus est, & communionem accepit, remansit obligatus ad satisfaciendum pœnæ pro peccatis commissis, vt dictum est supra; tunc pœnæ illæ relaxari possunt per applicationem indulgentiæ, mediante illa absolutione, uirtute sui priuilegij, per Sacerdotem, uel alium, prout priuilegium dicit: sed quæ est forma huius absolutionis? est hæc, scilicet, Authoritate Domini nostri Iesu Christi, SS. Apostolorum Petri, & Pauli tibi concessa, & mihi commissa in hac parte, concedo tibi omnem illam indulgentiam peccatorum tuorum quam tibi concedere possum uirtute sui priuilegij, In nomine Patris, & Filij, & Spiritussancti. Amen. Verum nota, quod si tunc non moritur, cōsecutus est indulgentiam; sed non potest uti amplius tali priuilegio, s. in alio articulo mortis, quia tunc expirat, nisi in bulla specialiter exprimetur reseruatio pro alia uice; & tunc in absolutione sunt exprimenda hęc alia uerba (si tamen hac uice morieris, aliàs pro alia uice tibi reseruo, & tunc quoties infirmatur ad mortem, toties potest hoc modo absolui, sed tunc non lucratur indulgentiam prędictam, nisi ultima uice, quando moritur. itaque si talis absolutio non fiat, priuilegium tales non iuuat; huius ratio est, quia Papa hic non cōcedit indulgentiā directè, ut facit, dū dicit: Qui visitauerit talē Ecclesiā habeat tantū Indulgentiarū, uel qui in mortis articulo dixerit tale, uel ter, Iesus, aut simile, consequatur Indulg. Plenariā, quia in similibus casibus sufficit facere, quod Papa mandat fieri, sed in casu prędicto, illam indirectè concedit; idest dat facultatem confessario, uel alij, prout priuilegium dicit: ut possit indulgentiā plenariā illi concedere virtute sui priuilegij, mediante tali absolutione. Quæ res, cum à multis non aduertatur: ait Nau. Multi discędunt ex hac uita pleni priuilegijs, & uacui indulgentijs. Et si fortè postquam confessus fuerit, commiserit aliud mortale, confiteatur prius; & si loquelam tunc amiserit, saltem conteratur, & cognito aliquo signo contritionis, sine quo Indulgentia non valet, tunc absoluatur, ut supra.

Forma talis absolutionis.

27 Sed hic quæritur, quid sibi volunt dicere, tot anni, uel dies Indulgentiæ? solet enim in Bullis poni: Qui fecerit hoc, uel illud, lucretur centum, uel mille annos indulgentiarū, uel simile: aut dicet, remittatur sibi tertia pars peccatorum, uel habeat indulgentiam plenariam, & similia. Pro cuius rei intelligentia est aduertendum, quod quanta pœna respondere debeat, ad plenè satisfaciendum pro quolibet peccato mortali, secundum Diuinam iustitiam, à nobis certò sciri nō potest. Ecclesia tamen à Spiritusancto edocta, antiquitus ordinauerat, pro quolibet mortali regulariter fieri debere pœnitentiam septem annorum, qua peracta, pœnitens restituebatur in statum pristinum, & hoc antiqui patres non fecerunt iudicio proprio, sed potius Diuini iudicij sententia. Videntes autem, quod in Sacra Scriptura, multoties Deus à peccatoribus exigebat pœnitentiam septennem; ut legitur de Maria sorore Aaron, de Dauid, & multis alijs; ut etiam habetur Can. Hoc ipsum, 33. q. 2. ideo hanc taxam fecerunt; Et pro aliquibus grauioribus dicta Ecclesia ordinauerat decem, aut undecim annos, & quandoque plures annos pœnitentię, ut ibi Gratianus, & per multos Can. habet. Quæ pœnitentiæ, ait ibi Glos. non sunt positę secundum mensuram delicti, ita scilicet per eas ad plenum pro peccatis satisfieret, ut nihil amplius in Purgatorio exigeretur à Deo. Scotus autem, cui consentit Sotus in 4. dist. 25. q. 1. art. 3. dicit, quod patres taxauerunt has pœnitentias ad iustum, secundum eorum iudicium, cogitantes, quod Deus fortè non plus exigeret à pœnitente, secundum Diuinam iustitiam, aliàs dicti Sancti Patres non arbitrentur uti legitimè clauium potestate; sed diuersitatem eorum credo oriri ex diuersa inspectione diuersorum Canonum. nam quandoque patres in taxando pœnitentias septem, uel decem annorum, perscribebant modum, quo fieri deberet, ut habetur dist. 82. Can. presbyter.

Dubiū quid significent tot anni, vel dies Indulgentiæ, vel indulgentia plenaria. Nota quanta pæna respondet uni peccato mortali. Pœnitentia septennis.

byter, ubi sacerdoti, qui publicè fornicationem admiserit, si in uitio nō perdurauerit, imponetur pœnitentia decem annorum ad hunc modum. In primis tribus mensibus, priuato loco à cæteris segregatus, pane, & aqua à uespere ad uesperam utetur. diebus tantum Dominicis, & præcipuis festiuitatibus, modico uino, & pisciculis, atque leguminibus recreetur; sine carne, sanguine, ouis, & caseo. Quibus expletis in publicum exiet, & unum annum cum dimidio in pane, & aqua explet: exceptis Dominicis, & præcipuis festiuitatibus, in quibus uino, sagimine, ouis, & caseo, iuxta Canonicam mensuram uti poterit. Finito primo anno, & dimidio, Corporis, & Sanguinis Domini particeps fiet. Deinde usque ad expletionem septimi anni, omni tempore anni, exceptis Paschalibus diebus, tres legitimas ferias in unaquaque hebdomada in pane, & aqua ieiunabit. Expleto postea septimo anni curriculo, Episcopus in pristinum locum, & honorem reuocare poterit, si eius pœnitentia collaudata fuerit. Item in Can De uiro, 12. quæst. 2. exprimitur, quæ pœnitentia imponenda si ei, qui inuaserit res Ecclesiasticas, scilicet ut per septem annos, ter in hebdomada abstineat ab usu carnium, & uini potatione, ultra quædam alia ardua, & difficilia facienda, quæ ibi ponuntur. Et in Can. Si quis Sacerdos, 30. quæst. 1. præcipitur Sacerdoti, qui cum filia spirituali fornicatus fuerit, ut peregrinando, duodecim annis pęniteat, & postea ad monasterium uadat, ibique cunctis diebus uitæ suæ Deo inseruiat. Quę omnia si in charitate fierent à pęnitente, nescio, si Deus aliud ab eo pro tali peccato exigeret. Et ad hæc, puto aspexit Scotus. Sed Nauar. ait, quòd hęc pęnæ imponuntur in foro exteriori; quod non credò; Primò: quia ibi dicitur, pęniteat, per quod uerbum datur intelligi, tales pęnitentias esse salutares, & iudicales. Secundò sequeretur, quod ultrà has pęnas taxatas, Sacerdos deberet imponere alias pęnitentias; quod esset nimis durum: & si non; intelligas, ut dixi. Quandoque verò patres taxauerunt pœnitentias septem annorum: sed modum imponendi, & eas adimplendū sit arbitrio Sacerdotum reliquerunt; qui posset declarare, quid adimplendum sit in illis septem annis; prout eis uideretur: considerando delicti magnitudinem, & officij excellentiam, & alias circunstantias, scilicet addendo, & minuendo ieiunia feriarum, in qualibet hebdomada, uel mense dictorum annorum, & alia opera, prout ipsis uideretur, ut notatur per Glos. in Can. Prędicandum, 22. q. 2. & habetur etiam in can. Non oportet, 3. q. 3. ubi præcipitur ei, qui filiam carnalem dedit in uxorem filio suo spirituali, quem de fonte susceperat, & alijs; imponi pœnitentiam septem annorum: sed modus relinquitur arbitrio Sacerdotis: & ita de multis alijs dici potest; & ad hęc fortè aspexit Glos. prędicta. Sed quomodocunque sit; siue dictę pœnitentię à Patribus taxatę, sint sufficientes pro peccatis, siue non; unum est clarum, quod peccator, postquam pœnituerit, tenetur illas explere, ut fecerint fideles antiqui, qui dum Sanguis Christi feruens erat, ad unguem obseruarunt; maximè tempore Augustini. Qui feruor durauit usque ad tempus Innocentij primi, deinde cœperunt languescere: tum, quia Charitas refriguit, ut parum obseruarentur: tum etiam, eo quòd malitia, & multitudo peccatorum intantum creuit, ut pœnitens nullus tot pœnitentias complere possit, quantumcunque longo tempore uixisset: nam antequam finiret septem annos pœnitentiæ, pro uno peccato, committebat plura alia peccata: & ita in infinitum crescebat obligatio. Quod uidens pia mater Ecclesia; hunc rigorem obseruandi ad unguem Canonum pœnitentias, abstulit, ordinauitque, ut Confessarij; non discedendo ab illis regulis, posset dispensare super dictis pœnitentiis, idest, possint minus illas taxare, secundum qualitatem, & facultatem personarum, ac temporum, & similium, prout persona fuerit apta plus, uel minus illas explere. Reliquum

Canonum pœnitentia.

verò

uerò, quod secundum Canonum taxationis, & Dei iustitiam, persoluendum remaneret, uel per opera supererogationis fieret, uel per flagella Dei in hac uita inflicta pateatur pateretur, uel saltem in Purgatorio, ubi quidquid hic remanet soluendum, reseruatur. Quæ dispensationes, ut dixi, ab aliquibus uocantur indulgentiæ, inquantum Confessarij pœnitentibus indulgent, non obligando eos ad Canones pœnitentiales. Et hoc modo intelligitur dictum abbatis, & aliorum asserentium, quòd Confessarij concedunt Indulgentias: idest indulgent pœnitentibus, ut dixi: uerum remanent obligati, per aliam uiam satisfacere.

Quomodo confessarij concedant Indulgentias.

Indulgentiarum frequentatio. *Responsio ad dubium.* *Indulgentia tot annorum.*

Hinc cœperunt frequentari Indulgentiæ Pontificię, & Episcoporum: & quanto plus Canonum pęnitentias per confessorum dispensationes, & pœnitentium negligentias decreuerunt, tanto magis dictæ pontificiæ indulgentiæ creuerunt. Et his ad dubiũ dicitur, quòd anni, & dies indulgentiæ qui per bullas pontificias conceduntur, anni, & dies pœnitentiarum per Canones, ut suprà, taxatarum intelliguntur, puta si quis commiserit centum peccata mortalia, teneretur in hac uita, secundum Canones Pœnitentiales, uel Dei iustitiam per septigentos annos pęnitentiam persoluere, quod cum facere non potest, rationibus iam dictis, faciendo, quòd Papa in Bulla pręcipit; per applicationem thesauri pręđicti, Ecclesia absoluit pęnitentem, indulgentiam accipientem, à tali debito, in toto, uel in parte: prout Bulla concedit, ita ut non teneatur amplius nec in uita, nec post mortem in purgatorio pro illis satisfacere, puta si Bulla concedit mille annos Indulgentiarum ipse absolutus est ab omni debito, quia solutio est superflua; si autem bulla concedit quingentos annos, tunc remanet absolutus ab illis, & remanet obligatus pro reliquis ducentum. & ita de similibus iudicandum est. Et quando Bulla concedit uiginti millia, uel triginta millia annorũ indulgentiarũ; ne mireris de tali numero excessiuo; nam stare potest, ut aliquis tot commiserit peccata, ut omnibus his indigeat; & si nõ indiget, quia pro paucis peccatis satisfacere tenetur, vel quia alias indulgentias lucratus est, in faciendo id, quod pro talibus indulgentijs ponitur; tantum ex illis lucrabitur, quantum opus habet. Quando autem dicitur in Bulla, uisitanti talem Ecclesiam, conceditur remissio tertiæ partis peccatorũ suorum, uel simile, intelligitur, quòd per talem indulgentiam donatur tertia pars pœnitentiæ pro peccatis debitæ, siue fuerint centum, siue mille; reliquas duas partes remanet obligatus explere per opera pœnalia; si aliquam aliam indulgentiam non accipit. Vnde per unam indulgentiam hoc modo, cui plus, & cui minus donatur, secundum quòd magis uel minus sunt obligati.

Indulgentia tertia partis peccatorum.

28 Quando uerò in Bulla dicitur: facienti hoc, uel uisitanti talem Ecclesiam, conceditur indulgentia plenaria; tunc accipiendo talem indulgentiam, homo liberatur ab omni pœna debita pro peccatis commissis, & contritis, siue fuerint pauca, siue multa, ita, ut nihil amplius pro illis remaneat soluendum: siue ad eam fuerit obligatus per pœnitentiam à confessore iniunctam, siue per Canones pœnitentiales, siue secundum Dei iustitiam. Itaque si statim accepta indulgentia plenaria, moreretur, immediatè ad cælum euolaret, quia tunc in Purgatorio nihil soluendum remaneret, cum per talem indulgentiæ applicationem Ecclesia, ex thesauro meritorum Christi, & sanctorum, pro eo omnia soluerit, ac si ipsemet soluisset, ut suprà explicuimus. Et quod dicitur de indulgentia plenaria, intelligitur de pleniori, & plenissima, pro eodem enim accipiuntur. Hoc idem intelligendum est etiam, dum in Bulla dicitur, concedimus remissionem omnium peccatorum: nam his, & similibus uerbis relaxantur non solum pœnitentiæ omnium illorum peccatorum, de quibus est confessus, sed etiam omnium oblitorũ, de quibus est contritus, & sine sua culpa non recordatur,

Indulgentia plenaria, plenior, & plenissima.

Indulgentia remissionis omnium peccatorum.

datur facta diligenti examinatione, ac etiam omnium aliorum, de quibus antea confessus, & absolutus erat, & pro eis ad plenum non satisfecerat quod est, plenariam peccatorum præteritorum remissionem, & indulgentiam habere. Itaque omniũ uerba hęc sunt idem significantia. sed Notarij Sedis Apostolicę utuntur omnibus istis nominibus ad ampliandam indulgentiæ plenitudinem, & excitandam plebem.

Quæritur ulterius dum in Bulla dicitur, concedimus indulgentiam plenariam culpæ & pœnæ, illud uerbum, culpæ, operatur ne aliquid? Dicit D. Anton. cum multis alijs, quòd non. sed impropriè ponitur ibi: intantum enim apponitur. inquantum supponitur, quòd qui lucratur indulgentiam, habeat culpę remissionem per præcedentem contritionem, seu confessionem, quæ in hoc sunt necessaria, ut suprà dictum est: itaque culpa refertur ad pręcedentem contritionem, & confessionem, ut eius effectum, & pœna ad indulgentiam, ut effectum eius. Vnde propria loquendo, indulgentia non absoluit à culpa. quia hoc est solius Dei auctoritatiuè, per contritionem, & sacerdoti ministerialiter per Sacramentum absolutionis. Viguerius autem dicit, quòd culpæ poni solet in quibusdam magnis Iubilęis, ubi datur facultas, facienti Iubilæum, ut possit sibi eligere confessorem, qui eum absoluere possit à quibuscunque peccatis grauibus, & enormibus: itaque illud uerbum, culpa, refertur ad culpas graues, quæ uirtute illius absoluuntur: quod est dicere: Indulgentia pœnæ & culpæ, idest in qua datur facultas absoluendi à culpa quacunque enormi. Vel dicamus, quòd hoc uerbum, culpa, ideò ponitur, quia aliquid operatur, & non ponitur sine mysterio. Pro quo nota, ꝙ quando conceditur indulgentia plenaria, dicitur plenaria, quia ad plenum absoluit ab omnibus pœnis, tam mortalibus, quàm uenialibus peccatorum, de quibus uenialibus saltem in generali contritionem habet accipiens indulgentiam, uel deleta sunt per alia remedia, ad hoc spiritualiter ordinata, ut alias dixi: nam etsi ipsa stent cum gratia, tamen, nisi eorum culpa, aliqua uia remittatur, circa eorum pœnas indulgentia non habet locum, & multo minus si dum accipit eam, de illis complacentiam habet; numquàm enim remittitur pœna, remanente culpa. Vnde sequitur, qui accipit indulgentiam plenariam, quantumcunque contritus sit de mortalibus, si non habeat bonum motum circa uenialia saltem in generali, uel per alia remedia, ut dixi, illa deleuit, non consequitur per indulgentiam remissionem pęnæ illorum uenialium. Itaque si tunc moreretur, quamuis indulgentiam plenariam acceperit, tamen adhuc teneretur pro illis uenialibus in purgatorio satisfacere, nisi in Bulla dicatur specialiter, quòd ualet pro omni pęna, & culpa, tunc enim illud uerbum, culpa, refertur ad culpam venialium, nondum remissorum, de quibus nullam cõtritionem habuit, nec per alia remedia deleta sunt, sed posita fuerunt in obliuionem, ab accipiente indulgentiam; nam sicut moriens cum illis, hoc modo, potest in purgatorio illa purgare, & postea ad cęlum euolare, ita per Indulgentias, ex speciali Ecclesiæ ordine ab illis absolui potest quo ad culpam, & pęnam. Et confirmatur: nam sicut Ecclesia ad deletionem venialium multa alia remedia ordinauit, in quibus tunc non opus est particulari contritione, ut alibi dixi, cur per indulgentias sine contritione illa delere non poterit? Igitur illud verbum culpa, in Bulla positum, operatur aliquid, ut dixi.

Indulgentia culpæ, & pœnæ, quid significet.

D. Anton.

Viguerius.

Auctoris sententia, quam notabilis.

Redeundo ad nostrum videndum est an isti anni, & dies pęnitentiæ, qui per Indulgentias lucrantur intelligantur illi tantũ, qui per confessorẽ in Sacramento pęnitentiæ iniunguntur, an alij per canones taxati, ut suprà dictũ est? Nam Caietanus in opusculis, disputans hanc materiam, dicit, intelligi debere de pœnitentiis iniunctis à confessore. Quod si ita esset, parum iuuarent Indulgentię,

Dubium, an isti anni indulgentiæ intelligãtur de pœnitẽtijs iniunctis tantũ.

Caietanus. Refutatio. Communis opinio.

cum à confessoribus non soleant imponi tot anni pœnitentię, ut Bullæ dicunt, puta mille, & decem millia, uel simile ad quid ergo ponuntur tot anni in Bullis, si à confessoribus uix imponantur centum dies? Sed ueritas est, secundum communem Theologorum sententiam, dum bulla loquitur simpliciter, intelligitur non solum de iniunctis à confessore, sed etiam quæ iniungi possent secundum Dei iustitiam. Et si in Bulla dicitur: Concedimus centum, uel mille annos indulgentiæ de pœnitentijs iniunctis, tunc intelligitur de illis iniunctis per Canones pœnitentiales, ut suprà dixi, & non tantum à Confessarijs.

Dubiũ an indulgentiarum anni respondeant annis purgatorij.

Sed nunquid isti anni, & dies pęnitentiæ iniunctæ, ut suprà, respondeant et annis, & diebus purgatorij? puta, dum homo per unum peccatum fornicationis tenetur in hac uita septem annis pœnitere: an si dictam pœnitentiam in hoc mundo non expleuerit, teneatur septem annis etiam in Purgatorio pati? & consequenter isti anni indulgentiæ intelligantur de annis etiam in Purgatorio soluendis. Dicitur, quòd non. Pro quo nota quòd quantumcunque homo peccauerit, si de illis pœnituerit finaliter, & in hac uita pro illis non satisfecerit, non potest pati in Purgatorio uiginti annis, sunt enim pœnę illæ tam graues, & atroces, ut unus annus pœnæ purgatorij, ualeat pro mille annis in hac uita soluendis, nam pœtentiæ, quę in hac uita imponuntur tot annorum, consistunt in hoc, scilicet ut in qualibet hebdomada ter ieiunęt, uel oret, seu aliquid aliud simile faciat, uel per tot annos peregrinetur, aut abstineat à carnibus, ouis, & caseo, uel uino, & similibus, quæ pœnitentiæ licet per longum tempus sint soluendæ; sunt tamen opera, quæ faciliter fiunt tum propter operis leuitatem, tum propter temporis interpellationem, qua spiritus aliquantum recreatur, sed pœnæ, quę in Purgatorio soluuntur, ultrà quòd sunt magis afflictiuæ, quàm ieiunium, oratio, disciplina, & huiusmodi, immò sunt maximè cruciatiuæ sine comparatione, patitur enim ibi pœnam ignis, sicut in Inferno, sunt etiam continuæ sine temporis intercapedine, unde nunquàm anima recreatur, nisi quando pro ea fit aliquod suffragium, eo modo, quò suprà dictum est. Et si dicatur ut dicunt patres, quòd pœnitentia hic sponte facta, ualet plus, quàm alia pœna purgatorii illi æqualis, hoc intelligitur, ceteris paribus, idest si homo per diem posset pati tam acerbam pœnam, quanta est illa purgatorii, ualeret pro pœna purgatorij unius mensis, ratio est: quia aut uoluntariè, & spontè dictę pœnę eliguntur, uel acceptantur, sed ibi exiguntur quasi inuoluntariè, quia ulterius differri non possunt. Itaque cum pœnitentię, quæ in hac uita imponuntur, non sint ita graues, & acerbę, ut pœnæ purgatorii, opus est, ut permultos annos sint soluendę, qui anni satisfactionis, propter multa peccata, in tantum multiplicantur, ut uita non modo nostra, sed etiam nec illa Mathusalem sufficeret ad satisfaciendum: & ideo Indulgentiarum usus creuit, ad supplendum, quæ hic adimplere non possumus. Igitur dicti anni Indulgentiarum respondent annis Canonum pœnitentialium, & non annis Purgatorii. Et confirmatur: primò ex modo loquendi Bullarum, quibus conceduntur Indulgentiæ, dicitur enim in Bulla: Relaxamus tot annos pœnitentię, & non dicit pęnæ, constat asit, quę in purgatorio patiuntur, pęnę dicantur, & non pęnitentię, quia illic infliguntur a Dei iustitia uindicatiua; & exiguntur quasi inuoluntariè, ut dixi: sed quę hic soluũtur, vocantur pęnitentię, eo q uoluntariè assumuntur, & acceptantur. Secundò, quia in antiquis formulis Bullarum dici solebat: Relaxamus tot annos de pęnitentiis iniunctis, constat autem q pęnę quę in purgatorio soluuntur, non dicuntur iniunctę, quia non iniungitur ab Ecclesia, sed exiguntur à Dei iustitia, ut ordinatur secundum diuinum iudicium.

Quęritur

Quaeritur vlterius dum in Bulla dicitur: Concedimus indulgentiam centum annorum, & totidem quadragenas, quid intelligatur per quadragenas? Respondetur. quòd intelligitur numerus dierum quadraginta: quod est dicere; tot quadragenas, i. tot uicibus quadraginta dies: mos enim ponendi hoc uerbum in Bullis incœpit antiquitus, vt dum Papa in visitatione alicuius Ecclesiæ imponebat tot annos indulgentię: Episcopi quoque, qui aderant, quisque imponebat suos quadraginta dies, ut in Concilio Lateranensi fuit decretatũ: vnde usu uenit, ut notarij, utendo formulis antiquis, ponant hoc verbum, quadragenas, per quod Papa quasi plurium Episcoporum auctoritate fungens, vltra annos, concedit quoque plures quadragenas: idest totidem quadraginta dies: Potest etiam intelligi de pœnitentiis quadraginta dierum per Canones impositis pœnitentiales: sunt enim multi canones pœnitentiales, qui pro aliquibus peccatis imponunt quadraginta dies de pœnitentia, in pane, & aqua, uel in alio opere pœnali.

Quid intelligatur per tot quadragenas.

His expeditis; modo facilè intelligi potest, si indulgentię valeant defunctis. Cum autem ipsi ex hac uita discesserunt, cum debito satisfaciendi pro peccatis debitis, eo quòd in uita non ad plenum satisfecerunt, propterea in purgatorio detinentur, donec omnia soluãt. Vnde sicut per alia suffragia, ut suprà dictum est, iuuari possunt, ut citius ab illo carcere absoluantur; ita etiam per indulgentias sibi applicatas, à dicto Purgatorio liberari possunt. Puta, qui pro tot peccatis commissis, & remissis, tenebantur in hac uita tot annos pęnitentiæ Canonum adimplere; cum non adimpleuerint; Summus Pontifex, per thesaurum Ecclesiæ soluit pro anima illa, cui applicatur Indulgentia. qua solutione facta, relaxantur ei, tot anni, uel dies purgatorij, illis pœnitentiis correspondentibus, ut suprà explicatum est, quot anni indulgentiæ conceduntur, scilicet mediam partem pœnæ peccatorum, uel tertiam, uel simile; aut centum, aut mille anni, vt suprà, qui si non sufficiunt, ad soluendam totam pœnam purgatorij debitam, remanent in dicto purgatorio soluere reliquum. Et si indulgentia defunctis concessa erit plenaria, illa anima, cui applicabitur, liberabitur in totum ab omni pœna debita, ita, vt statim ad cælum euolet.

Indulgentia pro defunctis. 29

Sed difficultas est inter Doctores, quomodo animæ defunctorum consequũtur Indulgentias pontificias, cum sit quòd dictæ Indulgentiæ semper concedantur pro aliqua pia causa facienda ab accipiente Indulgentiam: puta, pro visitanda aliqua Ecclesia, uel ieiunando, aut eleemosynam faciendo, uel simile: & ipsę animę nihil illorum facere possint. Secundò, largitio Indulgentiarum est actus iurisdictionis, qui extenditur ad eos, qui sunt de foro Ecclesiæ; & animæ illę non sunt de foro Ecclesiæ. quia dictum est Petro, Matth. 16. Quodcunque ligaueris super terram, &c. Ad primum respondet D. Tho. in 4. Sentent. distinct. 45. quæstio. 2. art. 2. quòd Indulgentiæ sub duplici forma concedi solent. Vno modo, dicendo absolutè. Qui uisitauerit talem Ecclesiam uel fecerit hoc, uel illud, lucrabitur tot annos indulgentiæ: & tunc non solum mortui, qui hæc facere non ualent, uerum etiam nec uiui ea facere respuentes, uel non potentes, indulgentiam lucrari poterunt, quia tantum ualent, quãtum sonant. Alio modo, dicendo, Qui uisitauerit talem Ecclesiam, uel fecerit hoc, uel illud, tam pro se, quam pro alio, non potente illa facere, siue uiuo, siue mortuo lucrabitur pro se, uel pro illo talem indulgentiam: & tunc si in bulla specialiter dicetur ualere etiam pro mortuis, tunc lucrabitur indulgentiam pro illo defuncto, pro quo specialiter Ecclesiam uisitauerit, uel aliud opus fecerit, aliàs non: quia applicatio indulgentiarum pertinet ad Papam, & Prælatos Ecclesię potentes indulgentias concedere, & non ad priuatas

Dubium quomodo defuncti consequantur indulgentias.

Responsio D. Th. ad primũ.

personas illas sumentes. Vnde nisi concedens Indulgentiam dicat, uolo, ut ualeat pro defunctis, si pro illis tale quid fecerint, illis non proderit. Et tunc dicetur, defunctum indulgentiam consequi indirectè, idest medio alterius labore. & non directè, ut uiuus: qui per seipsum, & pro se indulgentiam sperat.

Ad secundum. D. Antonin⁹. Opinio cōtraria. Ad secundum idem D. Thom. quo suprà, dicit, quòd defuncti sunt de foro Ecclesiæ militantis, & ideo indulgentiæ ualent illis, sicut & uiuis, per modum absolutionis, & certa lege Dei, cuius sententiam sequitur D. Antoninus, & multi alij, & præsertim Frater Michael Medina Hispanus in quodam tractatu de Indulgentiis. Quorum rationes pertranseo, breuitatis causa. Multi alij tenent oppositum, multis aliis rationibus suffulti, quibus omissis, dicendum est, ut declarauit Sixtus IIII. quem sequuntur multi alij Summi Pontifices, & Ecclesia quotidiè docet, dum Indulgentias pro mortuis promulgat. Dicendo, quòd ualeant ipsis, per modum suffragij.

Decisio q̄ indulgentia ualeat defunctis per modū suffragij.

Hostiensis interpretatio. Refutatio. Alia interpretatio. Sed adhuc difficultas oriri potest, quomodo scilicet intelligendum est ly (per modum suffragij) Hostiens. enim dicit, quòd opera bona, quibus dantur indulgentię, non ualent animabus existentibus in purgatorio ex ui indulgentiarum, sed eo modo, quo suprà dictum est de aliis suffragiis pro mortuis factis. Itaque non plus ualent opera illa dictis animabus propter Indulgentias, quam si sine indulgentiis dicta opera pro ipsis fierent. Quod si ita esset, illud uerbum tolleret efficaciam Indulgentiarum: vnde frustrà darentur pro mortuis: & populus hoc modo deciperetur; quod non est præsumendum de Sede Apostolica. Qui tenent primam opinionem, scilicet, quòd potestas Papæ se extendit ad animas Purgatorij, dicunt, quòd hoc uerbum (per modum suffragii) positum est, ad excludendum modum iudiciariæ potestatis: quæ iudiciaria potestas dicit directè iudicialem absolutionem pœnæ debitæ, per applicationem thesauri; commutando illam pœnam in aliud, quod Bulla faciendum præcipit, voluntariè assumptum; qui modus iudiciariæ potestatis habet locum in uiuis tantum, qui voluntariè, & deuotè assumunt opus illud faciendum, quod Bulla præcipit: propter quod pœna debita, in illud parum commutata, per Indulgentiam concessam, relaxatur: & sic iudiciariè absoluuntur ab illa, supplendo meritum Christi, qui soluit pro illis. Dum autem ipsi defuncti huiusmodi opus facere non ualent, quando fit pro eis ab alio, iam opus illud ab alio factum, suffragatur eis; ut indirectè consequi possint indulgentias, non minus, quam si ipsimet per seipsos opus illud fecissent, & ita indulgentię proficiunt eis per modum suffragij; idest per opus bonum ab alio factum, & eis per modum suffragij applicatum. Vnde, & si directè non absoluantur iurisdictionaliter; absoluuntur tamen indirectè medio opere ab alio suffragato, & ipsis applicato, ueluti quando Papa concedit indulgentiam uisitanti, uel facienti uisitare pro se, talem Ecclesiam, dum legitimè impeditus, per se ipsum illam uisitare non ualet, tunc uisitanti pro se, & per se, indulgentia conceditur directè, & per modum iudiciariæ auctoritatis, sed illi impotenti infirmo, uel simili uisitanti per alium, cōceditur indirectè, & per modum suffragii, idest per auxilium alterius suffragantis, & applicantis sibi opus illud. Ex quo sequitur secundum hanc expositionem, defunctos consequi indulgentias infallibili lege Dei, sicut & uiuos. Hanc sententiam sequitur Gabriel Biel in Can. missæ lectione 57. L. post Alex. de Ales, & Bonauent. & alios, quos enumerat, qui tenent, Papam non habere iurisdictionem super purgatorio, relinquentes Hosti. sequuntur mediam uiam, & dicunt, q. Papa misericorditer se habens cum defunctis, offert de thesauro Ecclesiæ pretiū, quo ipsi à Deo absolui possunt, acceptando illud in partem debiti satisfactorii pro eis: itaque illa oblatio facta à Summo Pontifice per concessionē indulgentiæ, est quædam suffragatio eis facta, inducens diuinā miseri-

Alia interpretatio.

sericordiam, ut mediante opere à uiuo pro defuncto impenso, acceptet meritum Christi oblatum in pretium satisfactorium, pro anima illa. Posset dari exemplum pro faciliori intelligentia. Dum aliquis Princeps haberet aliquos suos, sub iurisdictione sua pro debitis carceratos, & non ualentes debitum soluere; sua liberalitate eos absoluit à carcere, uerum, ut iustitia locum habeat, de thesauro suo in manu sua recondito, satisfacit eorum debitis, & ita sua iurisdictione utitur super eis, absoluendo eos à debito, & consequenter à carcere. Ita facit Summus Pontifex Viuis, qui sunt de eius foro, & super quos Iurisdictionem habet, applicando thesaurum Ecclesiæ per Indulgentias, absoluit eos à debitis contractis cum Deo optimo maximo, per peccata commissa, ut suprà dictum est. Si autem dictus Princeps haberet aliquos suos uasallos pro eorum culpis sub alterius Regis potestate carceratos, tunc misericorditer eis auxiliari posset, non absoluendo eos à carcere, ut fecerat aliis; quia pro tunc Iurisdictionem super eos obseruare non potest, eo quod manet sub alterius foro, sed offerendo pretium, pro quo retinentur; ut Rex ille acceptet illud sua benignitate prò eorum debitis: & eos liberet sua humanitate. tunc Princeps suffragatur eis, sic eis auxiliando, non per uiam absolutionis, quia eos absoluere non potest, cum maneant sub alterius iurisdictione, sed per uiam redemptionis, si Rex acceptare uoluerit pretium oblatum pro captiuorum redemptione.

Ita facit Sūmus Pontifex, conferendo Indulgentias defunctis, per modum suffragij, idest auxilij, & pretij, ut si Deus sua infinita benignitate, & pietate acceptet illud pro debitis illarum animarum. Vnde Viguerius cap. 18. §. 6. post alios Doctores, sic ait: Quamdiu uiuimus, sumus subditi S. Pontificis & pœnæ nostræ ad forum eius, idest præsentis uitæ spectant: & propterea, seruatis seruandis, Indulgentia ad uiuos defertur, uia iustitiæ, per actum iurisdictionalem habentis potestatem eas conferendi scilicet per absolutionem. Animabus autem Purgatorij, ut in altiori foro, & terribiliori existentibus, Indulgentiæ non perueniunt per actum Iurisdictionis, siue absolutionis, cum præsentes non sint: neque de foro isto, sed cum sint nobis unitæ in charitate, Papa, ex thesauro Ecclesiæ, per modum suffragij, ad subleuationem earum confert, & remittit, confidens de magna misericordia Dei, uni & claues Regni ei contulit. hæc ille. Ex quo sequitur, quod Deus non acceptat hoc suffragium indulgentiarum pro mortuis factum, ordinaria, & infallibili lege, sicut pro uiuis: pro quibus dixit Petro. Quęcunque solueris super terram, erunt soluta & in cælo. Sed illud acceptat uelut meritum de congruo, ex sua benignitate: ut in exemplo manifestatur. Verum pie tenendum est: ut etiam Sotus in 4. dist. 45. q. 2. art. 4. sequens hanc opinionem magis probabilem dicit, quod Deus, cuius misericordiæ non est numerus, semper acceptet Indulgentias, pro mortuis impensas, sicut & alia Suffragia, & preces, quas, ordinariè pro mortuis Ecclesia offert, cum sint eius amici, & nobis charitate coniuncti: ut quandoque suæ bonitati placuit, de hoc Ecclesiam certificare. Legitur enim in quadam littera authentica, quæ habetur in ingressu cappellæ S. Praxedis de Vrbe, quod Pascasius Papa dedit Indulgentiam plenariam per modum Suffragii, cuicunque animæ existenti in purgatorio, pro qua dicerentur quinque missę ibi. Accidit, ut ipse post mortem sui nepotis celebraret dictas missas pro illius anima, post celebrationem ultimæ missæ, dum adhuc esset in altari, apparuit sibi super altare 2. in testudine fenestræ, quæ est ante altari, Virgo Maria, uisibiliter, extrahens animam nepotis è purgatorio. Et multa alia similia à sanctis patribus in suis monimentis scripta inueniuntur. Quod est argumentum efficax ad credendū, q̄ Indulgentiæ pro defunctis ualeant, nō per modū absolutionis iurisdictionalis

Viguerius.

Sotus.

dictionalis, sed auxilii præstiti, confidendo de misericordia Dei: nam si, ut prima opinio dicit, esset: non opus erat tali uisione in confirmante, cum Ecclesia certa sit de eius auctoritate sibi data. Matth. 16. sed uoluit per illam uisionem Deus ostendere, quod ad pontificis preces pro anima impensas, eius misericordia se inclinasset. Ideo confidenter pro dictis defunctis indulgentias accipere debemus. ut Ecclesia prædicat, secundum illam secundam opinionem, quæ communiter currit.

Dubium an faciēs suffragium pro defuncto debeat esse sine mortali peccato.

Sed dum est, an accipiens Indulgentiam pro defunctis opus est, ut sit sine peccato mortali? Respondetur communiter, quòd sic, ut de aliis suffragiis suprà dicebamus. Verumtamen Sotus, quo suprà, distinguit, dicens: Si Indulgentia concederetur, pro faciendo aliqua elemosyna, & nil aliud, utique ualeret: nam sicut, si aliquis peccator sumeret Indulgentiam pro aliquo uiuo existenti in gratia, uideretur prodesse illi; quia tunc ipse nil aliud facit, nisi donare illam pecuniam amico, uel propinquo, qua indulgentia constat: ita etiam uideretur ualere defuncto: non in ratione meriti; quia illa solutio pecuniæ nullius est meriti, sed quia Indulgentia applicatur defuncto, quomodocunque soluatur pecunia. Si autem Indulgentia concederetur pro dicendis orationibus, & Ecclesiis uisitandis, uel simili, tunc indulgentia non prodesset defuncto; quia talia opera, sunt opera propria facientis; quæ si fiant in peccato mortali, nullius sunt roboris: hæc ille.

10 *Celebrās dicēs Nobis quoque peccatoribus quid significet et quod petat.*

¶ His expeditis, sequitur ultima pars Canonis, ubi postquam petitum est suffragium pro mortuis, ut suprà dictum est: petitur pro uiuis suffragium, & consortium sanctorum, dicendo: Nobis quoque peccatoribus sperantibus partem aliquam, & societatem cum sanctis tuis, &c. ubi sacerdos tundit pectus, & uocem aliquantum eleuat, silentium interrumpendo, per quod significatur, secundum Alexand. de Ales, confessio boni Latronis in cruce pendentis altius dicendo. Nos quidem digna, &c. & petentis consortium Beatorum, dum dicit, Memento mei Domine, dum ueneris in Regnum tuum. Petit ergo, ut habeamus partem in hæreditatem Domini. Et dicit, partem: non quod Deus, qui est nostra beatitudo, uideatur per partem: nā cum sit essentia singularissima, carens omni partibilitate, à quocunque uidetur totus, sed non totaliter, idest nō quantum uisibilis est, penetrando eius infinitam uirtutem, sed secundum capacitatem intellectus nostri eleuati ad talem uisionem ex lumine gloriæ, siue formali, siue obiectiuo, quo alius alio limpidius uidet, & intuetur Deum. cuius eleuationis mensura correspondet meritis nostris: & ideo dicit partem idest participatam beatitudinem. Petit etiam societatem: in hoc enim est summa iucunditas beatorum, scilicet, quod omnes simul Deum intuentur, plus uel minus, secundum propria merita, ut dictum est: (cum sanctis) de quibus exprimuntur aliqui, quos firmā fide tenemus, Deo frui in paradiso, unde dicit (cum sanctis Apostolis, martiribus, &c. Deinde subiungit (non æstimator meriti, sed ueniæ quæsumus largitor) Dubitatur in hoc quomodo dicit, quod petit beatitudinem non æstimando merita nostra, sed largitatem suæ bonitatis, & misericordiæ, cū per multas scripturæ auctoritates probetur, quod beatitudo erit merces operibus nostris, iuxta illud Matt. 20. uoca operarios, & redde illis mercedē suā. Et Paulus ait: Reposita est mihi corona iustitiæ, &c. quę autē redditur secundum iustitiam, merces condigna est. & multa alia super hoc dici possent. Quomodo ergo dicitur (non æstimator meriti) Pro quo notanda sunt plura. Primo, quod opera nostra dupliciter cōsiderari possunt, uno modo secundū se, & hoc uel naturaliter uirtute nostra, uel mortaliter arbitrio nostro. Alio modo considerari possunt non solum ut sunt à nostra uirtute naturali, & uoluntate: sed etiā prout sunt associata cū gratia Dei, dāte efficaciam, & ualorē talibus operibus

Deus non uidetur per partem, sed totus & non totaliter.

Dubium. Beatitudo an detur per gratiam an per merita.

31 *1. Nota. Opera nostra dupliciter cō siderantur esse meritoria.*

bus

bus,ut accepta sint ad multo plura,quam ipsa sint,idest meritoria vitę ęternę, quamuis enim quo ad substantiam actus principaliter sint à nobis; tamen quo ad efficaciam meriti,principaliter sunt à gratia Dei. Secundò,quòd opera nostra sint meritoria uitæ æternę duo requiruntur;unum est libera electio operantis,alterū est acceptatio præmianti s,ad talem retributionem.Tertiò est notandum,quòd meritum est duplex,scilicet congrui,& condigni.Meritum congrui est actus liberè elicitus,& acceptus,ad aliquod bonum retribuendum, non ex debito iustitiæ,sed ex liberalitate præmiantis illud bonum , ultra quod meretur:excedendo quam multo actum operantis .Dicitur autem meritum,inquantum occasione illius operis datur:aliàs non daretur. Dicitur de congruo,contraponitur condigno,quia præmium quod datur , excedit de longinquo actum operantis quod fit ex liberalitate dantis,& non ex pacto,uel debito . Meritum de condigno,est actus à uoluntate liberè procedens: acceptum ad retributionē præmij ex debito iustitiæ,quod consistit in quadam æqualitate præmij ad meritum;alià s non esset iustitia,& condignitas. Hæc autem condignitas considerari debet uel ex natura actus,vel ex gratia Dei,& acceptatione ad tantum pręmium,ex pacto,& conuentione præmiantis. 2. Nota. 3. Nota. Meritum congrui. Meritum de condigno.

Ex his eliciuntur aliquæ conclusiones,prima est . Actus naturali necessitate productus,non est meritorius aliquo modo. Ait enim Philos.3. Eticor. In naturalibus,neque laudamur,neque uituperamur. 1. Conclusio.

Secunda conclusio . Opus bonum morale, ex uoluntate elicitum, sine gratia nihil de condigno meretur : nam condignitas operis meritorii exigit aliquid ex parte operantis , aliquid ex parte operis, & aliquid ex partę præmiantis;ex parte operantis , exigit,ut sit amicus : obsequium enim inimici non est gratum inimico . Ex quo sequitur, quòd peccator nihil meretur de condigno apud Deum;quia est inimicus Hinc communiter dicatur in Schola Theologorum,quòd opera facta in peccato mortali , non sunt accepta, in ordine ad uitam æternam,neque post conuersionem: vnde versus : *Viuere non possunt,quæ mortua nata fuere* . Oportet ergò ut operans sit in gratia . Ex parte operis exigitur,ut opus illud sit factum ad honorem , uel utilitatem pręmiantis : nam si sola confidentia gratiæ sufficeret ad esse opus meritorium, sequeretur quòd omnia opera in differentia existentis in gratia essent meritoria ; de condigno, quod est falsum,immò implicat:esset enim simul indifferens , & meritorium. Requiritur ergo,ut opus illud sit ordinatum finaliter in Deum . Ex parte præmiantis exigitur,ut sit acceptum & ordinatum ad tale præmium. Hæc autem acceptatio non est aliud , quam Diuina uoluntas, qua Deus ab æterno uoluit, actum illum uoluntate elicitum gratia , & charitate formatum , esse dignum tali præmio. Itaque bonum temporale,ex sua natura consideratum, non est dignum uita æterna, sed sua condignitas est ex gratuita acceptatione Dei , sic se obligare uolentes taliter operanti. 2. Conclusio.

2 Tertia conclusio . Opus moraliter bonum sine gratia est meritorium alicuius boni temporalis,uel spiritualis de congruo,Patet primum,quia apud largissimum retributorem nullum bonum manet irremuneratum , ut manifestatur in Achab 3.Regum,in Nabuchodonosor,ut legitur Danielis 1. & multis alijs, patet etiam secundum quo ad remunerationem spiritualiter : nam communiter dicitur : Facienti quod in se est , Deus non denegat gratiam, ergò peccator , dum aliquod bonum facit , ad laudem Dei , per actum fidei , & Charitatis acquisitæ(qui actus, fateor, quòd non est sine auxilio speciali Dei,actum præuenientis) disponitur ad gratiam, quam Deus non daret, nisi actum illum faceret : unde dicitur (ut aliàs dixi explicatius) mereri illam , inquantum ex illius occasione datur . Sed dicitur, mereri illam non simpliciter tamen , quia

gratia, non esset gratia, sed de congruo; quia gratia excedit actum illum de longinquo, ut suprà dixi.

4. Conclusio. Quarta Conclusio. Considerando opera bona in gratia facta cooperante nostro libero arbitrio, & Spiritusancto mouente, & ad præmium æternum acceptante, ex diuina promissione; sunt meritoria præmii æterni de condigno, idest debito iustitiæ, patet per prædicta. Hinc Paulus: Reposita est mihi corona iustitiæ, &c.

5. Conclusio. Quinta Conclusio. Comparando opera nostra in gratia facta, quantum ad substantiam actus, idest ex natura actus in se & intrinseca bonitate, quam habent ex uoluntate elicita, ad præmium beatificum; non sunt meritoria de condigno; Quo enim modo actio temporalis possit esse meritum condignum uitæ æternæ? Patet per illud Pauli ad Romanos 8. Non sunt condignę passiones huius temporis ad futurum gloriam quæ reuelabitur in nobis, idest, si tempore, quo suppliciis homo corpus suum atterit, aspiciat ad futuram gloriam, & consideret quomodo per hæc tormenta corpus humilitatis suæ transformabitur, ut fiat conforme corporis gloriæ unigeniti filii Dei, tribulationem pręsentis uitę pro minimo reputabit, remunerationem uerò futuræ beatitudinis inęstimabiliter magnam iudicabit. Et Lucæ 17. Cum hæc omnia feceritis, dicite, serui inutiles sumus; quia quod facere tenebamur, fecimus. Probatur etiam ratione: ait enim D. Thom. suprà Paulum citatum; nam opera nostra sunt temporalia, beatitudo est ęterna, sine comparatione perfectior, ut dixi: Deus enim pręmiat ultra condignum: & sic intelligitur Glos. super illud ad Roman. 6. scilicet, Gratia Dei, uita ęterna. Itaque ad dubium dicitur, Opera nostra bona, quantum ad substantiam actus, circumscripta gratia, non attingunt ualorem præmii ęterni; ideo non merentur ex se illud de condigno; sed per respectum ad gratię dignitatem, & Spiritussancti motionem; quibus acceptantur ad uitam ęternam; quę cum sint dona Dei; ipsa beatitudo habetur, per eius gratiam, & ueniam. Et propterea, dicitur (non æstimator meriti, sed ueniæ quęsumus largitor) idest non petimus admitti ad consortium sanctorum ex debito nostrorum meritorum; sed secundum liberalissimam bonitatem, & largissimam benignitatem, & misericordiam tuam, qua pręmiat ultrà condignum.

Expedita prima principali parte Canonis; quæ concernit ipsam oblationem & oblatorum consecrationem, sequitur modo secunda pars principalis, quæ concernit ipsam cōionem, in qua multa essent dicenda, non est enim ibi uerbum sine mysterio, sed tangam breuiter, quæ mihi magis expedire uīr, & pręcisè pro Parochis: Et primo de præparatoriis ad ipsam cōionem, cum enim ad tanti mysterii participationem, ex nobis, tanquam ex nobis disponi non ualeamus, sed omnis nostra sufficientia ex Deo est, qui dat uelle, & perficere. ideo mediis orationibus ab eo dictam dispositionem obtinere curamus. Et ppea pręmittitur Oratio Dominicalis. Quæ, ut ait Vgo super Matt. c. 6. est ceteris orationibus excellentior pp tria. Primo propter dignitatem, est n dictata ab ipso Christo Domino, & magistro nostro, quem oramus, ac et inter nos, & patrem,

32 De excellentia orationis Dominicalis. mediatorem ponimus, & ideo est magis exaudabilis, eo quod per illum, quę nobis tantum conuenientia sunt, & Deo placita postulamus, secundo propter breuitatem: nam in paucis uerbis multa comprehenduntur, & petuntur, ut uidebimus, Cuius breuitatis multæ assignantur causæ. Prima est, ne incideremus in errorem Ethnicorum, putantium Deum flecti multiplici uerborum suasione, more humano; ac si absens sit, & uocętur; uerborumque ambagibus doceatur. Vnde dum Christus hanc orationem confecit, pędixit: Nolite multum loqui orantes, ut Ethnici faciunt. Secunda causa est, ut Christus fideli-

bus

bus præberet fiduciam impetrandi, quod breuibus uerbis postulandum demonstrauit. Tertia est, ut facilius possit memoriæ commendari. Quarta, ex hac sequitur, ut nemo possit clypeo ignorantiæ excusari, de non addiscendo illam: nam quod tam breue est, & tam facilè adisci potest; sine magna culpa ignorari non potest. Quinta est, ut cum maiori deuotione, & attentione repeteretur: quod enim facilè addiscitur, & retinetur, sine fastidio frequentatur. Tertiò, ista oratio est excellentior propter fœcunditatem; nam in breuibus uerbis multæ sententiæ comprehenduntur, & ponderantur; ita ut etiam prudentes, & ingeniosi mirentur de profunditate mysteriorum, multiplicitate sententiarum, in tanta uerborum paucitate comprehensarum. Vnde Cyprianus in libro de Oratione Dominica ait: Magna sunt orationis Dominicæ Sacramenta, quia multa, & magna sunt in breui sermone collecta: ita, ut nihil prætermissum sit, quod non in precibus, & orationibus nostræ cælestis doctrinæ compendio comprehendantur: in ea enim septem petitiones continentur, quæ à Domino licitè peti possunt, & desiderari: & extra hæc nihil licitè postulari potest. Verumtamen per hoc non intelligo, quòd aliis orationibus, aut aliis uerbis ab istis, quæ in oratione Dominica posita sunt, Deum precari non possimus: nam clarum est, quòd Christus, & Apostoli orando, aliis orationibus vsi sunt. Vnde Augustin. ad Probam ait: Liberum est aliis, atque aliis uerbis ab his, quæ in oratione Dominica posita sunt, dicere: Sed dico quòd non licet nobis petere alia à Dominō, quàm ea, quę in dicta oratione comprehenduntur; ut ipse Dominus docuit. Itaque aliis uerbis idem petere possumus, sed alias res minimè. Dicit ergo, præmissa exhortatione ad orandum, per illa uerba, scilicet præceptis salutaribus moniti, &c. Pater noster.

Septem petitiones continentur in oratione Dominica.

Hæc oratio diuiditur in tres partes, scilicet in exordium, per quod captatur beneuolentia, dum dicitur: Pater noster, &c. In tractatum, in quo continentur petitiones, quas Deo fundimus; dum dicitur: Sanctificetur nomen tuum, &c. Et in Conclusionem, dum dicitur, Amen. Quantum ad primum, mos est Oratoribus, ut dum aliquid impetrare cupiunt, non ex abrupto statim incipiant petere, quod desiderant obtinere, dicendo, da mihi hoc, &c. est enim hic modus petendi arrogans; sed potius per laudes, & facta heroica illius, prius captant audientis beneuolentiam, ut sibi fauorabilem, & docilem reddant, deinde exponunt suam necessitatem. Ita fit hic. Non quòd per huiusmodi artificium, & uerba beneuola, Deum flectere intendimus, & nostrę petitioni inclinare; cum sit immutabilis: sed, ut in nobis excitemus, per dicta uerba, certam fiduciam de eius beneuolentia, qua prius dilexit nos. Vnde sine eius mutatione, eum inclinamus ad dandum nobis, quæ ab ęterno, mediante oratione, donare proposuerat, sine qua oratione non esset daturus. IN isto exordio quattuor tanguntur. Primò tangitur dilectionis magnitudo: dum dicitur, Pater noster: est enim PATER hęc dictio, nomen amoris, & pietatis: quod enim natura docet in patre naturali, hoc idem fides in patre spirituali Deo, qui adoptauit nos per gratiam Iesu Christi. Hoc exordium differt ab exordio patrum Veteris Testamenti, in quo uocabant Deum (Dominum,) & non (Patrem,) quia tūc temporis erant in seruitute, & Domino in timore seruiebant, & non amore: ideo lex illa dicebatur lex timoris: nostra uerò dicitur lex amoris: & ideò vocamus Deum, Patrem. Sed notandum est hic, quòd hoc nomen, Pater, dupliciter sumitur in Sacra scriptura; scilicet notionaliter, & essentialiter. In Deo namque consideratur, & Trinitas personarum, quę ad inuicem sunt realiter distinctę, per diuinas relationes, & Essentia, quę ita est communis tribus, ut sit singularissima, & indiuidua omnibus tribus personis, vnde dicuntur, vnus Deus,

Oratorū mos.

Nota, nomen, Pater, dupliciter sumi, scilicet notionaliter, & essentialiter.

Tunc

Quando sumatur notionaliter. Tunc igitur hoc nomen (pater) sumitur notionaliter, quando dicit proprietatem personalem in Diuinis; idest respectum ad aliam personam: & hoc modo, pater sumitur pro prima persona in Deitate, quæ ita est prima, quòd non originatur ab alia; in sanctissima namque Trinitate, non intelligitur alia prioritas, quam originis. Hinc Athanasius, Pater à nullo est factus, nec creatus, nec genitus. *Quando sumatur essentialiter.* Et dicitur Pater, respectu Filij, quem substantialiter, & æternaliter generat: & hoc modo dicit perfectam rationem paternitatis. Essentialiter dicitur, & accipitur, quando dicit respectum ad creaturas, idest actionem, quæ cõmunis est tribus personis: nam opera Trinitatis ad extrà, sunt indiuisa: idest quidquid personæ Diuinæ operantur ad extra, illud operantur secundum operationem essentiæ. Itaque paternitas respectu creaturarum, attribuitur omnibus tribus personis, ut sunt essentialiter unus Deus. Et ita tota simul Trinitas, scilicet Pater, Filius, & Spiritussanctus dicitur Pater noster, sicut Dominus, & creator. Et hoc modo dicit rationem paternitatis per quandam similitudinem ex tempore: quod accidit pluribus modis. Primo prędestinatione; *Pater prædestinatione.* vt ait Paul. ad Ephesios primo. Gratia vobis, & pax à Deo patre, qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum. Secundo, creatione. *Pater creatione.* Malachiæ 11. Nunquid non pater tuus, qui possedit te, fecit, & creauit te. Tertiò, redemptione: *Pater redemptione.* Isaiæ 63. Tu autem Pater noster, & Redemptor noster, à seculo nomen tuum. Quartò, dicitur Pater, regeneratione, *Pater regeneratione.* vt est Petri 1. Benedictus Deus, & pater Domini nostri Iesu Christi, qui regenerauit nos, &c. Quinto, fidei instructione. *Primò fidei instructione.* Ioann. 1. Dedit ei potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius. Omnibus istis modis accipitur hoc nomen, pater, in quantum sumitur essentialiter.

NOSTER. Secundo tangitur suæ bonitatis liberalitas, cum dicitur, Noster; in quo demonstratur magna Dei liberalitatis amplitudo, qua dignatus est esse, non solum patrem Angelorum, uel hominum præcipuorum, & signatorum, sed etiam omnium mortalium uniuersaliter; quos paterno affectu respicit: & ideò nemo nostrum dicere potest, pater meus, simpliciter; nisi Christus, qui est filius per naturam, Vnde dicit: Ascendo ad patrem meum, & patrem vestrum; nos autem dicimus, pater noster; quia omnes sumus filij adoptiui. Dicimus, noster, ad denotandum vinculum charitatis, & amoris, quem ad inuicem habere debemus: nam qua ratione excitamus nosmetipsos ad Dei amorem, dicendo (pater) eadem ratione excitamur ad dilectionem fraternam, dicendo (noster.)

QVI ES. Tertio tangitur immutabilitas Dei perpetua, cum dicitur (Qui es) nam hęc oratio, Qui es, soli Deo competit; significat enim immutabilem substantiam, quæ non mensuratur tempore, & ideo dixit Moysi: Qui est, misit me, &c. Et Christus, loquens de sua Diuinitate dicebat: Antequam Abraham fieret, ego sum.

IN CÆLIS. Quarto tangitur illius sublimitas potentiæ, cum dicitur, In cælis; Sunt autem cæli, & corporales, & spirituales, & utroq; modo manifestatur eius sublimitas Maiestatis, scilicet circa cælos corporeos, eos mouendo, & per se, & per uirtutes Angelicas, ad totius mundi salutem, & vitam. Circa cælos spirituales, idest suos electos, quibus faciem suam ostendendo beatitudinem communicat.

Cur dicatur Deum esse in cælo, cum sit ubique. Sed quare dicit, In cęlo, cum sit ubique? Pro quo est aduertendum, quòd aliquid esse in loco, pluribus modis intelligi potest. Primò circũscriptiuè, ut corpora, quæ loco circumscribuntur, idest ita à loco continentur, & commensurantur, ut totum dicatur esse in toto, æqualiter, & partes in partibus loci, commensuratiuè, & situaliter. Secundò aliquid dicitur esse in loco, diffinitiuè, ut

Angelus,

Angelus,qui cum sit spiritus indiuisibilis,non habet partes extra partes,ut habet corpus, ita ut possit loco circumscribi, sed dicitur esse in loco per definitionem,nam cum sit finitæ,& terminatæ uirtutis,& substantiæ,non potest esse simul in pluribus locis ; sed definitur in uno loco , idest ita dicitur esse hic , præsens,ut non possit esse alibi,dum est hic.Sed Deus,cum sit substantia incorporea,& simplicissima,non circumscribitur loco , sicut corpus , & cum sit immensa, & infinita,nec definitur loco , ut Angelus:sed sua immensitate totum mundum implet. Vnde dicitur esse ubique,& totus in toto mundo,& totus in qualibet parte mundi: non enim præsens est alicui parti mundi,per unam partem ipsius,& alteri parti mundi,per aliam partem ipsius , Itaque totus in cælo,& totus in terra,& nullo contentus loco,sed in se ipso ubique totus est. Et quamuis non dicatur esse extra mundum,sed in mundo,non tamen continetur à mundo sed potius continet ipsum.Hinc Hieremiæ 23.Cælum,& terram ego impleo . Et Ezechi.17. Deus manet inter omnia, ipse super omnia: superior per potentiam inferior , per subsistentiam , exterior per magnitudinem,interior per subtilitatem : Per essentiam intimè penetrando, per præsentiam, tam cognitionis,quam instantiæ localis. Per potentiam,quia omnia, suæ potentiæ sunt subiecta,ita ut arboris folia non moueantur , sine eius concursu,& imperio. Sed quomodo hęc intelligatur?ait Chrysostomus sup Epistolā ad Hebręos sicut multa de Deo intelligimus,quæ loqui non ualemus,ita multa de Deo loquimur,quæ intelligere non sumus idonei. Veruntamen,omnibus sic stātibus, scriptura frequenter dicit,Deum esse in cælo;propter mirabiliora,& sublimiora opera Dei,quæ ibi relucent:in cælo enim magis manifestatur eius diuina potentia,sapientia,& bonitas,circa rotationes sphærarum.

Nota de esse in loco.

Præterea,dicitur esse in cælo Empyreo,qui est locus Beatorum,quia ibi maximè relucet eius gloria:ibi enim facie ad faciem Angeli, & animæ sanctorum eum contemplantur. Et quare potius ibi,quam alibi?propter nobilitatem loci; est enim pars nobilissima totius,mūdi,motus,& alterationis expers. Et notanter etiam dixit , qui es in cælis,& non, qui es ubique,ut nos excitaret affectu quodam ad ibi aspirandum:ubi sunt Sancti in gloria,& consortium angelorū; & consequenter,ut spe firma ad cælestia eleuemur,ad cælestia aspiremus ipsaque semper petamus.

Captata beneuolentia , & facto auditore docili, per exordium,ut uidistis ; exordium,dico laudis,& honorificentiæ prædictorūm uerborum ; ad hoc , ut Deus , quem oramus , petitionibus nostris propitius inclinetur, intelligendo pro modo, ut suprà. Sequitur modo tractatus;qui est secunda pars orationis, in qua explicantur nostræ necessitates ; quæ continentur in septem petitionibus,quodam ordine mirabili. Pro quo est notandum ; quod ordo , in omnibus actionibus,tam factiuis,quam discursiuis, est duplex, scilicet Resolutiuus , & Compositius:homo namque quidquid desiderat , aut habet rationem finis ultimati , quem intendit, aut habet rationem mediorum,pro assecutione talis finis. Dum autē sumus in desiderio, utimur ordine resolutiuo, idest prius finem ipsum,qui, cum sine medijs haberi non possit, consequenter postea, per uiam resolutionis , deuenimus ad desiderandum media, pro consecutione finis : itaque in tali ordine media ultimò intendimus . In ordine uerò compositiuo , opposito modo procedimus:prius, enim operando componimus media,deinde per media deuenimus ad executionem finis : quo adempto cessat desiderium , & operatio . Finis noster in his petitionibus est Deus benedictus , & bonum æternū ; media autem consequendi bonum æternum , sunt bona temporalia, & quia ordo petitionum nostrarum, debet sequi ordinem desiderij,& non operationis,ideò prius petimus bonum æternum,deinde temporale.

Secunda pars orationis.

Nota quod duplex sit ordo.

Pro

Nota de petitionum sufficientia.

Pro quarum petitionum sufficientia est notandum, quod affectus noster in Deum dupliciter tendere potest, & debet. primo propter seipsum, ut est summum bonum in se, & per se amabile; & hoc facimus, dum per actum charitatis diligimus eum in se, & propter se. Secundo, ut est bonum nostrum, & hoc facimus, dum aspiramus in eum ut fruendum, per actum spei. Per primum actum dicimus. Sanctificetur nomen tuum, & in hac petitione quærimus gloriam Dei pro se. Per secundum dicimus. Adueniat Regnum tuum, & in hac petitione quærimus, non peruenire ad gloriam suam, quæ consistit in eius clara uisione, & amoris coniunctione. Itaque istæ duæ petitiones intendunt finem ultimum, qui est beatitudo, uel obiectiua, ut est ipse Deus, uel formalis, ut est adeptio Dei, per actum intellectus, & uoluntatis. Post hæc petuntur ea, quæ ordinantur ad talem finem, & hæc sunt duplicia, scilicet per se, & per accidens. Per se sunt duo; quæ ordinant nos ad talem finem, unum directè, & quantum ad hoc dicimus: Fiat uoluntas tua sicut in cælo, & in terra. Alterum instrumentaliter, inquantum adiuuat nos ad merendum, & secundum hoc, dicimus. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Quæ per accidens ordinantur ad talem finem, scilicet remouendo prohibentia finis assecutionem, sunt peccata, & hæc sunt triplicia, scilicet præterita, præsentia, & futura.

Duplex beatitudo.

Ad remouenda peccata præterita, quæ impediunt ingressum Regni cęlorũ, petimus dũ dicimus: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris Ad remouenda peccata pręsentia, quæ per tentationem nos retrahunt ab obseruantia mandorum legis Diuinæ, petimus, dum dicimus: Et ne nos inducas in tentationem. Ad remouenda futura, in quæ incidere possumus, per malas inclinationes. quæ sunt pęnalitates, uel habitus relicti, ut caueantur petimus dum dicimus. Sed libera nos à malo.

Petitiones istæ breuiter per ordinem discurrendo, recitarę, tam magnam requirunt discussionem, quam magnus est ille, qui composuit eas. Verum breuitati studendo, breuissimam super his considerationem faciemus. dicit ergo primo.

Aliquid sanctificari quo modo intelligitur.

SANCTIFICETVR nomen tuum. Vbi nota, quod dupliciter contingit aliquid sanctificari. Vno modo per sanctitatis ademptionem, Alio modo, per sanctitatis manifestationem. Primo modo santificantur creaturæ rationales, in hac uita, dum sumus in uia, per gratiæ receptionem, & in alia uita dum sumus in patria, per gloriæ adeptionem. Secundo modo sanctificatur creator uniuersæ creaturæ, unde dicitur, sanctificetur nomen tuum, idest manifesta sit sanctitas tua toti mundo, ut scilicet totus mundus noscat, te esse solum uerum Deum, ut te solum laudet, ut decet sanctitatem tuam. Vnde CHRISTVS ait, Pater, manifestaui nomen tuum hominibus. nam antea solis Iudæis notum erat, iuxta illud Psalmistæ Notus in Iudæa Deus. Sed per CHRISTVM, & per eius Euangelium, notificatum est, & gentibus, ut à solis ortu usque ad occasum omnes laudent nomen Domini.

Quæritur hic, quæ est ista sanctitas Dei, quę petitur manifestari? Dicitur quod est Dei infinita omnipotentia, perfectio, inflexibilis firmitas, & mundissima puritas. est infinita sapientia, prouidentia, & ęquissima iustitia. est immensa bonitas, liberalitas, & sine numero misericordia. Secundum hoc igitur, petimus, ut nomen Dei sanctificetur, idest, ut cognoscatur, secundum omnes perfectiones repetibiles: nã quidquid perfectionis est in creaturis, eminenter fuit in Deo, quidquid dignitatis, excellentiæ, & honoris inueniri potest, Deo eminenter attribuendum est. Et hoc est quærere gloriam Dei, ut di-

cebamus

ceuamus. Petimus etiam, ut sanctificetur nomen Dei, in nobis, quando voluntatem nostram suę voluntati conformamus. Quod accidit tripliciter, secundum triplicem statum, scilicet incipientium, proficientium, & perfectorum. Incipientibus sanctificatur per sanctitatis aduentum. Proficientibus, per sanctitatis augmentum. Perfectis, per sanctitatis complementum. De primo dicitur 1. Pauli ad Thessalon. 4. Hæc est uoluntas Dei sanctificatio uestra per gratiam præuenientem, & iustificantem. De secundo dicitur Apocal. 22. Qui sanctus est, sanctificetur adhuc, per gratiæ subsequentis, seu concomitantis augmentum. De tertio dicitur, per Ambrosium. Tunc nomen Dei perfectè sanctificamus, cum bonam uitam bonis operibus terminamus. Itaque dicendo, Sanctificetur nomen tuum in nobis, petimus, ut expeditis terrenis actibus, & infirmis affectibus, terminemus unam cum mandatorum suorum obseruantia, ipsi inhærendo, benedicamus, & glorificemus eum.

Si quęris, cum multa sint nomina, quibus Deum nominamus, cum ergò dicimus, Sanctificetur nomen tuum: quod nomen sanctificari petimus? Dicitur, quidquid nobis notificat aliquo modo Deum, & eius perfectiones, potest dici nomen Dei, & hic intelligi, tunc enim nomen Dei sanctificamus, ut dictum est suprà, cum eius perfectiones manifestamus, ut à mundo cognoscantur; sed specialiter hic intelligere debemus, Patrem, vt essentialiter sumitur: sic enim in hac oratione nominari uoluit. Vnde Albertus de officio missę, ait: Nomen, quod hic sanctificari petimus, est, ut talis, & tantus pater generet in nobis, ut filij eius nominemur, & simus, & consequenter Dij participatiuè; sicut enim pater homo hominem generat, ita pater Deus, Deos, per participationem deitatis, generat, iuxta illud: Ego dixi, Dij estis. Sanctificetur igitur nomen tuum, ut sanctificatio tua, nostra sit perfectio; tales enim oramus te, pater, ut filij tui uocari mereatur.

ADVENIAT Regnum tuum. Hæc est secunda petitio: in qua petimus summum bonum nostrum, scilicet Beatitudinem; quę consistit in clara Dei uisione, conuenit enim filio adoptiuo, seu arrogato; ut postquam petierit, quæ ad patris spectant honorem, ut in prima petitione uidistis; petat eius hæreditatem, tanquam bonus filius. Nostra aũt hęreditas est, nos beatitudo in Regno Dei; ad quod aspirantes, dicimus: Adueniat Regnum tuum. Pro quo nota: quòd Regnum in Sacra Scriptura multipliciter sumi potest; sed hic præcipuè intelligitur de Regno Glorię Paradisi; quæ est Beatitudo, ut Matt 26. ait Christus: Dico autem uobis, non bibam amodò de hoc genimine uitis, usque in diem illum, cum illud bibam uobiscum nouum in Regno patris mei, idest in beatitudine cælesti.

Nota hoc nomen Regnum quõ sumatur.

Et tunc textus sic exponitur. Adueniat Regnum tuum; idest in nos ueniat ęterna beatitudo, quæ est clara uisio tua, & amor. Petimus ergò, ut post transitum huius uitę, ueniat in nos hęc Beatitudo, quę formaliter consistit in actibus interioribus nobilissimarum potentiarum animæ, scilicet intellectus, & uoluntatis, per intellectionem, & amorem, ut dixi, quibus concomitatur gaudium, & exultatio inenarrabilis. Ex qua beatitudine, per redundantiam, resultabit in die generalis resurrectionis, quando anima reunietur suo corpori, etiã beatitudo corporalis, quę consistit in quattuor dotibus corporis, scilicet agilitate, subtilitate, claritate, & impassibilitate: iuxta illud Pauli, 1 ad Corinth. 15. Seminatur corpus in ignobilitate, resurget in gloria; seminatur in infirmitate, resurget in uirtute; seminatur corpus animale, resurget spirituale. Et rationabiliter: Decet enim, ut sponsa, s. anima nostra, dignè, decenterque, idest cum dotibus utriusque coniuncti in conspectu sponsi sui compareat: & quamuis anima

circa

circa visionem Dei, his corporalibus dotibus non indigeat: eo quòd talis operatio in intellectu tantum sit, conueniens tamen est, cum sit actus corporis, & in corpore fiet: ut appareat coram sponso, ornamentis utriusque dotata. Praterea cum sit tanta pulchritudo, & dignitas animæ, ex aspectu uisionis Diuinæ, ut ex ea aliquid redundet in corpus, quod informat; ut corpus purgatum sentiat etiam beatitudinem suam. Et per hæc satiabatur omnis appetitus humanus, iuxta illud Psal. Satiabor, dum apparuerit gloria tua: dum possidebimus obiectum beatificum, idest Essentiam Diuinam, omnibus modis, possibilibus possideri, iuxta illud Ioan. Ad quodcunque te uerteris, pascua inuenies. Hæc Beatitudo est uerum Dei Regnum: quia facit nos omnes beatos cum Deo regnare, in æternum.

Hæc autem tunc erunt, quando Christus cum virtute, & potestate magna apparebit: tunc enim ad suum imperium, cælum, & terra mouebuntur: & mortui resurgent, ac omnes cognoscent uniuersale Regnum Dei, ac eius omnipotentiam, in punitione malorum, & præmiatione bonorum. Itaque tunc dicetur, Regnum Dei aduenit, quando euacuata omni potestate Diaboli eius Regnum de medio tolletur, & iniqui, & scelerati homines cum principe suo mittentur in tenebras exteriores; ut Matthæi 6. dicitur. Regnum Dei tunc aduenire, nemo ignorare potest: cum filius hominis uenerit singulos iudicare. Quam ergo insipienter orant obstinati peccatores, dicendo, Adueniat Regnum tuum: & quid aliud dicunt, nisi ueni iudicare, & condemnare nos de nostra mala uita? Quomodo peccatores confidenter desiderare possunt aduentum Regni Iesu Christi uniuersalis Iudicis, cum in illa die uix iustus sit securus? Eo quòd nescimus an odio, uel amore digni sumus; ideo orando, cum timore, & humilitate, associata spe de sua misericordia, dicamus. Adueniat Regnum tuum. Hinc Hieronymus: ait: Grandis fiduciæ est, & puræ conscientiæ, postulare Regnum Dei; idest Iudicium Dei, & non timere. Noscat ergo homo, quid orando petit, ut sciat, qua dispositione, & cordis puritate orare debet, ut sua oratione imperrare possit, & audire à Domino in die aduentus eius, Venite benedicti Patris mei, possidete paratum uobis Regnum à constitutione mundi.

FIAT Voluntas. Postquam petitum est bonum æternum, idest beatitudo, quę est ultimus finis noster. Sequitur modo petere media, sine quibus ad talem finem peruenire non possumus. Et primò in hac tertia petitione postulamus à Deo patre donum spiritualis gratię, qua præparamus nostram uoluntatem in hac uita, conformem fieri uoluntati Dei, & ad merendam gloriam paradisi, ad quam aspiramus, ideo dicimus. Fiat uoluntas tua. Sed antequam hęc exponantur, & intelligantur, quę dicimus, opus est explanare hanc dictionem (Voluntas) quomodo sumatur hic, eo quòd in sacra scriptura diuersimodè accipitur. Et primò sciendum est, quòd sicut in nobis est Intellectus, & Voluntas, ita & in Deo; sumus enim facti ad imaginem, & similitudinem suam. Sed differentia est inter imaginem repræsentantem, & imaginatum repręsentatum. scilicet, quòd in nobis intellectus, & uoluntas sunt animę potentię, unde accidentia eius sunt, & de sui quidditate, & essentia, sed in Deo identificantur cum essentia, idest idem est Deus essentialiter, quod sua uoluntas, & idem est voluntas Dei, quod ipse Deus; si enim voluntas, & intellectus Dei essent potentiæ, ut in nobis dicerent imperfectionem in Deo, Vnde Magister Sentent. in primò, dist. 45. ait: Non est ei aliud uelle, & aliud esse: sed omninò idem: & sicut idem est ei esse bonum, quod esse Dei, sita idem est ei esse volentem, quod esse Deum. Secundò est sciendum; q dū dicitur simpliciter, & absolutè, Deus vult; vel Deus est uolens; prędicatur Essentia Diuina; & Deum esse enunciatur.

tur. Cum autem additur(aliquid)dicendo, Deus vult aliqua, vel omnia, tunc essentia Diuina prædicatur non simpliciter, & absolutè: sed ita, ut per hæc ostendatur, omnia ipsi esse subiecta. Vnde sensus est. Deus vult omnia; idest voluntati Diuinæ, quæ est ipse Deus subiecta sunt omnia. Tertiò est sciendum cum Deus sit summa bonitas, non solum vult se esse: sed etiam alia à se: Verum seipsum uult, ut finem, sed alia à se, uult ut sint in ordine ad finem, idest vt sint propter ipsum Deum, idest ut participent eius bonitatem. Quartò, Deus uult se, & suam bonitatem simpliciter, & absolutè, ex necessitate; sicut uoluntas nostra necessariò uult Beatitudinem: sed alia à se Deus in tantum uult, in quantum ordinantur ad suam bonitatem, ut ad finem, ex quo sequitur quòd illa non uult ex necessitate, quia siue illis suam bonitatem, & beatitudinem habet. Itaque non est magis beatus, & perfectus Deus cum creaturis, quam sine illis. Quintò, cum Deus agat omnia alia à se, uoluntate, & non necessitate, sequitur, quòd ipse per suam uoluntatem, sit causa omnium rerum; nec mouetur ab extrinseco ad uolendum alia à se, cum ipse sit finis, & causa omnium: unde dici potest. Deus uult hoc popter hoc, & non propter hoc uult hoc; quod est dicere, Deus uult sua libera uoluntate hoc ordinare ad talem finem, non tamen mouetur ad uolendum hoc à tali fine, idest ab extrinseco, tanquam ab agente mouente. Sextò, est sciendum, quòd uoluntas Dei semper adimpletur, & quidquid fit, uoluntate Dei fit. primum ostenditur sic. Deus est causa uniuersaliter omnium rerum, sub causa uniuersali sunt plures ordines causarum secundarum. Vnde si aliqua causa secunda unius ordinis deficit à suo effectus per impedimentum alterius causæ secundæ alterius ordinis, non per hoc effectus deficit ab ordine causæ primæ, & uniuersalis, concurrentis cum causa illa impediente talem effectum particularem. Itaque quod videtur impediri ex uoluntate Dei, secundum unum ordinem causarum secundarum, impletur per alium ordinem causarum: & ita uoluntas Dei uniuersalis semper adimplere. Secundum, scilicet (quidquid fit, uoluntate Dei fit) ostenditur sic. Pro quo est ualdè notandum, quòd uoluntas Dei, secundum Theologus multicipliciter dicitur, primũ est duplex, scilicet una dicitur uoluntas beneplaciti, altera dicitur uoluntas signi. Et uoluntas beneplaciti adhuc est duplex, scilicet una dicitur uoluntas antecedens, altera uocatur uoluntas consequens. Volũtas quoq; signi est quinquies, prout quinque signa suæ uoluntatis Deus ostendit. Non quò tot uoluntates formaliter sint in Deo: uoluntas enim Dei una est, propriè, & uerè, sicut & ipse unus est: quæ uolũtas est in ipso, & est suamet Essentia, ut dictum est: sed scriptura consueuit uarijs modis de Dei uoluntate loqui; secundum uarios effectus, quos sua Maiestas uult itaq; non est uoluntas Dei diuersa, sed est locutio diuersa; idest diuersimo dè eadem uoluntas nominatur, propter diuersa; quæ Deus eadem uoluntate uult. Dicitur ergo uoluntas beneplaciti ipsa Diuina Essentia; quando in aliquo complacet, ut sit, uel fiat. Vnde Apostto. ad Rom. 12. Vt probetis, quæ sit uoluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta Hæc autem uoluntas, quæ Deus est, ut dixi, quandoque dicitur antecedens, & quandoque consequens; non ex parte ipsius Dei, in quo nihil est prius, neque posterius; sed ex parte uolitorum. Itaque eadem uoluntas Diuina, nunc dicitur antecedens, nunc autem consequens respectu alterius, & alterius. Dicitur antecedens, quando Deus uolens aliquid fieri, uel esse, dat omnia antecedentia requisita agenti particulari, ut agat, paratus cogere cum eo, si effectum à Deo uolitum agere uelit? Et hæc uoluntas non semper adimpletur, quantum ad illum ordinem causæ particularis: quia illud particulare agens, uel agere non uult, uel impeditur ab alio agente particulari. Adimpletur tamen, quantum ad alium ordinem causarum

33 Voluntas Dei semper adimpletur.

Nota de multiplici voluntate Dei.

Voluntas beneplaciti.

Voluntas antecedens.

Voluntas consequens. particularium, ut dixi, & dicetur. Dicitur verò consequens, quâ Deus uult efficaciter aliquid fieri, uel esse, & hæc voluntas semper adimpletur. Exemplum primi. Deus voluntate antecedenti vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, mediante tamen libero arbitrio, & gratia cooperante, omnibus illam offerens: & ideo dat præceptum, vel consilium, ut homo suo libero arbitrio mereatur suam salutem, promittens cooperari ad operationem meritoriam.

Hęc autem omnia, quæ ad merendum salutem requiruntur, dat antecedenter; idest antequam effectus fiat: qui si non fit, oritur ex causa propinqua, idest libero arbitrio hominis, qui non vult operari secundum voluntatem, idest legem Dei: nec meritum si voluntas Dei hoc casu non adimpletur: quia ad actum meritorium concurrit mediatè, idest concurrit cum libero hominis arbitrio, & antecedenter idest ante actum positum in esse. Et ad hunc sensum dicitur: *Deus vult omnes homines saluos fieri, quomodo intelligatur.* Deus vult omnes homines saluos fieri: idest quantum est de se, dat omnia requisita necessariò ad hominis salutem, ut saluari possit: nec per hoc dici potest, quòd non adimpletur, quantum ad alium ordinem, scilicet quòd neminem saluare vult inuitum, sed cum agente libero liberè concurrit, idest agens, quod fecit liberum, liberè agat. Exemplum secundi. Deus secundum leges Diuinas, statuit dare Paradisum obseruanti præcepta, & merenti illum, & non obseruanti, sed demerenti, dare Infernum: hoc autem vult consequenter, & efficaciter: & hoc modo sua voluntas semper adimpletur; scilicet quantum ad eundem ordinem causarum secundarum: quia simpliciter semper adimpletur, vt dixi: nam cum ab æterno ordinauerit, secundum suas leges, ut qui meretur, præcepta obseruando, habeat Paradisum; & qui demeretur, habeat Infernum: ad hoc sua voluntas immediatè fertur, ita ut non dependeat ab alia causa, & consequenter effectus ille non impeditur ab alia causa: vnde dicitur, efficaciter vult illud, quando facit, ut eius voluntas non impediatur: nulla enim causa creata potest eius voluntatem impedire; quando ipse non vult, Iuxta illud Psalmi, Omnia quęcunque voluit, fecit, in cælo, & in terra. Vnde dici potest; Illud, quod vult antecedenter, vult secundum quid; idest secundum naturam causarum secundarum; quæ aliquando deficiunt; & ideo non semper talis voluntas adimpletur. Quod autem vult consequenter, vult simpliciter; *Differentia inter voluntatem Dei & nostram.* idest secundum leges Diuinas, & æternas, circa quas sua voluntas uariari non potest, & ideo semper adimpletur. Hæc est enim differentia inter voluntatem nostram, & voluntatem Dei: voluntas nostra procedit cum discursu, in quo fieri potest deceptio, per repręsentationem alicuius mali, sub specie boni, vel falsi, sub specie veri: quo cognito, voluntas mutat electionem; ut postea velit oppositum, vel quandoque mutat electionem: quia quod prius expediens erat, postea inconueniens apparet; propter aliam causam concurrentem qua mutat propositum. Sed in Deo nullum illorum esset potest: non enim elegit aliquid faciendum, mediante consultatione, cum omnia nuda, & aperta sint oculis eius: unde non potest decipi in electione, & consequenter mutare propositum; Neque mutari potest à causa extrinseca; propter quam, quod prius placuerat, postea non placeat, ac si non esset bonum: nam eo res est bona, quo Deo placet, & non è contra. ideo de se dicit: Ego Deus, & non mutor. Itaque quod ab æterno liberè placuit faciendum, & eo modo, quo placuit, immobiliter, & æternaliter vult. Et si quandoque in Sacra Scriptura dicitur, Deum *Deum mutare sententiam quomodo intelligatur.* mutare sententiam, hoc intelligitur Metaphoricè, inquantum vult ab æterno mutationem in effectibus, scilicet nunc hoc, nunc oppositum, prout ab æterno præuidit: quod non arguit mutabilitatem in sua voluntate, quia ab æterno sic immutabiliter disposuit fieri. Vnde in confirmationem omnium prædictorum,

rum. August. in lib. de libero arbitrio, sic ait. Voluntas quippe Dei semper efficax est, ut fiat, quod uelit, & nihil fiat, quod nolit: ita & de homine semper Deus implet uoluntatem suam, quia nihil facit homo, de quo Deus non operetur, quod uult; non enim uult, ut peccet quilibet homo: si autem peccauerit, pœnitenti uult parcere, ut uiuat: in peccatis uerò perseuerantem punire; vt iustitiæ potentiam contumax non euadat: sicut ab æterno alios præparauit ad pœnam; ita ab æterno alios preparauit ad gloriam.

Voluntas signi. Voluntas signi in Deo ponitur Mataphoricè, idest pro effectu uoluntatis: quo effectus significatur, seu demonstratur nobis, quid uelit Deus; sicut enim Deo quandoque metaphoricè attribuuntur aliquæ passiones, per quosdam effectus, quos operatur in nobis, puta punitio, & uindicta est signum Iræ in nobis: dum ergo Deus aliquem punit; dicimus, Deum esse iratum: non quò Deus propriè irascuntur; quia Deus tales passiones non habet, nec habere potest: sed talis contra non ostenditur; nostra delicta puniendo, ac si iratus esset. Ita possumus intelligere de uoluntate signi: dum enim per aliqua signa ostendimus; quid nobis faciendum, uel non faciendum, placet, dicimus hanc esse nostram uoluntatem: pari modo dicimus de Deo, dum aliquid faciendum, uel non faciendum: aliquo signo nobis ostendit; dicimus hanc esse uoluntatem Dei: itaque dicitur uoluntas signi; quia per signa nobis innotescit. Et cum plura sint signa ostendentia uoluntatem Dei: dicimus, plures uoluntates esse in Deo: iuxta illud Psal. Exquisita in omnes uoluntates eius: non quòd sint plures formaliter, sed una; quæ est ipse Deus, ut suprà dictum est: sed dicuntur plures, propter plures effectus, & diuersos, quos uult, qui significant diuersimodè uoluntatem Dei: sicut per multos effectus misericordiæ, & iustitiæ; quandoque dicuntur multæ misericordię in Deo, iuxta illud: Misericordias Domini in æternum cantabo; & plures iustitiæ, iuxta alium Psal. Iustitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: cum sit una misericordia, & una iustitia, quæ sunt ipse Deus. Hęc autem signa uoluntatis Diuinæ ponuntur esse quinque à Magistro sentent. loco suprà citato, scilicet Pręceptum: Prohibitio, Consilium, Permissio & operatio.

Quomodo dicatur Deum irasci.

Precepta. Pręceptum dicitur signum uoluntatis Diuinæ, inquantum per ipsum nobis datum, innotescit, quid Deus uult, ut faciamus, Matth. 12. Qui facit uoluntatem patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, soror, & mater est.

Prohibitio. Prohibitio dicitur signum uoluntatis Diuinæ, quia per illam nobis innotescit: quid sit fugiendum. Paulus 1. ad Thessal. 4. Hæc est uoluntas Dei, sanctificatio vestra, ut abstineatis à fornicatione, &c. Et hæc duo necessaria inductione innotescunt, sub pœna peccati mortalis.

Consilium. Concilium, quoque dicitur signum uoluntatis Diuinę: inquantum per ipsum datur nobis intelligi; quid sit amplectendum: Vnde Dominus ait; Si vis perfectus esse, uade, & uende omnia quę habes, & da pauperibus. Et hoc suasoria, & non necessaria inductione innotescit.

Promissio. Permissio dicitur quandoque uoluntas Dei, indirectè tamen, inquantum non impedit operationem, sed concurrit cum suo uniuersali influxu ad operationem secundarum causarum, cum posset impedire malum, remouendo prohibens bonum: & quandoque ex illo malo permisso, eligit bonum, iuxta illud Ego Dominus creans malum, & faciens bonum.

Operatio Operatio dicitur uoluntas Dei: dum aliquid Deus operatur per se. Vnde Augusti. in Enchiri. 97. Non fit aliquid nisi omnipotens fieri uelit, vel sinendo, ut fiat, uel ipse faciendo. Dum dicit (sinendo) ecce permissio. Dum dicit (faciendo) ecce operatio.

Hæc autem uoluntas signi etiam non semper adimpletur, quantum ad tria, scilicet

ſcilicet præceptum, prohibitionem, & conſilium: nam, etſi Deus præcipiat omnibus ſeruare legem: prohibeat mala fieri, & ſuadeat opera perfectionis, ut ſaluemur: tamen non cogit nos; ſed relinquit nos in manu conſilij, & arbitrij noſtri, ut per liberum arbitrium noſtrum, hæc facientes, mereamur gloriam paradiſi. Conſtat autem, non omnes ad talem gloriam peruenire: quia non omnes obediunt uoluntati Dei. Nec mirum, ſi hæc uoluntas non adimpletur: hoc enim accidit, non quòd Deus non ſit potens adimplere; ſed quia non uult ſaluare nos ſine nobis concurrentibus. Itaque ſi non ſaluamur, culpa noſtra eſt, qui Dei uoluntatem facere uolumus: quod eſt dicere, nolumus eius mandatis obedire; qui dicit: Si uis ad uitam ingredi, ſerua mandata. Permiſſio verò, & operatio ſemper adimplentur; quia in eis non eſt reſiſtentia: quis enim ſuæ operationi reſiſtere poteſt? Cum non habeat cauſam extrinſecam ſuperiorem, neque æqualem, quæ poſſit eius operationem impedire: Permiſſio etiam non impeditur: quia Deus ibi concurrit, ut cauſa per accidens; & effectus ſequitur cauſam per ſe: quæ intendit malum. Itaque operatio, eo ipſo, quòd eſt operatio, impletur: & permiſſio, eo ipſo, quòd eſt permiſſio, impletur, & fit, quod permittitur. Et cum omnibus prædictis ſtat hæc ueritas, ſcilicet, quod nihil fit contra Dei uoluntatem, aut præceptiuam, aut permiſſiuam: nam, etſi mala fiant contra eius præceptum, & prohibitionem, non tamen fiunt contra eius permiſſionem: ideſt ſi fiunt contra eius uoluntatem, ſecundum unum ordinem cauſarum: fiunt tamen eius uoluntati conformia; ſecundum alium ordinem cauſarum; cum quibus concurrit, ut dictum eſt ſuprà.

His præmiſſis, uenio ad expoſitionem litteræ. Et primo quantum ad uoluntatem beneplaciti, dico, quòd per hæc uerba (fiat uoluntas tua) non petimus, ut Deus faciat, quod uelit? Quis enim ei obſiſtere poteſt, ut non faciat, quod efficaciter uult? ſed petimus, ut nos facere poſſimus, quod Deus à nobis uult, ſcilicet confirmando noſtram uoluntatem cum eius uoluntate: quod cum ſine eius auxilio adimplere non poſſimus; ideo petimus: Fiat uoluntas tua: Diabolus enim obſiſtit nobis, ne adimpleamus eius uoluntatem: ideo orando petimus, ut in nobis fiat uoluntas Dei: ideſt poſtquam petimus Regnum Dei, & gloriam eius, petimus nunc auxilium, & gratiam eius, ut poſſimus ad dictum Regnum peruenire: quod fieri nequit, niſi in nobis Dei uoluntas fiat: ideſt conformemur Dei uoluntati, quæ eſt regula omnis iuſtitię, & rectitudinis obliquitas, & iniuſtitia noſtra oritur ex diſformitate uoluntatis noſtræ ad uoluntatem Dei. Ergo iuſtitia, noſtra conſiſtit, ut uoluntas noſtra, de ſe infirma, & imbecillis conformetur uoluntati Diuinæ, tanquam regulæ noſtræ: non autē tunc fit, quando confirmamur eius uoluntati ſigni; ideſt quando obſeruamus eius præcepta, mandata, & conſilia. quando contentemur de eius permiſſionibus, in noſtrum beneficium: & laudamus eius facta: quod fieri non poteſt, ſine eius gratia: ideo dicimus; Fiat uoluntas tua, Præcepti, ſcilicet, ut quod tu prohibes, caueamus. Fiat uoluntas tua, conſilij, ut quod tu conſulis, amplectamur; Fiat uoluntas tua, permiſſionis; ut malum pœnæ, quod in noſtram utilitatem fieri permittis, patienter ſuſtineamus. Fiat uoluntas tua operationis, ut quod tu operaris, huic aſſentiamur.

Dubiū de manifeſtatione voluntatis Dei. Sed hic quæritur. Quomodo nobis circa hæc uoluntas Dei innoteſcit. Dico pluribus modis. Primò, per rationis dictamen, & iudicium, habemus enim in nobis legem Dei complantatam, iuxta illud Pſal. Signatum eſt ſuper nos lumen uultus tui Domine: quæ poſtea per peccatum fuit obnubilata. ideò ſecundo innoteſcit, per Sacram Scripturam. Vnde Gregorius in Moralibus.

Fidelium

Fidelium mentes per Scripturam Sacram os Dei intuentur, quia Deus per eam loquitur. Et quia Sacra Scriptura quandoque obscura est, ut per eam non semper Dei voluntatem intelligere possimus, ideo. Tertiò innotescit, per institutiones, & traditiones vniuersalis Ecclesiæ à Spiritusanсto illuminatæ, Sanctorum patrum, & Prælatorum Ecclesię, quibus data est potestas interpretandi, & notificandi Dei voluntatem, quos Christus commendauit dicens: Quæcunq; dixerint vobis, seruate, & facite. O infelices hæretici, quomodo dicere possunt. Fiat uoluntas tua, cum traditiones, & interpretationes vniuersalis Ecclesiæ recipere nolint? Tenemur ergo iussa perficere, & prohibita cauere: eo modo tamen, quo iussa sunt. Præcepta namque affirmatiua obligant pro semper, idest loco, & tempore, prout occasio adest. Sed negatiua, obligant pro semper, & ad semper, idest pro omni loco & tempore. Huius ratio est, præcepta namque affirmatiua dantur de actibus uirtutum: qui quandoque sunt obseruatu necessarij: dicit enim Deus; Honora patrem tuum, & matrem tuam: sed quando tempus, & occasio adest. Sed pręcepta negatiua, dantur de actibus peccatorum, qui fieri prohibentur, eo quòd de se sunt mali; nec unquam datur tempus, aut locus, quo possunt licitè fieri: Dicit enim Deus, Non mœchaberis: nunquam autem datur tempus, aut locus, quo id fieri licet. Sed contra; Dicit Deus. Non occides, non furtum facies; & tamen datur tempus, quo illa licita sunt: probatur, omnes Doctores dicunt: Vim ui repellere licet, cum moderamine inculpatæ tutelæ. Et in casu necessitatis licet furari, pro victu quotidiano: Respondetur ad primum, in casu, quo quis inuasus, euadere non ualet, nisi occidat, illa occisio non dicetur homicidium, sed medium euadendi propriam mortem; neque in secundo casu, actus ille dicetur furtum: quia in casu extremę necessitatis, uiget ius naturæ, quod docet, res esse prius occupantis. Sed de his latius in prima parte Summæ Coronæ. Secundò tenemur acceptare consilia, non ut ipsa necessariò adimpleamus, sed ut illa non contemnamus. primum patet: nam si ad illa de necessitate teneremur, essent præcepta, & non consilia. Secundum probatur: nam suasiones, quę fiunt ad nostram utilitatem, & perfectionem, tenemur non spernere, sed amplecti, tamque utilia, & expedientia ad nostram salutem; unde ea spernere esset peccatum, non enim displicet Deo, quòd tu non facis consilium suum, sed displicet ei, quòd tu contemnis illud. Tertiò tenemur conformari Dei operationi, eam approbando: est enim operatio Diuina, certum signum suæ voluntatis beneplaciti. Quartò, uoluntati signi permissionis, non debemus conformari, quantum ad hoc scilicet ut eadem faciamus, uel similia permittamus; quia quæ permittuntur, ordinariè, malè sunt, mala autem nec facere, nec permittere tenemur: quando sine maiori damno, & periculo, ea prohibere possumus: & maximè, si ex officio tenemur illa prohibere. Et si Deus illa permittit, ait Vgo, in lib. de Sacramentis; Deus permittit mala: nec per hoc malus est, quia malum ad bonum, & decorem uniuersi nouit optimè reformare: quod nos facere non ualemus. Tenemur siquidem non murmurare contra Dei permissiones, dicendo, quare Deus facit hoc, uel facit sic: esset enim contradicere suę uoluntati: sed tenemur pacienter sufferre talem Dei uoluntatem: quia secundum suam occultissimam sapientiam, iustissimè, & sapientissimè permittit aliqua mala fieri. Hinc Filii Israel murmurantes contra Dominum, graui pœna multati sunt. Numer. 14. SICVT IN Cælo, & in Terra. Per hæc uerba specificatur nostra petitio, ut non intelligatur ita simpliciter, (fiat voluntas tua) sed modo quodam. Quo modo. Sicut in cælo, ita & in terra, per hoc enim ostenditur perfectio huius orationis, scilicet, ut voluntas Dei ita adimpleatur in terra, sicut in cęlo. Vnde Cassianus ait, non

Quare præcepta affirmatiua non obligant ad semper sicut negatiua.

Instantia pulchra.

Responsio.

Fiat uoluntas tua in me, uel in nobis, sed ubique terrarum, ut soluatur error, & plantetur ueritas, ut in illo differat cælum à terra. Possumus quoque hæc uerba referre, ad omnes prædictas petitiones, scilicet ad (sanctificetur nomen tuum) & ad (adueniat Regnum tuum) ut sit sensus. Pater Noster, qui es in cęlis. Sanctificetur nomen tuum, sicut in cælo, & in terra, idest sicut in cælo Angeli, & beati perfectè sanctificant, quia uidentes te clara luce, perfectè te honorant, laudant, & amant, ita nos in terra manentes, sanctificemus nomen tuum, secundum nostræ fragilitatis possibilitatem, te honorando, laudando, & amando. Item. Pater Noster qui es in cælis. Adueniat Regnum tuum, sicut in cælo, & in terra, idest sicut iam aduenit Regnum tuum gloriæ, & beatitudinis in cælo existentibus, ita adueniat nobis in terra peregrinantibus concedendo gratiæ perseuerantiam, ut morientes post huius uitæ cursum, mereamur ad Regnum tuum, idest ad tuam felicem patriam peruenire. Tandem dicamus. Pater Noster, qui es in cælis, fiat uoluntas tua sicut in cælo, & in terra, idest sicut cæli ciues sunt conformes tuæ uoluntati, ita dona nobis talem gratiam, ut nō nostram, sed tuā uoluntatē faciamus, & velimus, quę tu uis, scilicet, obseruemus quæ pręcipis, fugiamus quę prohibes, amplectamur quæ consulis, patienter sustineamus mala quæ fieri permittis, & denique magnificemus omnia, quę operaris.

PANEM Nostrum quotidianum. Hæc est quarta petitio, ubi postquam petitum fuit donum gratiæ, tanquam per se medium ad assequendum Regnum Dei. Hic ponitur medium instrumentale, quo comodius, & expeditius, propter eius iuuamen in merendo, attingimus dictum Regnum, idest gloriam Paradisi. Dicendo Panem nostrum quotidianum, da nobis hodie. Quæ uerba, sicut in nobis duplex est substantia, scilicet anima, & corpus, ita dupliciter exponi possunt, scilicet de pane materiali, & bonis corporis, ad sustentationem pertinentibus, & de pane spirituali, quo nutritur anima, secundum multiplicem panis mystici significationem. 34

Nomine panis uno modo intelliguntur omnia uita corporali necessaria.

Quantum ad primum. docuit nos Christus petere panem quotidianum, & uictum necessarium à patre nostro cælesti, qui specialem de nobis filijs suis prouidentiam habet, ut daret nobis intelligere, quod nos illius prouidentia indigemus, quo totus mundus gubernatur, ut confiteamur, eum esse nostrum prouisorem, tanquam beneuolum patrem, ac ita eum regnoscamus. Nomine autem panis, intelligenda sunt hic omnia, quibus indigemus, ad corporis sanitatem, & conseruationem, & ut sunt cibus, & potus uestitus, & habitatio. Et quamuis Apost. dicat, quod nos debemus carnis desideria, & corporis curam habere, hoc intelligendum est de cura superflua, quæ spiritui repugnat, non tamen prohibemur, quin circa necessaria curam habeamus. Vnde Iacob Patriarcha, Gen. 28. Si Dominus dederit mihi panem, ad uescendum, & uestimentum quo operiar, erit mihi Dominus in Deum. Homo igitur debet Deo patri panem quotidianum petere, & pro pane intelligere omnia ad uictum necessaria. Ita dicit B. Augustin. ad Probam. Panem nostrum quotidianum, & cetera, sufficientiam uitæ nomine panis significamus. Quę sufficientia, secundum conuenientiam personæ, status, & exercitii, intelligenda est. Pro quibus nota, & primo quo ad cibum Præparatio ciborum lautè, & delicatè de se mala non est: sed indifferens ad malum, & bonum; intantum mala esse potest, inquantum ex inordinato, & peruerso appetitu hominis, cibum sumentis, procedit. Vnde B. Gregorius 3. Moralium dicit: Non cibus, sed appetitus est uitio. Itaque lautiores cibos quęrere, quandoque non erit peccatum: & grossiores sumere quandoque peccatum erit: si enim persona erit infirma, male complexionata, delicata, & tener, potest uti

Nota quando præparatio ciborum delicatorum est peccatum mortale.

cibis delicatis, & ex industria benè conditis, suæ personæ conformibus, ita ut si uteretur cibis grossioribus, ex appetitus uoracitate; exponendo se, uel periculo mortis, uel nimiæ imbecillitatis, peccaret mortaliter, Ait enim August. in libro de uerbis Domini. Vtantur diuites nobiles consuetudine infirmitatis suæ, & doleant aliter non posse. Vtere cibis delicatis, ut consueuisti; quia aliter non potes; nam si consuetudinem mutas ęgrotas, Item si erit persona docta, Religiosa, uel in aliquo officio constituta, potest, immò debet, uti subtilioribus cibis, meliores namque cibi meliorem sanguinem generant; ex quo subtiliores spiritus uitales generantur, qui multum faciunt ad ingenii acumen, & iudicii intelligentiam, ac uirium uiuacitatem, ut magis resistere possunt laboribus officij quo præsidet. Itaque tales, licentius cibis delicatis, qui satis ad sanitatem conferunt, uti possunt. Igitur utere, ò studiose, cibo, & potu delicato, bono fine, temperata sobrietate, & recta intentione, ut sanior, ac robustior ad exercitium, & officium tuum, uel regulam tuam reddaris. Hinc sequitur. Qui Religiosus, per abstinentiam, suprà uires suas, & complexionem, impotentem se redderet ad regulæ obseruantiam, Qui præpositus ad officium suum, Qui lector publicus, ad lecturam, Qui prædicator, ad prædicationem; & similes, imbecilles se faciunt, ob abstinentiam, propter quam imbecillitatem desinerent ab officio suo, peccarent mortaliter. Et è contra, talibus utentes optimo fine, scilicet ut debito satisfacerent, populos iuuarent, & Deo magis inseruient, certè apud Deum mererentur, Et multo magis peccant, si utentur cibis grossioribus, non pro abstinentia, sed ut uentris ingluuiem expleant, ut fecit Esau, qui propter lenticulæ pastũ, primogenituram amisit. Vnde August. Fieri potest, ut sine alicuius uitio turpitudinis, & uoracitatis, pretiosissimo cibo utatur sapiens: insipiens autem fœdissima Gulæ flamma, in uilissimum cibum exardescat. Item si est persona nobilis, & generosa, uel in dignitate constituta, potest hoc respectu facere, super ceteros, aliquos cibos magis lautos, ut in eo dignitas honoretur, magnificentia non lædatur, & debita reuerentia non auferatur, quæ omnia subtrahuntur; dum omittũtur, quæ ad exteriorem pertinent apparatum. De hoc habes exemplum in Rege Salomone, cuius apparatum, & magnificentiam videns Regina Saba, mirabatur. Regum 3. capitulo 10. Peccaret siquidem diues, uel priuatus nobilis, dum in his, & similibus superfluus esset; ea dirigendo ad iactantiam, & inanem gloriam, ut liberalis diceretur; unde ut prodigus condemnatur. Et multo magis peccaret, si hoc faceret, ut se ad libidinis motus excitaret; uel in malo potens fieret. Et è contra qui talibus cibis priuantur solum, ut mundo satisfaciant, uel ex cupiditate uanæ gloriæ, ut sanctiores appareant, & non ad laudem Dei, ut carnem macerent, uel simile, peccant, ut Hypocritæ. Itaque ex his apparet, ꝙ nec cibus communis, & grossus, qui de se bonus est; quin aliquis, ipso abuti possit, sicut & delicaio bene uti, & mereri; & è contra, utendo grossioribus ob laudem Dei, dum complexio adiuuat, mereri, & utendo subtilioribus, dum necessitas, aut legitima causa non remouet, demereri; ut accideret plebeis, ignobilibus, ignaris, rusticis, & robustis, qui possunt uti cibis communibus, quod intelligitur in his, qui tales cibos frequentant, ac totum studium ponunt in apparatu, condimento, & electione delicatorum ciborum sine causa legitia, sed, ut delectentur in eis; ut faciebat ille diues, qui quotidie epulebatur splendidè, Lucæ 16. Sed de hoc latius in prima parte Summæ, de peccato Gulæ dictum est.

Quando in ue stitus ornatu inueniatur peccatum.

Quantum ad uestitum, dicitur, modus uestiendi moderatus, est actus, uirtutis; quæ dicitur Honestas, ut ait D. T. 2. 2. q. 169. ergo habet duo uitia extrema, unum per excessum, alterum per defectum, secundum alias uirtutes, ut nunc uidebi-

videbimus. Moderatio in uestitu attenditur penes duos, scilicet conditionem personæ, & consuetudinem loci, vbi homo facit incolatum, ait D. Thom. quo suprà. Et quo ad loci consuetudinem patet, homo enim tenetur se conformare cum maiori, & saniori parte Ciuium. Vnde ait August. 3. Confession. Quæ contra mores hominum sunt flagitia, pro morum diuersitate, vitanda sunt, ne pactum inter se ciuitatis, & gentis consuetudine, uel lege firmatum, nullius ciuis, aut peregrini libidine uioletur: turpis est enim omnis pars, uniuerso suo nō congruens. Patet etiàm quo ad conditionem; pertinet enim ad rationem naturalem, ut homo moderetur, quo ad cultum exteriorem, ut non excedat conditionem status sui, in superfluo cultu uestium, & mundi gloriam quærat. Vnde Gregor. in quadam homilia dicit. Sunt nonnulli, qui cultum subtilium, & pretiosarum uestium, non putant esse peccatum, quod si culpa non esset, nequaquam sermo Dei tam uigilanter exprimeret, quòd Diues, qui torquebatur apud inferos, bisso, & purpura indutus fuisset; nemo quippe uestimenta præcipua; scilicet excedentia proprium statum, nisi ad inanem gloriam quærit. Et tanto peius peccaret, si talia ornamenta eligeret aliquo iniquo, & peruerso fine: potest enim stare quandoque peccatum non in excessu uestimentorum, sed in affectu inordinato utentis, dum nimiam curam, & solicitudinem ad talem cultum apponit, quamuis enim in uestiendo non excedat conditionem sui status, tamen multum studebit in exteriori cultu uestium, ad modum mulierum, quæ dum comuntur, & poliuntur, annus est, unde isti tales vulgò dicuntur homines effœminati, Hinc D. Ambrosius, in libro primo de Officijs. Decor corporis nō sit affectatus, sed naturalis, & simplex. Ex altero extremo, idest ex parte defectus, potest quoque esse peccatum in uili uestimento, uel ex quadam negligentia, in homine tamen existente in dignitate: talis enim tenetur uti uestibus pretiosis, secundum suæ dignitatis conuenientiam, non ad sui gloriam dicitur, sed ad significandum sui officij, & ministerij excellentiam. Vel potest esse peccatum ex quadam specie hypocrisis, ordinando talem modum uestiendi uilem ad gloriam humanam. Vnde August. in libro de sermone in monte Domini, ait: Non in solo rerum corporearum nitore, atque pompa, sed etiam in ipsis sordibus, & luctuosis esse posse iactantiam, & eo periculosiorem, quo sub nomine seruitutis Dei decipit. Et quod dicitur de uestimentis, intelligendum est quoque de habitatione. Itaque ista non solum non sunt facienda, sed neque desideranda. Vnde indiscreta esset oratio, si talia excessiua petere intenderet. Petenda sunt ergo omnia hæc sub nomine panis, cum quadam moderantia, ut necessitas exigit, mensurata qualitate, conditione, & statu personæ quærentis.

Quando habitatio preciosa est peccatum.

Sequitur, NOSTRVM, Sed quare non dicitur, tuum? cum sit donantis id, quod donatur? Respondetur, licet quod à Deo nobis datur, suū sit, quo ad proprietatem, & dominium; immò nos ipsi sui sumus, tamen nostrum dicitur, ex eius munere, & acceptione. Panis noster dicitur, eo quod nos eo indigemus; noster dicitur, propter nostram utilitatem. Dixit quoque nostrum, & non alienum, ut daret intelligere, quòd non debemus aliena usurpare, & laborem alienum manducare, Vnde Chrysost. ait. Qui de iustitia panem manducat acquisitum, suum panem manducat; qui autem cum peccato, alienum panem manducat. Dixit etiam, nostrum, & non meum, ut intelligas, ait Alexander de Ales, quod nemo pro se solo, sed pro alijs quoq; orare debet: Charitas enim, ait Paulus, nō quærit quæ sua sunt, dispectis aliis. Dixit quoque, nostrum, & non meum, ut Christus Dominus daret nobis intelligere, quòd ea, quę à Deo patre petimus, & impetramus, non pro nostra tantum utilitate appropriemus, sed impartia-

tidianum, ut dictum est; sed immoderatum desiderium longioris temporis futuri, ac si in hoc mundo semper victuri essemus, quod denotat nimium affectũ in hoc mundo habere. Vnde Cyprianus. Qui Christi cępit esse discipulus, diuinum cibum petere debet, secundum uocem magistri sui, dicentis: Primum quærite Regnum Dei, renuncians omnibus, nec in longum desiderio petitionis suæ extendere.

no, quomodo intelligatur.

Quantum ad secundum, scilicet de pane spirituali, docet nos Christus petere panem Sacramentalem, idest Sanctissimam Eucharistiam, & alia dona spiritualia, quibus anima reficitur, fortificatur, & consolidatur, ut possit promptius Regnum Dei, idest beatitudinem consequi. Est autem Christus panis non secundum ueritatem rei ad literam; sed secundum similitudinem tropi; itaque sicut panis materialis reficit corpus, ita Eucharistia, idest Corpus Christi sub illis speciebus contentum reficit animam; nam quod significat; id efficit; de qua re dictum est satis suprà, & ita hac ratione uocatur panis. Est igitur iste panis uerus, qui de cælo descendit, qui sub Sacramento animam dignè sumentis reficit, & confortat, non secundum substantiam propriam, sed per gratiam Sacramentalem, quæ confertur dignè manducanti. Secundum substantiam quidem sumitur; quia Christus uerus sumitur, sed gratia est, quæ sumẽtis animam ad perficienda opera spiritualia confortat, & roborat, iuxta illud: Et panis cor hominis confirmat. Ad cuius sumptionem Apost. nos hortatur, dicens: Pascha nostrum immolatus est Christus, itaque epulemur in azimis synceritatis, & ueritatis. Hunc panem docet nos Christus petere, quia noster est, ideo dicit: panem nostrum, quia nobis natus, nobis datus. Noster, quia nobis paratur hęc mensa domini, aduersus eos, qui tribulant nos. Et dicit, quotidianum, quia quotidiè ipso indigemus, sicut enim corpus quotidiè indiget pane materiali, ad nutriendum, & conseruandum corpus, ac restaurandum, quod per calorem natiuum deperditur: ita anima quotidiè indiget hoc pane Sacramentali, ad conseruandam spiritualem uitam, ne deficiat in esse gratiæ per restaurationem caloris charitatis, qui per lassitudinem, & uenialium frequentiam tepescit. Dicitur panis supersubstantialis, secundum Matthęum; quia est supra nostram substantiam: Sed panis iste conuertit nos in Christum, iuxta illud Augustini: Tu conuerteris in me, & ego in te per gratiam, qua homo efficitur particeps Diuinitatis. Dicitur substantialis; quia sustentat per gratiam uitam animæ, uel quia est præcipuus, & pecuoliaris, super omnem substantiam, aliam à se.

Nomine panis alio modo intelligitur sacramẽtalis refectio, & alia dona spiritualia.

Sequitur DA NOBIS hodie Da, gratis & liberaliter, qui de te dicis, Venite, & comedite sine argento, & absque vlla commutatione. Nobis. f. filiis tuis, ex aqua, & Spiritusancto regeneratis; nam alijs dare non conuenit. Hodie. i. quamdiu sumus in hac uita mortali. Hodie, idest pro omni cursu huius uitę tẽporalis: nisi enim percipiamus eum in hac uita, non possumus adipisci Regnum tuum in alia uita.

Sed hic quæritur, quomodo quæramus hunc panem Sacramentalem quotidie dari nobis, cum a paucis quotidie sumatur, f. Sacerdotibus, & Religiosis. Respondetur, quòd panis iste dupliciter sumitur à fidelibus, & manducatur, scilicet Sacramentaliter, idest realiter, Sacramentum sumendo: & spiritualiter, idest sumendo effectum Sacramenti. Sacramentaliter, & realiter quotidie sumunt Sacerdotes: sed spiritualiter sumunt omnes fideles, qui credunt huic ueritati Sacramenti. Vnde Augustinus inquit: Crede, & manducasti. Spiritualiter dico manducant omnes existentes sine mortali, & sumendi desiderium habentes, omnes enim nos unum corpus mysticum sumus cum Christo; cuius corporis ipse Christus caput est: & huius corporis Sacerdos est os, iuxta illud Hierem.

Dubium. Responsio.

Hierem. 10. Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris. Separare pretiosum à vili, est separare animam à peccatis: quid enim pretiosius anima?& quid uilius peccato? Hæc autem separatio est propria Sacerdotibus, qui comedunt peccata hominum; & Sacrificium offerunt pro omni populo. Sacrificium autem immediatè à Sacerdotibus offertur, mediatè uerò, & generaliter à populo ipso per manus Sacerdotum offertur, iuxta illud Exodi, cap.5. Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi in deserto. Dum ergò Sacerdos sacrum facit, & realiter communicat, primò sumit pro se: deinde pro omnibus fidelibus tanquam os, ut dixi, distribuendo spiritualiter hoc alimentum Sacramentale, per omnia membra huius corporis mystici, iuxta illud Psal. Particeps sum ego omnium timentium te. Panis igitur iste, qui à Sacerdotibus quotidie manducatur, & sumitur, totum corpus Ecclesiæ quotidiè spiritualiter reficit, & omnia membra illius de eius fructu participant; nisi per aliquod mortale fuerint debilitata, ut non possint ipsius utilitatem sentire, ideo petimus dari nobis hunc panem salutiferum spiritualiter. Hic autem panis quotidie per fidem, spem, & charitatem interius reficere debet, nam sine eo nemo spiritualiter viuere potest; quia ipse conseruat & reficit. Debet igitur fidelis quotidie hunc panem Sacramentalem petere, & si non semper realiter; semper tamen spiritualiter, quo ad eius effectum, idest donum gratiæ gratum facientis; non solum gratiæ præuenientis, & subsequentis; sed etiam perseuerantis, cum uirtutibus concomitantibus: nam sicut petendo panem corporalem, sub nomine panis petimus omnia corporali uitæ necessaria, ut suprà dictum est, ita petendo panem Sacramentalem, sub nomine ipsius panis petimus omnia spiritualia dona, ad salutem animæ necessaria. Potest etiam exponi, de pane intelligentiæ scripturæ Sacræ, nam tali pane etiam mens spiritualiter reficitur, & in uita spirituali educatur, iuxta illud: Non in solo pane uiuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei: per verbum namque, quod procedit de ore Dei: intelligitur omnis ueritatis instructio, intellectus illuminatio, uoluntatis consolatio, & affectus exhortatio, quæ ex lectione, prædicatione, meditatione, & contemplatione Diuinarum Scripturarum procedit, sine quibus anima spiritualiter uiuere non potest.

Nomine panis intelligitur etiam intelligẽtia scriptura sacra.

Vnde Rabanus. Si quis non uescitur verbo Dei, ille non viuit. Et Ambrosius in quodam sermone. Quisquis verbo Dei pascitur, terrenum pabulum non requirit: populus, cui hic panis non datur, malè se habet. vnde Propheta. Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis, petimus ergò hunc panem dari nobis. Potest quoque exponi de pane pœnitentiæ, & contritionis peccatorum, ac laborum, & pœnarum, quæ in satisfactionem peccatorum assumuntur: iuxta illud Psal.78. Cibabis nos pane lachrymarum, & potum dabis nobis lachrymis in mensura. Et Psal.10. Sicut cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam. Sed quia ista potius pertinent ad sequentem petitionem, ideò pro nunc transeo. Recolligendo igitur prædicta, orando dicamus: Pater noster qui es in cælis. Da nobis hodie panem corporalem, quo ad necessitatem, & congruitatem uictus, & uestitus, fugiendo superflua, ne curiosa sollicitudine mens nostra curis seculi distracta, succumbat, & ex opposito, ne oppressi nimia egestate, & miseria, incidamus in desperationem: Diuitias igitur & paupertatem ne dederis nobis, sed tantum victui nostro tribue necessaria. Da nobis panem Sacramentalem, quo ad eius fructus, gratiæ s. & donorum. Da nobis panem intelligentiæ Scripturæ sacræ, vt per eius consolationem, spem habeamus. Et denique, da nobis panem pœnitentiæ salutaris. ideò sequitur.

ET

ET DIMITTE NOBIS Debita nostra. Post petitionem collationis gratiæ,& bonorum Spiritualium,quæ adiuuant nos ad essecutionem Regni cælestis petitur in hac parte, ut à nobis auferantur mala, quæ impediunt prædicti Regni adeptionem. 55

Sed hic dubitatur. Cur post petitionem bonorum adipiscendorum ponuntur petiones malorum remouendorum, cum oppositum fieri deberet, priusdamque mala euelli debent,quæ bonis repugnant,deinde bona conferri,iuxta illud Boetij,3.de Consolatione. Qui vult ingenuum serere agrum,prius laboret,arua fructicibus. Ad hoc respondetur,ut suprà diximus. Quod ordo est duplex in procedendo,scilicet Resolutiuus,& Compositiuus. In ordine resolutiuo sic proceditur,s.quod ultimum est in executione, primum est in intentione,& desiderio. In ordine autem compositiuo proceditur opposito modo. Et quia nostræ petitiones sequuntur ordinem desiderii, ideo prius petimus bona dari nobis, deinde malum remoueri, alius enim est ordo petitionum, alius operationum. Auctoritas Boetij intelligitur, de ordine operationum, qui sequitur ordinem compositiuum. Vel melius. Gratia, & peccatum, quæ hic intelliguntur sub nomine boni, & mali, se habent respectu animæ nostrę, ut lux, & tenebræ respectu domus. Quamuis enim lucis introductio per aperitionem fenestræ domus sit simul tempore, cum expulsione umbræ,tamen in genere causę efficientis, prius natura intelligitur, lucem introduci in domum, quam tenebras expelli, sed in genere causæ materialis, prius intelligitur expelli tenebras, ad quarum remotionem lux introducitur. Ita in proposito, quia in genere causæ efficientis, & finalis, prior est infusio gratiæ, & actus contritionis formatus, quam remissio peccatorum: Deus enim, per gratiam remittit culpam, & omnia alia ad nostram salutem operatur, ideo prius petimus bona dari nobis, quam mala remoueri. Hæc autem mala sunt triplicia, ut suprà tetigimus, scilicet præterita, præsentia, & futura,ideo tria petimus à nobis auferri, scilicet, Malum culpæ, quod pertinet ad peccata præterita commissa, quod malum separat nos à summo bono, iuxta illud Isaiæ 59. Peccata uestra diuiserunt inter uos & Deum uestrum, & hoc malum aufertur per gratiam præuenientem; ideo dicimus: Dimitte nobis. Secundò, petimus auferri occasiones peccatorum, quæ inducunt nos ad malum culpæ, quales sunt tentationes Dæmonis,Mundi,& Carnis,quæ pertinent ad mala præsentia,quæ mala auferuntur per gratiam subsequentem,ideo dicimus: Et ne nos inducas in tentationem. Tertiò petimus auferri mala pęnæ,afflictiua corporis, & animæ, ut sunt pronitas ad malum,& fomitis inclinatio, quibus de facili ad peccata labi possumus,quæ pertinet ad mala futura;quę auferuntur per donum gratię perseuerantis,ideo dicimus: Sed libera nos à malo. Petimus ergò nunc, ut dimittantur debita nostra. Sed quę debita: Non census,uel pecunię, sed peccata commissa;ita expressit Lucas cap.11. Dimitte nobis peccata nostra, loco cuius Matthęus posuit, & August. in lib. de sermone domini in monte, sic exponit hunc passum,debita,idest peccata.

Dubium de ordine petendorum.

Responsio.

Alia responsio.

Malũ triplex auferturper triplicem gratiam.

Sed hic quæritur,quomodo peccata dicuntur debita nostra: cum nullo iure nobis debeantur: immò si aliquo iure nobis deberentur,non punirentur: itaque peccata potius deberent dici, indebita; quia per ea amittimus uirtutes, quas ex debito deberemus habere,ideo rectè repręhenditur omnis, qui habet peccatum.Hac eadem ratione nec dicenda sunt nostra; quia illa tenere prohibemur. Tenemur utique tenere ex debito non peccata, sed uirtutes, scilicet, timorem, & amorem, & obedientiam, tamquam nostra,ratione possessionis. Ad hoc respondetur: Peccata dicuntur debita,non formaliter;idest,ut illa ex

Dubium quomodo peccata dicãtur debita nostra.

Responsio. debito teneamur habere, ut instantia dicit: sed effectiuè; idest quia efficiunt nos Deos debitores; & hoc dupliciter, uno modo quia peccando, uel committimus contra Dei uoluntatem prohibitiuam, uel committimus contra Dei uoluntatem præceptiuam: & utroque modo subtrahimus ei debitam obedientiam; & à nobis auferimus debitas uirtutes, qui remanemus debitores. Secundo modo; quia peccata statim, quod perpetrata sunt, dibitores nos faciunt pœnæ æternæ, quam pati ob ea tenemur: quicunque enim contra Deum peccat, efficitur reus gehennæ; in qua pœnam soluere tenetur, nisi remittatur ei. Itaque peccata dicuntur, debita, non quia, quasi ea deberemus habere; sed effectiuè; quia faciunt nos debitores, & uirtutum, quibus per ea priuamur, & pœnæ, ad quam patiendam iustè obligamur: ideo petimus, ut illa debita nobis dimittantur. Dicuntur etiam, nostra; non sicut bona temporalia à nobis iustè possessa: sed quia non habent aliam causam, quam nostram uoluntatem, ut illa habeamus. Sed dices: Quomodo peccata non habent aliam causam, quam nostram uoluntatem, cum axioma uniuersale sit omnium Theologorum: non possunt frondes arboris moueri sine uoluntate Dei; itaque nisi Deus concurret ad nostram operationem, nihil agere possemus: unde ueritas dicit: sine me nihil potestis facere. Ad hoc dicitur. quamuis Deus, ut causa uniuersalis prima concurrat ad omnes actus positiuos nostros, non per hoc sequitur, quod sit auctor peccati. Puta in actu fornicationis, Deus concurrit ad actum illum, ut causa prima, in quantum naturalis est; quia in esse produci non posset causa secunda, nisi Deus cum illa concurret: sed cum homo faciat, quod ei prohibetur, uoluntas propria est, & non Dei, ut comittat illam deformitatem, quæ in illo actu naturali inuenitur, quæ deformitas consistit in hoc, scilicet quod homo utitur illo actu, quamuis naturali, contra debitum rationis, prout ordinatus est à Deo. Itaque etsi Deus concurrat in illo actu, ut causa uniuersalis, inquantum naturalis, secundum leges communes naturæ, uniuersalis, non tamen concurrit cum uoluntate hominis eligentis actum illum, inquantum deformis est, & contra debitum naturę, ut Deus ordinauerat, dum cuncta posuit in numero, pondere, & mensura: quod est dicere: Deus concurrit ad actus positiuos causarum secundarum, secundum earum naturas, scilicet cum causis necessarijs necessariò, cum contingentibus contingenter, & cum liberis, liberè, eas non uariando à natura sua, sed non ad actum negatiuum, uel priuatiuum, causæ liberę, quod est peccatum. Et ideo peccat contra Deum, fornicando, sua propria uoluntate, quæ relictis regulis ab æterno à Deo conditis, conuertit se uoluntariè ad faciendum rem sibi indebitam: itaque non res illa appetita, uel perpetrata facit uoluntatem malam, sed ipsamet uoluntas se maculat, quia rem illam inordinatè appetit.

Dubium de causa peccatorum.

Responsio.

Cum ergo propria uoluntate peccamus, uoluntariè deficiendo à recta iustitia, & regulis Diuinis, ideo dicuntur peccata nostra, & consequenter nobis imputantur, & non alijs, iuxta illud Oseæ Prophetę. Perditio tua Israel ex te, tantúmodo in me auxilium tuum. Idcirco Magister Christus docet nos, orando, petere, ut talia peccata nobis dimittantur: & ut quotidiè dimittantur, quia quotidie peccamus. Nec petimus nos, quasi mundos coram Deo ambulare, quia tali pręsumptione magis peccatores redderemur. Vnde Cyprianus ait: Quam necessè, quam prouide, & salubriter admonemur, quod peccatores sumus, qui pro peccatis rogare compellimur.

Dubium de eo qui non est cōscius peccati. Dubitatur secundo, cum in hac oratione, petitur remissio peccati proprii: ergo qui conscius peccati non est, non tenetur dicere hanc orationem, uel saltem hanc particulam, scilicet (Dimitte nobis) Respondetur, quod nostra uita mor-

mortalis,& infirma,ob pœnas peccati originalis relictas, uix, aut nunquam sine peccatis saltem venialibus esse queat. Vnde Ioannes ait in Epistola Canon. Si dixerimus,quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Neque pro uenialibus peccatis, ab oratione cessare debemus, q. de mortali conscij nõ sumus; licet enim talia dicantur minima,nõ tamen sunt negligenda: ipsa nanque frequentata, charitatem tepefaciunt, & ad mortalia disponunt,atque inclinant. Vnde Augu.lib.de decem cordis,ait: Noli contemnere venialia,eo quòd minima sunt,sed time,quia plura sunt, plerunque enim Bestiæ minutæ necant,& guttæ pluuiæ,dum multæ sunt, fluuium implent, & domos euertunt; Timenda ergo sunt, & pro eis orare debemus: immò oratio ipsa Dominicalis singulariter, circa uenialia, & quotidianos defectus efficaciam habet: per hanc enim orationem sæpè repetitam, remissionem uenialiũ consequimur:si piè,& fideliter oramus,& à pœnis mortalium remissorum,quoque per eam liberamur. *Peccata uenialia nõ sũt negligenda.* *Oratio Dominicalis ualet singulariter contra uenialia.*

Vnde August.in Enchirid. capit.7.ait: De quotidianis leuibusque peccatis, sine quibus hęc uita non ducitur,quotidiana oratio satisfacit. Et hoc non solum ex motu cordis pij interno, sed ex ui orationis,ut sæpè diximus.Et si fortè per reuelationem quis sciret se esse immunem ab omni etiam ueniali, adhuc orare debet,tamquam membrum Ecclesiæ,in communi pro aliis, dicendo: Dimitte nobis,idest omnibus fidelibus filijs tuis, debita nostra, idest debita uniuersalia. Delet quoque ea,quę scelerate gesta sunt, quando uita per pœnitentiam in melius mutatur; nam si ueraciter dicatur: Dimitte nobis debita nostra,sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: fidelis est Deus, ut dimittat nobis per hanc Dominicam Orationem,quæ à Christo Domino instituta fuit. Per hanc igitur orationem petamus,ut dimittantur generaliter omnia peccata, quia omnia,& singula impediunt ingressum Dei Regni,quod suprà petiuimus aduenire; mortalia namque omninò ab eo excludunt,uenialia, & pœnæ mortalium remissorum debitæ adhuc non solutæ,in purgatorio nos retardant, si hic non dimittantur. Omnia superadicta petimus dimitti dum oramus,dicendo: Pater Noster qui es in Cælis,& claues uitæ,& mortis solus habes, confisi de tua infinita misericordia, audemus dicere, Dimitte nobis debita nostra. Primò debita latryæ, obedientiæ, iustitiæ, timoris reuerentialis, amoris filialis,& similium: quibus per peccata priuati sumus, & tibi non obtemperamus,& ideò per dictorum amissionem, cum ea habere deberemus, tui debitores sumus.

Secundò,dimitte,quod omissione,& commissione peccauimus. Tertiò,dimitte,idest relaxa pœnas æternas, pro quibus tibi debitores sumus, & à tuo Regno excludimur, dimitte inquam talia debita,non imputando ea nobis, sed tegendo. Quartò, tu Pater, qui deducis ad inferos, & reducis, commuta illas æternas in temporales, tua pietate in hac vita soluendas, ut per pœnitentiæ dolorem hic satisfaciamus. Quintò, tu Pater, qui diues es in omnes, & tuæ misericordiæ non est numerus, dimitte nobis debita nostra, idest quidquid in purgatorio debemus, relaxa hic, per merita passionis Filii tui, qui satisfacit infinitè plusquam opus erat; ut liberi, & expediti ab omni debito, in fine uitę ad Regnum tuum, ad quod aspiramus, euolare possimus, & te in æternum frui.

Sequitur SICVT & nos dimittimus debitoribus nostris. Posita prima parte huius petitionis,quæ est forma petendi. In hac secunda ponit modum petendi,per Clausulam modificantẽ petitionem; qua Clausula deficiente in orante, oratio non habet effectum:nam Christus Magister noster cælestis, & sapientissimus, 36 *Modus petendi remissionẽ peccatorum.*

ſimus,ſuę ſapientiæ prouidentia, ut oratio iſta eſſet ſufficientiſſima in ſe, efficaciſſima, apud Deum, & fructuoſiſſima nobis, nolunt, ut nos cogamus aliquid orando, ſcilicet, ut ita nos ergà proximos noſtros liberales ſimus, in dimittendo eis, ſicut deſideramus Deum eſſe ergà nos liberalem in dimittendo nobis, propter quod, ut Deus reddatur magis exaudibilis, iuxta illud Eccleſ. 18. Relinque proximo tuo nocenti, & tunc deprecanti tibi ſoluentur peccata. Vnde Cyprianus ſuper hoc, ait; Qui orare nos pro debitis, & peccatis docuit, adiunxit planè, & legem addidit, certa nos conditione, & ſponſione conſtringens, ut ita nobis dimitti debita, ſecundum quod & ipſi debitoribus noſtris dimittimus, ſcilicet impetrari non poſſe, quod pro peccatis petimus; niſi & ipſi circa debitores noſtros paria faciamus. Docendo igitur Chriſtus nos orare, non ſimpliciter remiſſionem peccatorum petere uoluit, ut ſit in cęteris aliis petitionibus; ſed regulam dedit, ut ſi uelimus nobis dimitti debita noſtra; nos etiam proximis noſtris eorum peccata in nos commiſſa dimittamus, iuſtiſſimum enim eſt, ut homo non neget alteri, quod ſibi donari deſiderat, & fieri petit; ideo Chriſtus ſtatim poſt orationem prędictam inſtitutam, ſubiunxit Matthæi 6. Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis pater cęleſtis peccata ueſtra, ſi autem non dimiſeritis hominibus, nec pater ueſter dimittet uobis peccata ueſtra. Ecce regulam nobis datam, potiſſimum nobis commendatam, per quam nobis indicauit, quid nobis opus ſit facere, ut remiſſionem peccatorum impetremus. Et eſt unum de conſiliis, quo noſtras miſerias euadere poſſumus & eſt ſimpliciter neceſſarium ratione finis: qui enim ex corde ſuo prius non dimittit, non exiſtimet à Domino conſequi remiſſionem ſuorum peccatorum. Dico (ex corde) nam qui unum ore dicit, & aliud in corde habet, mentitur Deo dicit remitto, & non remittit. Dico (prius) non enim Chriſtus dixit, ut Deus prius dimittat nobis debita noſtra; deinde nos dimittamus debitoribus noſtris ſcit enim Deus, homines eſſe mendaces; ut ſi receperint prius remiſſionem peccatorum ſuorum, ipſi poſtea ſuis debitoribus non remitterent, ut fecit ille ſeruus nequam conſeruo ſuo, Matth. 18. qui poſtquam impetrauerat à Domino ſuo remiſſionem debiti ſui; inuenit conſeruum ſuum, & ſuffocauit eum pro debito illius, nolẽs eius miſereri, ut dominus eius ſui miſertus fuerat. Et ideò Auguſtinus, & Gregorius aiunt; Bonum quod à Deo compuncti petimus, hoc ipſum primò proximo faciamus. Conſideret igitur homo, dum orat, quid Deo proponat; ne propria eius ſententia iudicetur; nam qui orando dicit Deo, dimitte, ſicut dimitto; & ipſe de corde non dimittit; primò non exauditur dicit enim Bernardus; Venia Dei peccatori non datur, cuius cor rancore inuidiæ, aut liuore afficitur. Secundò, Deum aduerſus ſeipſum ad iracundiam prouocat, & non aduertit; Vnde Chryſoſtomus ait: Qui inimicitias in corde, & in ore ſeruat aduerſus lędentem, non Deum orat, ſed irritat; apud Deum gratiam non obtinent, ſed æternam damnationem ſibi poſtulat. Miror ergo, quomodo homines ante Deum accedant cum corde odioſo, ad recitandum hanc Dominicam orationem, qui enim ad tam magna tonitrua non excitatur, non dormit certe, ſed mortuus eſt.

1. Dubiũ quõ dimittere debeamus quod eſt proprium Dei.

2. Dubium de conformatione diuinæ voluntatis.

3. Dubium de remiſſione q̃rela.

Sed hic quęritur. Quomodo per hanc orationem compellimur, ut proximis noſtris dimittamus peccata, & offenſas, ut nobis dimittatur; Cum peccata dimittere proprium ſit Dei? Secundò quomodo debemus ſemper dimittere; ſi quandoque hoc eſſet contra uoluntatem Dei? cum qua tenentur conformari, ut dictum eſt ſuprà; uam ſtare poteſt, aliquem, qui me offendit, eſſe obſtinatum in ſe emendando, propter quod Deus illi non remittat; unde nec ego remittere debeo. Tertiò aiunt Doctores, & ego aliàs dixi; nobis licitum eſſe quando-

que non

que non dimittere querelam, sed vindictam quærere de offensa nobis facta, ut iustitia locum habeat. Quomodo ergo orando, compellimur semper dimittere?

Ad hæc breuiter respondetur. Ad primum dicitur, peccata dimitti, potest intelligi tripliciter. Vno modo principaliter, & auctoritatiuè, altero modo, ministerialiter: alio modo, relaxando odium, & uindictæ desiderium, ex fraternali charitate. Primo modo solus Deus dimittit peccata, non imputando illi ad pœnam æternam, & animam gratia informando in contritione. Secundo modo, dimitti sacerdos virtute clauium Ecclesiæ in confessione, de quo infra. Tertiò modo quilibet fidelis, qui sentit offensus, dum de corde suo remouet rancorem, & odium contra proximum suum offendentem, dum ille satisfacit iniuriæ, & damno dato: licet quandoque remissio fiat sine satisfactione, quod est perfectorum, hoc modo dicitur, hominem remittere debitori suo debitum, idest offensam: & ita loquimur hic. *Ad primum peccata dimittūtur tripliciter.*

Ad secundum dicitur, quòd homo tenetur se conformare voluntati Dei antecedenti, qua Deus vult omnes homines saluos fieri: ideò velle debet, inimicum suum fore beatum, & non damnari, itaque quantum est ex se dimittere debet, scilicet non optando, ut pro tali offensa sibi facta inimicus suus æternaliter damnetur, & puniatur, & hoc modo tenetur ex fraterna charitate, cum sit proximus, & sicut ipse beatitudinis capax, à qua dum est viator excludi non debet, non enim, dum est in via, de eo salus desperanda est: ait Augustin. in lib. Sermonum, nam si modo malus est, postea emendari potest, & saluari. Itaque ad dubium; Homo quantum est ex se, peccatum peccanti dimittit, quamuis Deus peccatorem, dum in peccato persistit, reum teneat. Quòd si peccator, durante obstinatione, in peccato decidit, tunc offensus conformando se voluntati Dei efficaci, qua vult obstinatos æternaliter puniri, vult etiam & ipse obseruari iustitiam Dei in obstinatos. Et cum his, potest homo quandoque desiderare, ut secundum regulas iustitiæ temporaliter puniatur; vel immediatè à Deo, vel per Iudices, ad hoc constitutos in terra, & hoc non liuore vindictæ, odio persequendo, quia esset mortale, sed in sui emendationem, & salutem. *Ad secūdum.*

Ad tertium dubium, patet responsio ex dictis. Hinc sequitur, quod quandoque possumus de offenso querelam facere, ut peccatum puniatur, pro delinquentis emendatione, & Reipublicæ conseruatione, & denique sui satisfactione, quamuis querelam sequi sine rancore sit difficile, non tamen impossibile, ut cum hoc non possit iustè orare, non dimittendo, quo ad pœnam temporalem. Sed nunquid offendente parato satisfacere, quo ad omnia parti offensæ; offensus teneatur, ei querelam remittere, ut iustè possit orare: an illam iudici relinquere, ut officium suum prosequatur. Ad hoc difficile est respondere, ideo repetendæ sunt obiectę responsiones. *Ad tertium. Fortificatio dubij.*

Vel dicamus altius, & melius. In hac debitorum dimissione tria considerari possunt. Primum est offensa Dei, seu culpa, quam homo incurrit peccando in proximum: nemo enim potest proximum iniustè lædere sine Dei offensa. Secundum est rancor, & odium, quod offensus concipit aduersus offendentem, & lædentem, de offensa sibi facta. Tertium est iniuria, vel damnum iniustè passum in persona, fama, uel bonis, propter quę rancorem, & odium concipit. *Responsiones efficaciores.*

Quantum ad primum, scilicet offensam Dei, & culpam; nos possumus orare, ut Deus dimittat culpam nos offendenti, quam offendendo incurrit: non autem possumus nos illam dimittere; solius enim Dei est culpam dimittere, ut dictum est.

Immò

Immò tenetur orare, & desiderare, ut Deus proximo nos offen denti, talem culpam dimittere dignetur, & eam non æternaliter puniat. Iuxta Domini preceptum. Matth. 5. Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos, ut sitis filij patris vestri, qui in cælis est. Pro quo nota, quòd per hoc præceptum, nos tenemur diligere inimicos, non inquantum inimici, idest mali, & peruersi homines sunt, quia ut sic, sunt odiendi, ait enim Propheta: Iniquos odio habui, sed quantum ad naturam, quæ bona est, secundum quam sunt capaces beatitudinis, dum sunt in uia; quia possunt uitam mutare, & mereri. Et ita conciliantur auctoritates Scripturæ, quæ contrariæ videntur. Et ideo tanquam proximos, eos diligere debemus desiderando bonum æternum, sicut & nobis. Tenemur etiam eis benefacere: non quòd teneamur eis in particulari signa dilectionis ostendere; sed in generali, scilicet, ut si acciderit facere aliquod beneficium communitati, eos de illa communitate non debemus excludere. Itaque sicut in generali eos diligere tenemur ita, & benefacere. In particulari autem, circa eos præparationem animi habeamus, dum enim necessitas occurrerit; tunc ex charitate eis subuenire tenemur, & eos adiuuare, sicut & cæteros amicos, sine differentia: Tenemur quoque pro eis orare, non in particulari; sed in uniuersali, idest non excludere eos à nostris orationibus, dum pro omnibus oramus, & dum ita facimus, tunc verè dici potest, quòd sumus filij Dei adoptiui; & rationabiliter dicere possumus: Pater noster: aliàs minimè. Si quid autem vltra hæc, inuenitur in Sacra Scriptura aliud expressum, illud de consilio est, & non de præcepto, quod obseruare, perfectorum est. Itaque tunc dimittimus, quo ad hanc primam considerationem, dum pro inimicis oramus, ut Deus dimittat eis culpam: sæpè namque sic orantes, remissionem peccatorum inimicis nostris impetramus, si non manent in obstinatione. Solet enim dici, quod Ecclesia, idest fideles pii tribus modis impugnantur, scilicet odioso corde, offensiuis uerbis, & corporis cruciatu, ipsi autem econtra se habent, scilicet diligendo, benefaciendo, & orando.

Nota de præcepto diligendi inimicum.

Ad secundū.

Quantum ad secundum, scilicet rancorem, & odium, quod concipimus contra lędentes nos: tamen, ut eis dimittere, quia Christus sic pręcipit: tunc autē dimittimus debitoribus nostris offensam, pro qua sint nobis debitores, cum rancorem, & odium relaxamus: tunc dimittimus; cum Irę non obtemperamus: tunc dimittimus, cum contra offendentem, propria auctoritate, vindictā non quęrimus dico (propria auctoritate) quia auctoritate publica, non prohibemur, ut infrà dicemus: non enim supradicta stare possunt cum dilectione, & charitate ad quam tenemur de necessitate salutis. Illum quidem inimicum odire debemus, qui nos offendit in bonis animæ: illum dico, qui facit ut amittamus Dei amicitiam: illum odire debemus, qui contra nos pugnat ante Deum. Quis est hic? Audi Augustinum. Fratres mei exercere vos, inquantum potestis, ad exercendam mansuetudinem, etiam erga inimicos: frænate Iram, quæ vos stimulat ad vindictam. Si uindicare te vis de inimico tuo, ad ipsam iram te conuerte, ipsa enim est inimica tua; quæ occidit animam tuam. Oraturus es Deum; ventura est hora, ut dicas Pater noster, venturus es ad illum versum, dimitte nobis, &c. Quid sequitur? Sicut & nos dimittimus. Ibi illa inimica stat contra te, sepit viam; orationi tuę murum erigit: non est, qua transeas. Benè dixisti totum Pater noster vsque ad, dimitte nobis, quid sequitur postea? Sicut & nos dimittimus, si fortè ipsa aduersatur: qualis est inimica, fratres, quę contradicit? Sicut & nos: & cetera. Non sæuias ergo contra inimicum tuum, in istam sæuias. hæc ille. Reprime igitur Iram, eam odi, eam persequere,

Quem inimicum odio prosequi debeamus.

te, eam tandem interfice: nam ad hoc te inuitat consideratio peccatorum tuorum; quibus Deum patrem tuum offendisti: qui paratus est dimittere tibi, si tu dimittis ex corde debitori tuo. Ad hoc te mouet præceptum Domini, qui dicit, ut dimittatis de cordibus vestris peccata proximi, offendentis uos. Ad hoc te incitant minæ Dei Iudicis tui, dicentis: Nisi dimiseritis, non dimittetur vobis. Ad hoc te stimulat indignatio Domini; qui nisi dimiseritis, reuocabit omnia peccata præterita tibi dimissa; quo ad ingratitudinem tuam, exemplo illius conserui misericordiam consecuti à Domino suo, & non miserentis conserui sui: propter quod debitum sibi dimissum, ab eo repetitum fuit, Matth. 18. In hoc te confundit factum Saluatoris nostri, Stephani protomartyris, & multorū aliorum sanctorum; qui tam liberaliter dimiserunt, & orauerunt pro persecutoribus, & offendentibus eos. Vnde Bernardus: Omnem dimisit iniuriam, ut eam nec damnaret vlciscendo, nec confunderet improbando, nec minus diligeret imputando. Et denique ad hoc te allectare debet inter cætera, misericordia Dei: qui non permittit, ut ita facilè ab alijs lædatur, qui ità promptè propter ipsius amorem dimittit: Deus enim animos offendentium molliet erga homines pios, & mansuetos; ut eos non offendant. Vnde Ambrosius super Lucam. Discas frequenter ignoscere, nec indignationem teneas: nihil, enim est quo possit offendi, cui ignoscendi est consuetudo.

Sed dicet aliquis; nunquid teneor dimittere debitori meo in sua malitia, & obstinatione permanente; nec se peccasse recognoscente, nec etiam à me ueniã de offensa petente? nam tali dimittere, durum uidetur. In hoc distinguo. si intelligis de iniuria, & damno dato: inferius ad tertium respondebo; si autem de odio, & rancore, de quo est hic sermo, dico, quòd sic: nam siue offendens petat ueniam, siue non piè uiuens, teneris rancorem, & odium contra eum conceptum, de corde tuo relaxare. Vnde Paulus ad Roman. 12. Date locum Iræ: ac si diceret ait Anselmus: Quid opus est, uos ipsos uestras ultum ire iniurias: qui nec corda hominum nosse, nec agnita eorum scelera, tranquillo ualetis animo iudicare? Quin potius, quòd in uos peccarunt, quasi fratribus, & proximis ex corde remittere, vt & Deus uestra peccata remittat: scientes, quia si corrigi uoluerint, eos socios bonorum habebitis, sin aliter, rectius Diuino iudicio, quod errare non potest, sicut nec irasci potest, quam vestro, damnabuntur. Et verè iudicium eius debetis expectare, qui dicit: Mihi vindictam, & ego retribuam eis: idest, omnia mala, quæ uobis irrogantur, mihi fiunt, sed ego uindictam mihi pro his retribuam. Cum ergo tenemur inimicos diligere, etiam dum inimici sunt, ut dictum est: talis dilectio non compatitur odium, & rancorem, etiam stante illius inimicitia, & obstinatione.

Dubium de remissione obstinatis inimicis concedenda.

Secundo adhuc instatur. Nunquid offensus, ultra hoc, teneatur inimico signa exteriora dilectionis ostendere. Et uidetur quod sic: nam si tenetur eum diligere, ut dictum est: consequens est, ut benefacere, iuuare, ac eum salutare teneatur: nam sine opera dilectio uera non est: probatio enim dilectionis, exhibitio est operis. Vnde Paulus quo supra. Si esurierit inimicus tuus ciba illum, si sitit potum da illi. Præterea, abnegare huiusmo di signa familiaritatis, & beneficientiæ; signum est uindictæ; ergo tenemur illa ostendere. Ad hæc respondetur cum Scoto in 3. distinctione 9. quòd in hoc præcepto de dilectione inimici, quædam considerantur, inquantum habent uim præcepti, negatiui, ut est non odire inimicum, nolle desiderare eius damnationem, & gratiæ priuationem, ac aliorum bonorum ad salutem ordinatorum, & huiusmodi: & hoc modo semper debemus interius, & exterius hæc bona inimico uelle, quia præcepta negatiua obligant ad semper. Quædã cõsiderantur ut habent uim præcepti affirmatiui, ut est benefacere, obsequia præstare, salu-

2. Dubium de ostendendis signis exterioribus inimico.

Responsio.

tare, & huiusmodi, & hoc modo ad hæc non tenemur, nisi quando occurrit occasio, præcepta nanque affirmatiua non obligant ad semper, idest omni tempore, sed semper, idest pro loco, & tempore. Hæc autem occasio dupliciter occurrere potest, ait D. Thom. 2. 2. quæstio. 25 artic. 9. Vel in communi, dum scilicet homo orat pro omnibus fidelibus, vel distribuit aliqua communiter, vel simile bonum facit, & tunc inimicus ab huiusmodi beneficijs excludi non debet, ut dictum est suprà, & ita dicendum est de salutatione. Vel occurrere potest in particulari, dum scilicet homo exhibet aliquibus particularibus personis aliqua particularia beneficia, & signa dilectionis, & tunc non tenetur hæc inimicis præstare; quia nec amicis, nisi in casu necessitatis; quando etiam amicis tenemur. Itaque ad hæc, de necessitate salutis non tenemur, nisi secundum præparationem animi, ut scilicet loco, & tempore exhibeantur, quādo ea amicis etiam ex præcepto charitatis impendere teneremur. Si autem extrà casum necessitatis, hæc & similia inimico præstarentur, esset actus perfectæ charitatis, & ita intelligitur dictum Pauli suprà citati. Vnde subiungit: Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius; idest, feruentes, & vrentes pœnitentiæ dolores accumulabis super mentem eius; beneficijs enim tuis victus, dolebit, te offendisse, à quo pro malo bona recepit, & ita in bono malum vinces.

1. *Corrolarium.* Ex his sequuntur aliqua corollaria scitu necessaria; primum est. A communibus orationibus, & beneficiis communiter exhibendis, inimicus excludi non debet.

2. *Corrolarium.* Secundum est. quędam obsequia, & complementa, quę omnibus communiter fiunt inimico non sunt neganda.

3 *Corrolarium.* Tertium est. communis salutatio, & loquela, quæ omnibus communiter occurrentibus fit, inimico non est deneganda. In particulari autem, dum particulariter inimicus occurrit, non est subtrahenda, si iudicatur, per eius subtractionem inimicum scandalizari, vel malum concipere: si uerò per hæc magis alteraretur, vel ostenderet sibi non placere, silendum est.

4 *Corrolarium.* Quartum est. secundum animi præparationem homo intentionem habere debet, iuuandi inimicum, in omni sua necessitate, occasione occurrente; tam in bonis spiritualibus, scilicet eum docendo viam salutis, si ignarus est, vel instruendo, per correctionem fraternam, si malus est, & huiusmodi, quàm in bonis temporalibus, vt est subuenire ei in rebus necessariis, in articulo necessitatis. Et per hęc patet responsio ad obiecta.

Ad tertium. Quantum ad tertium scilicet, iniuriam illatam, & damnum iniustè factum, siue in persona, siue in bonis, dico multa. Quo ad iniuriam, non tenetur homo illam remittere omninò, quo minus iniurianti, ne iniurias continuet, possit obsistere; via tamen iuridica, & publica auctoritate, querelando, & insistendo, si opus est, vt iniuriæ satisfaciat; & honor recuperetur, medijs conuenientibus; & peccatum puniatur, ad uindictam malorum, laudem verò bonorum, & hoc sine rancore, quamuis difficile sit, querelam insistere, & odio non persequi, quę difficultas mouet aliquos Doctores, ad non consentiendum nobiscum, ideo ad fugiendum iram, hæc fieri debent, auctoritate publica, debitis medijs, sine falsitate. Probatur Conclusio: Si homo auctoritate priuata impedire potest, ne aliquis sibi iniuriam faciat, cum moderatione inculpatę tutelæ tamen, vim vi repellendo (de quo satis in tertia parte Summæ dictum est. Cap. de irregularitate) multo magis iniuriam factam, auctoritate publica, prosequi potest, vt dictum est. Dico (potest) sine peccato, si odium non est. dico (potest) & non (debet) nam perfectionis esset, illam non prosequi: nisi esset in dignitate constitutus; quia tunc ratione dignitatis

gnitatis,& officij,non posset renunciare honori, & famæ suæ; ait Sotus. Quintò de iustitia, & iure quæst. 10. & post eum Nauar. Sed communiter loquendo, perfectionis esset. iniuriam remittere, & patienter persecutiones sustinere. Vnde Anselmus super illud Pauli. Date locum Iræ, dicit. Ille dat locum Iræ, qui iram superbientium humiliter fugiendo, declinat. Itaque passus iniuriam ab alio, tam in fama, quàm in persona, satisfactionem exigere potest, salua tamen charitate, & auctoritate Iudicis: quia ad hoc statutę sunt leges, tam Diuinæ, quàm Humanæ. Quò verò ad damnum passum in bonis, multo magis homo potest ciuiliter offendentem persequi, donec suum recuperet; & hoc uniuersaliter. In casu autem licet pro bonorum damno criminaliter procedere, quando scilicet damnificans indiget correctione, & castigatione, ne in malo perseueret: quia est homo nociuus, in Republica, & in similibus assuetus: interest enim Reipublicæ, ut tales puniantur, ait Diuus Thom. super dicto Pauli, suprà citato. Dixi, (in casu) nam extrà prædictum casum, criminaliter persequi, non esset sine rancore. Sed homo debet compati fragilitati proximi. Dico (fragilitati) sed non malitiæ, ratione iam dicta.

Dubium de obligatione petendi veniam.

Quęritur hic, an offendens teneatur ueniam petere ab offenso, ut sibi parcat,& ignoscat,ac satisfaciat? Ad hoc breuiter respondetur. Et primò quantum ad offensam factam in persona, dicitur. Si offensa facta est in manifesto, hoc est sciente offenso damnum, & auctorem, tunc offendens tenetur reconciliari cum offenso, ueniam petendo, & satisfactionem faciendo, si opus est. Iuxta præceptum Christi, Matth.5. Si ergò offers munus tuum ad altare,& recordatus fueris; quia frater tuus habet aliquid aduersum te; scilicet,quia eum læsisti; relinque ibi munus tuum ante altare, & vade reconciliari prius fratri tuo, &c. Quod intelligitur de reconciliatione exteriori, post illatam iniuriam; nam pro interiori non opus esset præcipere, vt ab altari discederet, cũ illa fiat sola contritione. Verum reconciliatio aliter fit inter nobiles, & aliter fit inter plebeos,vt ait Sotus: sufficit autem, ut fiat sicut fieri consueuit inter eos,secundum qualitatem personarum, diuersitatem Gentium,& locorum: & hoc, si offensus est præsens: sin autem pręsens non est, habeat animum pręparatum, illam facere,quando tempus, & locus dabitur, ut possit benè orare, & confiteri. Et si præsentia haberi non potest, doleat in corde suo,coram Deo, de offensa facta, & impotentia satisfaciendi. Si autem offensa facta fuit in occulto, idest ignorante offenso,tunc non opus est, ut offendens se prodat, se accusando,ueniam petens: posset enim esse occasio maioris mali,scilicet turbatio ex parte offensi,& infamia ex parte offendentis. Sed sufficit, quo ad necessitatem salutis animæ, reconciliatio interior,coram Deo,& si occurrat reficere aliquod damnum,illud fiat secretò,medio confessore,uel alio fide digno. Secundò,quantum ad offensam factam in fama,si eum in faciem iniuriauit, reconcilietur cum eo,eius honori satisfaciendo,si fieri potest, ut dictum suprà fuit. Si autem prodit eum in absentia,non opus est dicere coram infamato,se mentitũ esse, sed coram illis,quibus locutus est, infamiam dictam,uerbis prudentibus, de eorum mente auferendo. De qua satisfactione quomodo fieri debeat, dictũ est in secunda parte Summę nostræ,capitulo de restitutione famę. Tertiò quantum ad offensam factam in bonis,non opus est reconciliari uerbis,sed factis,restituendo ablatum,uel resarciendo damnum datum, per seipsum,si apertè eum læsit,sin autem occultè,per tertiam personam fide dignam, si haberi potest, & restitutio fieri potest sine scandalo;aliàs expectetur occasio,& commoditas,ut secretò fiat,ne fortè damnificans prodatur, & remaneat infamatus coram alijs:

vbi habetur in bona fama, & opinione, fama enim cum sit altioris ordinis, bonis temporalibus debet preponi; & multo magis, si ultra hæc, periculum esset pati aliud peius. Vbi autem hæc pericula non currunt, quia personæ inter quas est discrimen, non sunt tales, fiat ut potest. Et de hoc satis in secunda parte Sūmę, cap. de restitutione in particulari.

Nota ex dictis colligenda pro satisfactione dubij difficilis.

Hinc duo colliguntur. Vnum est, si qui offendit, paratus est facere omnem debitam satisfactionem iuditio prudētis, offensus non debet procedere uia criminali, eum quærelando. Alterum est, si fortè iam quærelam fecerat, tenetur illam cassare ad instantiam offendentis, parati ueniam petere de offensa facta, & satisfacere de omni iniuria, & damno dato, nisi offendens talis esset, ut optimū esset, quærelam prosequi, ut castigetur, & emendetur.

Probatur prima pars; nam ut paulò ante dicebamus; Christus præcipit, ut offendens relinquat munus ad altare, & offensum adeat, petatque remissionem & reconciliationem, signum est ut etiam offensus, ueniam petenti, & satisfacere nolenti remittere teneatur non solum rancorem, sed omnem pœnam. Quis, enim negabit, offensum teneri, eodem præcepto offendentis reconciliationem acceptare, & uindictam relaxare, quo reus tenetur ueniam, & reconciliationē petere? Sicut enim ex illis uerbis Ioannis 20. Quorum remiseritis peccata, remissa erunt, &c. colligitur, ut Ecclesia interprætatur, eodem præcepto teneri pœnitentes ad confessores accedere, & peccata confiteri, ut tenentur confessores eos absoluere. Ita ex hoc præcepto, contra offendentes, ut reconciliētur cum offensis; sequitur, ut offensus reconciliationem acceptet, alioquin frustra Christus offendenti præciperet, ut ad fratrem offensum accederet pro reconciliatione, & condonatione consequenda, si frater offensus ad illam concedendam, eodem præcepto, non esset obligatus. Et si diceretur, sufficit, ut odium remittam ex corde, sed uolo, ut iustitia habeat locum suum. Ad hoc replico, quòd odium remittere teneris, etiam si reconciliationem non petat, ut dictum est suprà: sed ad quid opus erat pręcipere offendenti, ut de altari discederet, pro reconciliatione facienda, nisi tu quoque ultrà relaxationem odij, aliquid aliud facere teneris? Preterea hæc non stant simul, odium relinquere, & reum, qui paratus est emendam facere, persequi. Sed dices, ego non persequor, insistendo, sed tantum relinquo eum in manu Iudicis, pro quærela facta. Respondeo, quòd hoc non sufficit, nam si remissio quærelę in scriptis, sit denegāda, hoc fiet propter tria, scilicet uel quia est superflua; uel quia offenso remittenti nocet, uel quia offendenti prodest, non propter primam, nam in communi hominum usu habetur; ut ubi est aliqua inimicitia, in qua Curia se intromisit, tunc intelligatur pax firma, & stabilis, quando interuenit scriptura, immò est necessaria ad tollendam omnem suspitionem; nunquam enim offendens putabit se esse in tuto, quousque pax in scriptis firmetur, maximè ubi sunt inimicitię capitales. Non propter secundum; scilicet nocumentum offensi, nam remissio in scriptis non nocebit offenso, quantum ad animi pacationem, immò oppositum est uerum, quia per scripturam magis firmatur fœdus amicitię, ex vtraque parte. Nec dici potest, quòd nocebit vitę offensi; immò ex scriptura potest oriri hęc securitas, dum de tali dubitatur; potest enim reus, dum ei quęrela relaxatur, & pax in scriptis stabilitur, ut fidem, & cautionem de malo non inferendo prestet. Nec nocet honori; quia offendens, cum paratus sit emendam facere omnibus modis possibilibus, ad iudicium sapientis, ut consueuit fieri inter homines suę conditionis, ut dictum est suprà, non est cur non remaneat contentus quęrelam cassando, sicut si illam non cassaret: unde tum hac ratione, tum amore Dei, ut

Christia-

Christianus acquiescere debet. Neque nocet bonis:quia,ut dictum est, omnibus modis possibilibus offertur satisfacere, damnum resarcire. Neque propter tertium,scilicet quia offendenti prodest,neganda est,scilicet eo quod,querela remissa,postea mitius ageretur cum ipso.Si enim hac ratione moueris ad non remittendum, datur intelligi, te non esse sine odio, & inuidia: cum tibi displicet utile inimici tui, sine tuo damno. Si enim quis debitor esset tribus seorsum: facta uni eorum solutione, nonne ille de solutione sibi facta fidem facere deberet, quamuis alijs non soluerit? Sic dico in proposito; cum homo delinquit in proximum,tribus remanet debitor. Deo, scilicet Reipublicæ,& parti læsæ. Deo satisfacit per pœnitentiam: cui remissa culpa, iniungitur aliqua pœna temporalis, soluenda in hoc, uel alio seculo. Reipublicæ satisfacit, per sententiam à Iudice latam, secundum leges, cui remissa querela, mitia imponitur. Homini læso satisfacit, per ueniam petitam: & damnum resarcitum, cui satisfacto non est amplius per eum ab offendente exigendum, siue ille alijs satisfaciat, siue non neque ei curæ esse debet, quid de illo facit Iudex. Et si offenso displicet, quod iudex, remissa querela, pœnam illi exiguam imponet, displicebit, quoque, quod Deus, remissa culpa per pœnitentiam, pœnam æternam in temporalem mutabit,& exiguam exiget,quæ displicentia,sicut in secundo casu est contra charitatem, ita & in primo. Sed dices, ideò querelam non remitto, quia illa remissa, statim ad patriam ueniet, & ipso aliquando uiso, mihi occasionem turbandi dabit. Hoc assertum certè manifestat,te non remisisse totaliter ex corde, & ideo non poteris iustè orare, dicendo, dimitte nobis, quia tu non uerè dimittis. Dices saltem uellem,ut Iudex eum in exilium misisset per tot annos, ut eum non uideam, & tunc remittam in scriptis. Neque hoc est bene dictum,seu iustè petitum: non enim pertinet ad te sententiam componere, hoc enim non asseris sine animi rancore, quo illum puniendo persequeris. Et ideo Confessores aduertant, ne talia asserentes & quærentes absoluant sub prætextu,quod dicant, se inimicum non odire,non si remittant in scriptis,quod enim lingua fatentur, corde negant. *Aduertant Confessarij.*

Si forte aliquis instaret, non esse absolutionem denegandam, ex eo, quia querelam in scriptis remittere non vult; nam accidere posset, ut querela remissa, Iudex eum liberaret, & tunc tam offendenti, quam aliis occasio daretur in deteriora labendi, unde ne peccata remaneant impunita, licitum est, querelam facere,& eam factam defendere,uindicta namque quę ad correctionem ordinatur, non est prohibita, ait August. & habetur Can. Ea uindicta, 23.quæstio.4. *Instantia.*

Respondetur ad hæc(quæ benè notabis Lector ut possis conciliare Doctores super hoc dubio) Si delinquens delictum fecit,ira motus, quæ impedit iudicium,aut honore stimulatus,aut necessitate aliqua ductus,uel simili,propter quæ iudicatur,casum accidisse ex fragilitate,& non uitio, tunc offensus uidés reum pœnitentia ductum, & ad emendam esse paratum, omnia supradicta facere tenetur,quia delinquens iam ex se ipso corripitur, nec opus est uti uindicta. Si autem deliquit ex uitio: quia solitus est similia facere tanquam homo inquietus,Reipublicę dannosus, & boni communis pertubator, & similium patrator: tunc non solum est querelandus, sed etiam pro querela est insistendum,non liuore uindictæ,odio eũ persequendo,quia hoc non licet, ut dictum est,sed ad sui emendationem,& correctionem,atque aliorum exemplũ: & ita intelligitur Can.allegatus. Vnde August.in dicto Canone sequitur: Sed huic uindictæ referendæ non est idoneus; nisi qui odium,quo flagrare solent,qui se uindicare desiderant,dilectionis magnitudine superauerit.Vnde D. Tho. super *Nota responsionem, & in hoc quiesce.*

Epistolā Pauli ad Roman. 12. super illis uerbis: Vince in bono malum, ad hęc alludens, ait: Dum inimicus punitur ex charitate, non punitur tanquam inimicus formaliter, s. persequendo; sed materialiter, hoc est castigatur delinquens inimicus, ut emendetur, & corripiatur. Et hoc est uincere in bono malum, ait ipse; nam bonum est castigatio illorum, qui de se non emendantur, & corriguntur. Deus autem, qui dicit, Matt. 5. Diligite inimicos uestros, & benefacite his, qui oderunt uos, &c. dicit quoque. Prouerbiorum 3. Quem enim diligit Dominus corrigit: flagellat autem omnem filium, quem recipit. Et hęc semper intellige esse facienda auctoritate publica, debitis medijs. Vnde concludit Augustinus. Non ergò quęritur, nisi ut ille uindicet, cui rerum ordine potestas data est; & ea uoluntate uindicet, qua pater filium paruulum flagellat, quem per ętatem odisse nondum potest. Vnde D. Tho. secunda secundę, q. 108. ait Vindicationem esse uirtutem specialem, quę est pars iustitię; quando fit sine odio; non enim debemus in alium peccare; propter hoc, quod ille peccauit prius in nos; hoc enim est uinci à malo, quod Apostolus prohibet, loco suprà citato Noli uinci à malo, sed uince in bono malum, ut dictum est: nā si intentio uindicantis feratur principaliter ad aliquod bonum, ad quod peruenitur per pœnam peccantis, puta ad emendationem peccantis, uel saltem, ad cohibitionem eius, & quietem aliorum, & ad iustitię conseruationem, & Dei honorem, potest esse uindicatio licita, aliis debitis circunstantiis seruatis. hæc ille. Verum hanc uindictam exigere sine odio, sed charitate, hoc est zelo suæ correctionis, & Reipublicę utilitate, & quiete, hoc opus, hic labor est.

Quę autem à Doctoribus scripta inueniuntur, de quęrele executione, & uindicta quęrenda, sunt intelligenda de illo, qui est formaliter inimicus, idest renuit satisfacere, & emendam facere, sed persistit in inimicitia: uel de illo, qui damnosus, & inquietus est Reipublicę, ut dictum est, quamuis satisfactionem offerat. immò in similibus casibus peccant; qui eis patrocinantur, & impediunt, ne Iustitia exequatur. Quę uerò dicuntur in quodam libello casuum conscientię, edito per patrum congregationem Bononię, ante Illustrissimum & Reuerendissimum Cardinalem Palæot. in congregatione 4. casu primo. intelligenda sunt, de eo, qui fragilitate quadam deliquit, & per seipsum emendatur, & corrigitur, & pacem quęrit; in quo casu merentur omnes, qui se intromittunt, ad illam effectuandam; non enim dictorum patrum rationes procedunt in eo, qui solitus est mala perpetrare, tanquam pertubator pacis, & damnosus Reipublicæ.

Dubium. Secundo quęritur, an tenens odium, & nolens remittere, hanc orationem Dominicalem dicere possit, relinquendo hanc particulam, (sicut & nos dimittimus) seu totam quintam petitionem? Respondetur, quod talis frustra orat, ut sibi prodesse possit: nam quod ore silet, corde loquitur, & mentitur coram Deo: nam Deus peccatores obstinatos non exaudit. Itaque necessarium est, ut orans, omni modo relinquat fraternum odium, si uult, ut oratio suum sortiatur effectum, dum orat pro se in particulari, si autem orat in forma Ecclesię, in cuius persona loquitur; ut sacerdos celebrans; quamuis sibi non prosit: non tamen mentitur, quia Ecclesia libenter ignoscit, & exauditur.

37 *Modus utilis in diuisione secundum Gerson.* Concludendo igitur, omnia supradicta, orando, dicere possumus cum Ioanne Gersone Cancellario Parisiensi, super hoc scribenti, Pater Noster. Ego primo sic dimitto debitoribus meis, dum sunt uiatores; quod nullo modo, uellem eos fore dānatos, sed desidero eorum salutem, te auctore inspirante, & auxiliante: sicut ergo dimitto illis, ita tu pater dimitte mihi, quia cum tali desiderio

derio non timeo damnari. Secundò, sic dimitto debitoribus meis, quòd ita uellem eos esse bonos, modestos, temperatos, & ab omni macula correctos, & à peccatis conuersos, ut ne sibi ipsis, uel alijs nocerent, sed prodessent, ne sua insolenti, & praua uita, damnentur. Sicut ergo dimitto illis, desiderans illis bona, ne damnentur, ita dimitte mihi, gratiam infundendo, ut me conserues in bona disciplina, vt saluer.

Tertiò, Sic dimitto debitoribus meis, ut vbi nolint corrigi à uia sua praua, per tuam remissionis mãsuetudinẽ, corrigantur per flagella temporalia, secundum tuam sapientiam, ne deteriores fiant, mala semper committentes, & aliis nocentes, in suis malis adinuentionibus moriantur. Sicut ergo dimitto illis, remanente desiderio, ut puniantur temporaliter, cum pietate, & mansuetudine, ut emendentur, & corrigantur, ita dimitte mihi debita mea, pro quibus, orando, dico, hic vre, hic seca, ut in æternum parcas, me misericorditer corripiendo in hac uita, ne peream in alia uita.

Quartò. Ego sic dimitto debitoribus meis, ut sensus mei non irascantur, contra eos uindictam quærendo, ita pater noster, dimitte nobis, ut non irascatis contra delicta nostra, neque vindictam sumas de peccatis nostris, sed cesset Ira tua, & miserearis nostri.

ET NE NOS inducas in tentationem. Postquam orauimus pro malis præteritis, idest culpæ reatu, ut nobis dimittatur in hac sexta petitione oramus pro malis præsentibus, idest tentatione ad peccandum, quæ est occasio recidiuandi: conuenientissimè nunquam hæc sexta petitio sequitur quantum, nam cum impetrauerimus culpæ remissionem, & gratiæ adeptionem, necesse est si ad cæli Regnum ingredi uelimus, ut habeamus gratiam perseuerantiæ, qua resistimus tentationibus. Vita etenim nostra in hoc mundo se habet sicut nauis in medio maris, subiecta multis periculis: sunt enim in hoc mari magno, & spacioso reptilia, quorum non est numerus, & animalia pusilla cum magnis, idest diuersa tentationum genera, quas euadere difficilimum est: ideo petimus orando patrem nostrum, ne succumbamus in tot tentationes, & pereamus. Et quia non sufficit in hac oratione tantum uerba fundere, sed sagaciter laborare, ne incidamus in tentationem. Vt autem tentationum modos, & tentatoris fraudes intelligamus, digrediendum est aliquantulum. Pro qua re sunt multa aduertenda. Primò, quid intelligimus nomine tentationis. Secundò de modis tentationum. Tertiò de specialibus Diaboli astutijs. 38

Gratia perseuerantia est nobis necessaria qua continetur in hac petitione, Et ne nos inducas, &c.

Quantum ad primum: Tentare nil aliud est, quàm probare, idest de aliquo experimentum facere. Vnde ut ait D Thom. prima secundę, q 114. ar. 2. Tentare attribuitur Deo homini, & Diabolo, aliter, & aliter. Tentat Deus, ut erudiat. Tentat homo, ut sciat. Tentat Diabolus, ut seducat. Sed est differentia inter Deum & hominem: Deus enim tentat, ut experiatur aliquid non in se, cum omnia sciat; sed in alijs: unde tentauit Deus Abraham, non ut experiretur, si obediens erat suis mandatis: hoc enim ab æterno sciuit; cum omnia nuda, & aperta sint oculis eius, sed ut de tentato aliquid scire faceret, ut per ipsam tentationem mundus erudiretur. dixit namque: Nunc cognoui, quòd timeas Deum, idest cognoscere te feci apud alios: per illum enim actum, cognouit mundus Abrahæ obedientiam, & fidẽ. Tentat homo, ut sciat, quod ignorabat: experimentum enim facit homo, tentando, de aliqua re, quam nescit ita esse. Tentat Diabolus, ut seducat, idest, ut hominem tentatum, ad peccatum inducendo, reprobum faciat. Sic enim ait Petrus Actuum quinto. Cur tentauit cor tuum Satanas, mentiri Spirituisancto? Hoc etiam modo, carnem tentare dicitur: ait enim Iacobus Apost Epistola 1. Vnusquisque tentatur à concupiscen-

Quid intelligamus per tẽtationem.

Tentat Deus ut experiatur in alijs.

Tentat Homo ut sciat.

Tentat Dæmon, ut seducat.

Tentat Caro.

Tentat mundus. ria sua abstractus,& illectus. Mundus quoque tentare dicitur:dicitur enim Sapien 14. Creaturæ Dei factæ sunt,in odium,& tentationem. Et Paulus ad Hebræos 11. Lapidati sunt,secti sunt,tentati sunt. Cum ergò tentatio sumi possit in bonum,& in malum;in hoc loco sumitur in malum:& ideo petimus,ut non inducamur in eam. *Nota pulcherrima & consideratione digna.* Tentat enim nos Caro, Mundus,& Diabolus:vndique parantur nobis insidiæ:insurgit enim contra nos Caro, trahit nos Mundus, insidiatur Diabolus,suggerit Caro voluntatem,Mundus vanitatem,Diabolus iniquitatem. Caro mollia,Mundus inania, Diabolus mortifera offert. Caro infestat per lasciua desideria, Mundus,per prospera, & aduersa, Diabolus,per vitia,& peccata. Quoties tentatio mentem pulsat cum importunitate,de cibo,& potu, ceterisque similibus ad corpus pertinentibus,Caro loquitur:Cum autem mala cogitatio in corde versatur de seculi ambitione, iactantia, arrogantia, & similibus, Mundus clamat: cum verò cor ad Iram, animi turbationem,vel simile prouocatur,Diabolus suggerit. Isti ergo tres inimici nos impugnant,nũc occultè,nunc manifestè, semper autem malitiosè. Cognoscens igitur Christus Dominus noster, & præceptor, in quantis tribulationibus uita nostra versetur, propter uarias tentationes, docuit nos confugere ad Patrem Cælestem,vt non inducat nos in tentationem,idest in tot,& tam uaria pericula,& hæc de primo.

39 *Modi tentandi.* Quantum ad secundum, scilicet de modis tentationum, dicamus breuiter. Quantum ad causam efficientem,de qua in proposito loqui conuenit: Magister Senten.in 2.distin.21.duos modos ponit,scilicet tentationem exteriorem, & interiorem. *Tentatio exterior.* Tentatio exterior est ostensio alicuius obiecti sensibilis,facta à virtute exteriori,verbo,vel signo, vt apprehendens illud ad peccatum alliciatur,& tentatus ad consensum inclinetur. *Tentatio interior.* Tentatio interior est motio quædam facta in interiori parte hominis,idest,in parte sensitiua à virtute interiori, scilicet imaginatiua,vel motiua, ad consensum peccati. Hæc autem quandoque fit à carne,quandoque ab Hoste maligno. A carne fit, dum virtus concupiscibilis,vel irascibilis mouetur quodam motu inordinato ad actus illicitos, & fomitis corruptione. Ab Hoste maligno fit,quando ipse Dæmon mouet quasdã species reseruatas in nostra imaginatiua, seu in memoria apparentes: vt illis præsentatis nostræ uoluntati;homo moueatur ad consentiendum dictis impuris cogitationibus,& sordidis,vt postea opere exerceat. Et quandoque mouet carnem,ut suprà,excitando concupiscibilem,& irascibilem ad prædicta, vt ait Paulus: Datus est mihi stimulus carnis meæ,Angelus Satanæ, ut me colaphizet. Et ad omnia mouetur homo,vel propter cupiditatem,vel propter timorẽ. Vnde August. Videte,vtrum possint esse peccata,nisi aut concupiscendo,scilicet delectabilia:aut timendo,scilicet tristia,& aspera. Quarum tentationum respectu,multitudine peccatorum grauati resistimus illis tentationibus, quæ fiũt per blanda,& delectabilia,quàm illis,quæ fiunt per aspera,& tristia. Ideo Boetius,lib.2.de Consol.Philosoph.magis commendat fortunam aduersam, quàm prosperam:eo quod aduersa sagax, & prouida sit,prospera autem cæca, & sui semper ignara:quod apud homines sensuales, & sine iudicio durum apparet: *Dei recordamur magis in aduersis, quã in prosperis.* sed experientia prudentes aduertere facit;videmus enim, nos potius recordari de Deo in aduersis,quam in prosperis:dum autem in prosperitate homo viuit, obliuiscitur, & Dei,& suipsius. *Tentatio tripliciter fit.* Fit autem supradicta tentatio tripliciter, ait Gregorius,super Euangelium Matthæi. Ductus est Iesus in desertum,ut tentaretur à Diabolo. Scilicet,suggestione,delectatione,& consensu. Suggestio fit per Dæmonem,uel per hominem peruersum,mouentem concupiscibilem, vel irascibilem,per obiectum delectabile,uel tristabile,ipsi imaginatiuæ oblatum,

vel

vel saltem loquendo, quo ad hominem: vel mouendo similes species in imaginatiua reseruata, intelligendo quo ad Dæmonem, excitando dictas potentias, scilicet irascibilem, & concupiscibilem: quod genus tentationum fit ab extrinseco. Cui tentationi quandoque dictæ potentiæ, scilicet Irascibilis, & Concupiscibilis, non consentiunt: quod fit, quando homo circa obiecta illata, & repræsentata nullum motum concupiscentiæ, uel iracundiæ sentit: & tunc hæc tentatio foris tantum dicitur facta. Hoc modo fuit tentatus Christus Dominus noster à spiritu in deserto, per repræsentationem panis, sub specie delectabilis; quia suasit exterius, ut comederet. Sed eius potentia concupiscibilis, nullo modo mota fuit à tali obiecto; nullum enim motum concupiscentiæ inordinatum sensit Christus in se; quia erat summè regulatus in suis potentijs sensitiuis. In ceteris autem hominibus in peccato conceptis, hæc regula non inuenitur, propter defectus naturæ, ex Adæ peccato traductæ: nisi esset homo fortiter gratia munitus, vt fuit Virgo Maria, Ioan. Baptista, & multi alij Sancti. Secundum genus tentationum, est delectatio in parte sensitiua: & hoc fit, quando per suggestionem foris factam, ut dictum est, ad apprehensionem obiecti oblati sensualitas mouetur motu inordinato, & delectatur in illo. Hoc autem sæpè accidit in nobis, ob carnis corruptionem, & naturæ defectum, ex peccato Adæ traductum, ut dictum est. Hæc quidem delectatio in parte sensitiua tantum facta, est peccatum veniale: non enim coinquinat hominem culpabiliter, sed tantum habet rationem peccati, inquantum ratio deberet illum motum inordinatum refrænare ex debito, cum sit potentia superior, cuius officium est alias potentias dirigere; quod non faciens, peccatum quodammodo illi imputatur: sed quia talis motus oritur ex surreptione, & inaduertentia, ueniale est. Tertium genus tentationis est, quando delectatio, uel tristitia causata ab obiecto foris oblato, ut dictum est, auertitur à ratione, & non reprimitur, sed acceptatur: quod fit, dum per intellectum cognita, uoluntati repræsentantur, & illa consentit, tunc peccatum consummatur; idest consentiens peccat mortaliter. Per primos duos actus, idest primas duas tentationes, dicitur, propriè tentari; per tertium autem actum dicitur, hominem in tentationem induci, idest labi, & succumbere: quod tertium, ut auferatur à nobis, oramus Deum, ut non permittat nos succumbere in talibus tentationibus. Hæc autem tria genera tentationum fuerunt figurata in primo homine, dum tentatus fuit in paradiso uoluptatis, scilicet à Serpente, Muliere, & Viro: serpens enim foris suggessit, mulier delectando in pomo, comedit, uiro suasit, ut comederet, vir autem consentiendo, peccatum consummauit; nisi enim ipse comedisset, comestio Euæ paruum, aut nullum damnum generi humano attulisset: Adæ namque, & non Euæ datum fuit præceptum; ideo ipsi peccatum imputatum fuit principaliter. Serpens significat suggestionem, per hostem Diabolum foris factam, obiectum offerendo, & mulieri suadendo, ut comederet, idest mouendo sensualitatem significatam per mulierem, ut obiectum præsentatum concipiat, & in eo delectando se firmet. Vir significat uoluntatem, quæ spirituale quoddam coniugium habet cum appetitu sensitiuo, propter connexionem naturalem inter carnem, & spiritum; propter quam appetitui sensitiuo præesse debet, & illum regere, & mouere, secundum dictamen rationis, ut vir regit vxorem. Itaque, dum aliquis labitur in aliquod mortale, his tribus actibus consũmatur, scilicet, Serpente, Muliere, & Viro. Primo namq; fit suggestio per sensus exteriores præsentantes obiecta: tolle sensus, & tolles peccatum: nihil enim est in intellectu, ait Philos. nisi fuerit prius in sensu, ad quæ obiecta si cupiditas nostra non moueatur, iam serpentis excluditur astutia, si autẽ mota fuerit, iam mulieri persuasum erit; & si ultrà sensualitas in illis delectetur;

Suggestio fit foris.

Delectatio fit intra.

Consensus fit in uoluntate.

delectetur; iam mulier comedit: quam delectationem si ratio deprimit, iam mulier sola comedit, & peccatum transgressionis euadit; quia soli uoluntati præceptum datur, quòd si uoluntas illi delectationi consentit; iam uir cum muliere comedit, & tunc peccatum consummatum erit; licet factum non sequatur. Et hæc est ruina hominis, non resistere motibus sensualitatis.

Quid ergo expectandum est, nisi vt à Paradiso voluptatis expellantur? idest à beata gloria, & cælesti Regno excludantur? Ab hoc igitur vltimo cauendum est. In duobus primis tentamur quidem, sed non inducimur, dum autem per ultimum actum consentimus, tunc inducimur in tentationem, quæ inductio est nostra ruina, eo quòd expoliamur Dei gratia, ac omnibus aliis donis, ac denique excludimur à Paradiso, & Regno Dei. Ne igitur priuemur tantis bonis, orando, instanter dicamus. Et ne nos inducas in tentationem. Sed nota, quòd per hanc petitionem, Christus non docuit nos petere, ne tentemur, sed ne succumbamus tentationi; vita etenim nostra, dum est in hoc mundo, ait Augustin. laboribus plena est, & erumnis; atque flagellatur in malis, ne extollatur in bonis; & cum hoste semper pugnat. Itaque sine tentationibus duci non potest. Immò expediens est nos tentari, ut exercitemur, si enim tentationes non essent, Fortitudo, Constantia, Patientia, & ceteræ virtutes, quomodo monstrarentur esse in nobis? Et si quidem essent, & non exercitarentur, quomodo manifestarentur, & augerentur? Virtutes enim morales sunt moderatrices passionum in nobis, sublatis itaque passionibus, quæ tentationibus excitantur, subdita esset omnis occasio exercitandi uirtutes. Vnde Apostol. ad Roman. 5. Gloriamur in tribulationibus, scientes, quia tribulatio patientiam operatur; patientia autem probationem, probatio uerò spem; spes autem non confundit. Et Iacob. Epistola prima. Omne gaudium existimate fratres, cum in uarias tentationes inciderimus; scientes, quod probatio fidei uestræ patientiam operatur. Et Angelus ad Tobiam. Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te. Itaque fructuosum est aliquando tentari: non enim sibi quisque innotescit, nisi tentatus: ait enim August. Dum huius uitæ infirmitatem gerimus, si tentationes, & passiones nullatenus habemus, non rectè uiuimus. Expediens est ergo aliquando tentari, non enim coronabitur, nisi qui legitimè certauerit, nec certari potest, nisi adfuerint inimici tentatores. Expediens est igitur tentari: si enim bella desunt, virtutum signa non agnoscentur. Expediens est, aliquando tentari, non enim vtile foret, nos nunquam tentari, qui enim non uisitatur à Deo per aliquas tentationes, malè de eo certè iudicandum est. Et ideo non est orandum, ut non tentemur, non enim id nos docuit Christus, sed ut non inducamur in tentationem, idest non uincamur: Tentatus fuit Iob, tentatus Ioseph, tentata fuit Susanna, sed non inducti fuerunt in tentationem, omnes enim uicerunt. Vnde Cyprianus ait: Non petimus, ne ducamur; sed ne inducamur in tentationem: aliud est enim duci, & aliud induci, Duci est, tentatione pulsari, & titillari. Induci autem est à tentatione uinci, & superari, per consensum præstitum. Diabolus enim non cogit; quia tale facere nequit, sed suadet, nostrum est consentire. Caro insurgit impetuosè, non tamen nos prosternit, nisi uelimus. Mundus sua inani uoluptate trahit, sed non uiolentat; nostrum est, assensum præstare. Verum quia uoluntas nostra, propter affinitatem, quam habet cum sensualitate, facilè ab ea inducitur ad consentiendum appetitui sensitiuo; unde prædictis tentationibus resistere non ualet sine dono gratiæ perseuerantiæ, ideo petimus ne inducamur in tentationem. Vel aliter dicamus, ex eo quia, multis rationibus expedit nos tentari, & nostræ uoluntati non confidimus,

Tentari quādoq; expediēs, & vtile est.

cum

cum sit imbecillis, inermis, & vulnerata, ideo petimus, ne inducamur in tentationem, idest ne sit tam fortis tentatio, ultra nostras uires, ut succumbamus. Itaque dicamus Pater noster, & si permittis nos tentari, ut exercitemur, nihil enim fieri potest, sine tua permissione, tamen rogamus te, ut non permittas, ut à tentatione uincamur. Vel aliter. Ne nos inducas in tentationem, idest non subtrahas à nobis auxilium gratiæ tuæ, quo roboremur, & fortiter, tentationibus resistamus, Da nobis uirtutem patientiæ, ut mala patienter sustineamus. Da uirtutem fortitudinis, ut resistere possimus. Da uirtutem constantiæ, ut tandem tentationes uincamus. Et specialiter, orando, petamus à Deo. ne nos inducas in concupiscentiæ tentationē, ne nos per uoluptates absorbeat. Ne nos inducas in Mundi tentationem, ne per cupiditatē, nos peruertat. Ne nos inducas in Diaboli tentationem, ne per iniquitatem nos perdat. Caro enim semper nos infestat, Mundus acriter inuadit, nunc per prospera, nunc per aduersa. Dæmon tandem mille suis fraudibus nos decipit. Vnde B. Antonius dicebat. Et quis poterit tot laqueos, quos parat, euadere; nisi tu pater noster adiuues nos?

Ideo quantum ad tertium, scilicet de speciebus Dæmonis astutijs, & insidiis quibus nos tentando decipere conatur, ut eas discoperiamus, & cōtra eas cautius procedendo, resistamus, & eas aduertendo caueamus, recitabo quasdam Dæmonis tentationes, ita fortes, & fraudulentas, ut nonnunquam etiam sapientes eis uicerit, quibus cognitis, mille alias fugiemus.

1. Tentatio est longa uexatio ducens in desperationem.

Prima est continua, & longa uexatio de aliquo uitio, per quam Dæmon intendit, si hominem non uicerit, eum saltem inducere in desperationem, dum enim homo super aliquo particulari diu se uiderit tentatum, & instanter, assiduèque à dicta tentatione liberari petierit; nec tamen quod petit, obtinet, quia tentatio durat, Diabolus inuadit eum ex alio latere, suadens ei, apud Deum de se curam non esse sed esse relictum in obliuionem, per subtractionem auxilij. Vnde infelix homo, hæc incautè cogitans, cadit in disperationem.

Ideo constanter, & perseueranter orare debet homo, quoniam etsi non exaudiatur, quo ad ablationem tentationis; exaudiatur tamen, quo ad constantiam resistendi, ut non succumbat: vt Paulus, cui responsum fuit, sufficit tibi gratia mea; nec deseritur, sed in fine sentit auxilium, ut beatus Antònius; qui cum a Dæmonibus diu laceraretur, in fine apparuit Iesus, qui Dæmones fugauit: cui Antonius, ubi eras o bone Iesu, quare non prius affuisti, ut me adiuuares: & Iesus ad eum, hic eram, sed expectabam finem tui certaminis.

2. Tētatio est cōtinua quies inducens in quattuor mala.

Secunda tentatio ex toto huic opposita est. scilicet continua pax, & tranquilla uita, absque ulla tentatione, in ijs maximè, qui affectant illam. Ista autem uita est adeo periculosa, ut ideo Ecclesia dicat. In pace amaritudo mea amarissima: nam ad talem pacem quattuor mala sequi solent. Primum est fatua securitas, qua negligitur Dei timor. Ad quem Apost. nos aduertit dicens: Qui stat uideat, ne cadat. Quod sæpè accidit ijs, qui non se custodiunt in fugiēdo pericula, nimis confidentes in tranquillitate passionum animæ. Vnde Eccle siast. 27. dicitur: Nisi instanter te tenueris in timore Dei, cito subuertetur domus tua, idest conscientia. Secundum est pigritia, siue ignauia, qua in Diaboli dormitorio, homo somno grauatur, quo ad benè operandum, ut facilè mentis uires rubigine consumat; mens enim, quæ tentatione stimulatur, à somno pigritiæ excitatur. Iuxta illud Psal. Multiplicatę sunt infirmitates eorum, postea accelerauerunt: Itaque, sicut ferrum exercitatione splendescit, & quiete rubigne impletur: ita anima exercitationibus uirtutum clarescit apud Deum,

Primum malum est fatua securitas.

2. Malum est pigritia in bene operando.

3. Malum est ignorãtia propriorum defectuum.

4. Malum est contemptus fraternæ fragilitatis.

Deum, & otio obscuratur. Tertium malum est ignorantia propriorum defectuum, qua credimus, non sentiendo ullas tentationes, non esse fortissimos, & sanctos, Angelorum custodia uallatos, ita, ut Diabolus nos audeat nos tentare; ad quod sequitur quædam elatio, & confidentia nimia. Ex hoc sequitur quartum malum, quod est contemptus fraternæ fragilitatis; qui enim talem pacem continuam in se diutius sentit, illos spernere solet, quos grauiter tentari uidet, non bonum est, inquit, has tentationes Christianum habere; & ideo illos malos, & uiles esse iudicat. Et quandoque hi tales incidunt in talem amentiam, ut putent non esse ijs commiserendum, qui grauibus tentationibus agitantur: unde dum eis deberent compati, & eos adiuuare, cum eis dedignantur associari, dicentes cum Pharisæo; Recede á me, quia ego sanctus sum. Hæc autem tentatio est periculosissima; tales enim ita in se confidentes, incidunt in maiora, dum enim postea Diabolus eos inuadit, inuenit inermes, & dormientes in eorum ignauia; unde facilè eos decipit. Quandoque talis pax est signum pessimi mali, ideo namque Diabolus quandoque relinquit eum in pace, & tranquillitate passionum, qui eum induxerat in aliquem magnum errorem, in illum tenet sopitum; de quo errore, ut homo non aduertat, & pœniteat, eum non conturbat tentando, sed semper bona suadet, in quiete, & pace, ut error maneat sepultus; qui sufficit eum ad barathrum adducere. Legitur enim de quadam persona Religiosa, quæ peccatum fornicationis ob uerecundiam noluit confiteri, putans suasione Dæmonis illud deleri, per magnam interiorem pœnitentia, quę reliquum uitæ suæ ita uixit in pace & deuotione, vt iudicaretur sancta ab alijs: & in illo errore mortua, Deus manifestauit suam damnationem, ipsa igitur infelix, dum se uideat in pot tu esse, iudicàbat se esse in Dei gratia, & decepta fuit, ita in similibus dici potest.

Pax animi quãdoque arguit malum signum.

3. Tentatio est mutatio status.

Tertia tentatio est, quando Diabolus suadet homini, ut mutet statum; utitur enim aliquãdo astutia piscatorum, qui uidentes pisces tutos manere in suis receptaculis, ex quo eos capere non possunt faciunt quendam strepitum, & rumorem sonitus in aqua, ut ex hoc exeuntes pisces, præ timore fugiendo, incidant in retia parata. Ita Dæmon uidens aliquem bene se habere in aliquo statu, ubi quietam, & securam uitam ducit, ex quo non potest eum lædere insurgit quibusdam submissis tentationibus, uel suadendo sub specie religionis, seu alterius boni; uel terrendo, & conturbando per seipsum, aut per alios, ut statũ mutet, transferendo se de una Religione in aliam, uel de una uita in aliam, uel de uno loco in alium, ubi eum melius tentare possit, sciens, & cognoscens, illum non ita tutum esse in alio statu, aut loco, unde possit eum uincere, & perdere.

4. Tẽtatio est suasio alicuius boni, ut inde malum inducat.

Quarta tentatio est, quando Dæmon homini suadet, ut faciat aliqua opera bona, excedentia uires eius; reducendo in memoriam exempla Sanctorum & opera heroica perfectorum, ipsis improportionata, propter eorum imbecillitatem, & imperfectionem, puta ut multiplicent ieiunia, abstinentias faciant indiscretas, uigilias, & disciplinas, & alia religiosa opera, & exercitia insolita, & difficilia faciant, ex quibus postea reddantur impotentes, & inhabiles ad obseruantiam præceptorum communium, uel suæ Regulæ: Vnde, quãdoque in tantam impatientiam ueniunt, ut totum pristinum bonum amittant, & deteriores fiant. Et si fortè sunt Religiosi, ita per opera indiscreta, & extraordinaria, inhabiles fiunt, & destructi sua complexione, ut postea non solum quæ sunt Religionis, & suæ Regulæ debita, facere non possint, uerum etiam sibi inutiles fiant, & aliis onerosi. Sufficit ergo præcepta communia, & Regulæ obseruare; opera autem supererogationis, & quę sunt de consilio, laudabile est facere;

acere; sed quantum complexio,& vires patiuntur; nam indiscreta sunt vitiosa.

Quinta tentatio est huic opposita:& est,quando quis tentatur super aliqua re, tam enormi,uel stomachosa,uel extranea,ut dum cogitat nunquam audisse aliquos in tali,uel simili re deformi esse aliquando tentatos, admiratione commotus,uenit in hanc dementiam,ut iudicet,se non esse in Dei protectione, & cura; sed esse derelictum, tanquam malum Christianum: propter quod nimis expauescens de tali tentatione,iudicando,se esse solum in huiusmodi, quasi desperatur de auxilio Dei. *5. Tentatio inducens in desperationem.*

Sexta tentatio est, dum Diabolus suadet sub specie boni zelo charitatis, ut faciat quædam, quæ saluti sunt periculosa: puta sub prætextu pietatis, scilicet dandi eleemosynas largas, aut alia opera charitatis faciendi, suadet, ut diuitias acquirat, sciens, hodie maximè negociationem esse nimis periculosam. Iuxta illud Apostoli. Qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueum Diaboli. Quandoque ut callidus insidiator impugnat aliquem per vitium, ex quo possit eum in his, ad quę inclinatus est facilè lędere, suadendo postea oppositum uitij, puta, tentabit aliquem in peccato Luxuriæ: deinde suadebit vt fortiter ieiunet, si talem tentationem euadere uelit, ut ex illo ieiunio extremo inducat eum ad aliquam dementiam, aut iracundiam, uel aliam infirmitatem, ad quam cognoscit illum esse inclinatum: & consequenter facere eum inhabilem ad benè operandum, tam pro se, quam pro aliis; & ita in similibus. *6. Tentatio est suasio alicuius rei periculosa, sub zelo religionis.*

Septima tentatio est, dum suadet aliquod uitium, peccatum,& errorem,sub specie alicuius actus uirtuosi, ad instar falsi mercatoris; qui sicut uendit auricalcum,pro auro mundo, uitrum coloratum pro lapide pretioso, idest uitrum uiride pro smaragdo, rubeum pro hiacinto, & similia: ita Dæmon suadet cupiditatem acquirendi,& auaritiam,quæ est radix omnium malorum sub prętextu prouidentiæ: suadet nimiam remissionem in delinquentibus, sub prætextu pietatis; ex quo fiunt subditi magis licentiosi ad mala perpetranda: suadet quandoque nimiam crudelitatem sub prætextu iustitiæ; uel suadet immanissimum fauorem; sub prætextu rectitudinis, & similia: sicut enim in istis, ita in aliis vitiis est quædam umbratica species, & fallax imago uirtutis, quibus nos decipere potest, si non fuerimus cauti, & prudentes. Nec ista solum aduertere debemus; sed & multa alia his similia: sunt enim innumeræ aliæ insidiæ,quibus nos tentare non finit; nam, etsi per unum iaculum nos ferire non ualet, sumit & aliud contrarium. Igitur uigilemus, quia si tanquam leo rugiens deuorare non ualet, idest aperto marte vincere,& ad peccata trahere:tanquam latens Auguis in herba, nos mordere conatur, idest insidietur occultè sub specie boni, & zelo charitatis, ut ad se nos trahat. Considerantes igitur quot, & quas insidias paret Diabolus, ut nos capiat, oremus ad Deum patrem ut ne nos inducat in tentationem: quia in nobis non est, unde tantis, & talibus impugnationibus resistere possimus; Vnde tam multiplices, & diuersos laqueos deprehendamus; unde tot tela caueamus. Ne Pater Clementissime nos inducas in tentationem; idest fac, ut noster aduersarius contra nos non pręualeat. Et ne nos inducas in tentationem; si expedit tentari, ut per tentationes à peccatis purgemur,& nostram infirmitatem cognoscamus,& cognita humiliemur non permittas,ut tentatio nos uincat,sed per tui assistentem gratiam,fit meritorum,& victoriæ cumulatio:tu enim es ille fidelis Deus,& Pater noster,qui non permittis nos tentari suprà id quod possumus.Da ergo cum tentatione prouentum. *7. Tentatio est suasio alicuius peccati sub specie actus virtuosi.*

SED

40 SED LIBERA NOS à malo. Hæc est septima, & ultima petitio secundæ partis principalis huius orationis: in qua petimus liberari à malis futuris, quæ undique imminent. Pro qua re est aduertendum; quòd malum est duplex, quo ad propositum, scilicet culpæ, & pœnæ. De malo culpę dictum est supra: sed hic petimus de malo pœnæ imminenti tam in hoc seculo, quam in futuro. In hoc seculo multa mala nobis imminent, quorum timor, ne adueniat, nos conturbat, & totum hoc propter defectus in quos incurrimus ex peccato Adæ: nos enim ab origine nascimur filij Iræ, idest in peccato originali, propter quod inhabiles sumus ad uirtutum exercitia, ob donorum gratuitorum amissionem; proni ad uitia, & peccata, ob naturæ vulnerationem, & fomitis inclinationem. Quis non admiraretur, si specialiter consideraret miserias, & pęnalitates, in quas incurrimus, propter culpam nostrorum parentum; quarum aliquæ sunt spirituales, aliquę corporales. Pœnalitates spirituales sunt, quæ se tenent ex parte potentiarum animæ, ut sunt quo ad partem superiorem, memoria, intellectus, & voluntas; quarum, quęlibet est defectuosa; Memoria namque est inepta, & labilis, ex qua oriuntur fędæ, & inutiles imagines, & obliuiones rerum utilium, & necessariarum, quæ incommoda labores, lites, & discordias non patitur homo, propter defectum memorię? Intellectus est hebes, & cæcus; ex quo oriuntur mille falsitates; in quos errores non cadit homo, propter intellectus ignorantiam? Voluntas est prona ad malum, ex qua oriuntur, timor, tristitia, sollicitudo, inordinatum desiderium, & similes aliæ affectiones, est etiam inconstans, ut nunc uelit oppositum: quas inquietudines non patitur homo, propter uoluntatis inconstantiam? Quo ad partem inferiorem; uirtutes quoque sensitiuę sunt plenę pœnalitatum; Virtus enim appręhensiua, quid aliud appetit, quam nociua, uitiosa, contra rationis iudicium, & uoluntatis imperium, propter malam inclinationem, ex fomite causatam. Ex quibus in homine oritur continua pugna, & rara uictoria, implacabilis controuersia, & confusio magna, ita ut infelix homo non sit sibi constans, quæ maior miseria? Adsunt quoque pœnalitates corporales, & quantum ad uirtutes animales interiores, ut sunt manię, melanconiæ, furię, phreneses, & huiusmodi, & quantum ad uirtutes exteriores, ut sunt indispositiones organorum, scilicet lippitudo, & cæcitas oculorum; surditas aurium; tarditas odoratus, & gustus; atque grossa terrestritas tactus. Quantum autem ad uirtutes naturales, sunt innumeræ ægritudines, & malæ complexiones, naturalium uirium deordinationes, & monstruositates, & quos dolores, labores, & calamitates non patitur hoc corpus nostrum? Ex quibus omnibus solicitamur ad nostri perditionem. Itaque non sunt mala, quę nõ experimur, uel expectamus. Quod cernens, & meditans B. Ambrosius aiebat: Malis hæc uita plena est, ut eius comparatione, mors potius remedium esse putetur, quam pœna. Neu sine magna sapientia fecit Deus hanc uitam esse breuem, iuxta illud Iob decimoquarto. Homo natus de muliere, breui uiuens tempore, repletur multis miseriis; qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit uelut umbra, & nunquam in eodem statu permanet. Et Apost. ad Rom. 7. ait Nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus; intus timores, foris pugnę. Et iterum; Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantẽ me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Respondet, gratia Dei. Ideo orando, petamus liberari à tantis malis, dicendo libera nos à malo. Verũ orãdo nõ petimus ita liberari ab his malis, ut Deus omnes illas tribulationes, & miserias à nobis penitus auferat; quia conditio nostræ naturæ hoc non patitur; nec status

Septima, & vltima petitio. *Aduertendũ* *Pœnalitates spirituales, in quas incurrimus p peccatum Adæ.* *Memoria.* *Intellectus.* *Voluntas.* *Apprehẽsiua.* *Appetitiua.* *Pœnalitates corporales, quantum ad virtutes animales.*

41 *Quo petimus liberari a malis, & à quib.*

tus huius uitæ hoc exigit; neque nobis proficuum esset, ut dictum est de tentationibus.

Sed oramus, ut tales miseriæ, & pœnalitates moderentur, & mitigentur; ne ipsis oppressi, nimia fatigatione, in manus malum declinemus, scilicet culpæ: istæ namque pœnalitates, imperfectiones & miseriæ, hoc malum habent, quòd eorum possessores quandoque sub earum sarcina suffocantur; sicut nauis nimis onerata in maris tempestate ab undis absoluetur. Petimus Secundo liberari à malo pœnæ in futuro seculo: quæ pœna duplex est, scilicet Purgatorij, & Inferni. à malo inferni liberari petimus, non ut ab illo liberemur postquam inflictum esset, quia in Inferno nulla est redemptio: Dicit enim B. Gregor. quisquis ad toleranda mala inferni descenderit, nequaquàm ulterius ad lucem redibit, quia nequaquam ulterius misericordia patientis liberat, quos in locis pęnalibus iustitia iudicantis damnat: sed ideo petimus ab illo malo liberaui, ut in illo non inuoluamur: quod idem est, quam liberari à culpa præsentis uitæ, per remissionem peccatorum, ut in sexta petitione diximus.

Vnde cum hoc modo petitio hæc incideret cum illa: ideò de Inferno non opus est hic loqui. Petimus ergò liberari à malo Purgatorij, idest à pœnis, quæ ibi patiuntur: & hinc est proprius sensus: quia cum in hac uita, non ad plenum pro peccatis nostris satisfaciamus, sed differimus vsque ad futurum seculum, reseruantur nobis hæ pęnæ in purgatorio soluendæ, & luendæ: quod malum satis nos terret; sunt enim illæ pœnæ non minus atroces, quàm pœnæ Infernales; pręterquam quòd non sunt æternæ sicut illæ. Igitur cum omnem pœnam euadere non ualemus, exigente iustitia Dei ad plenum, oramus, ut saltem misericordia Dei partem aliquam de illa pœna minuat, dicentes, Libera nos à malo, idest à pęna purgatorij debita, illam mitigando, uel minuendo. Vel dicamus, & melius. Libera nos à malo, idest per auxilium gratię tuę, da ut fructuosè in hac uita pęnitentiam agamus de peccatis nostris, sponte satisfaciendo, ut sic ab illo malo Purgatorij liberemur. Vel aliter & fortè melius. Cum ista mala, quando in hac uita patimur, qualiacunque sint, siue infirmitates, siue aduersitates, persecutiones, siue alia flagella, pro peccatis nostris à Deo inflicta, patimur: unde si patienter illa sustinemus, liberant nos, & absoluunt à malo cuius pro peccatis commissis, & dimissis, & nondum ad plenum satisfactis, in purgatorio satisfaciendis debitores sumus: ideo petimus, ut dicta mala, quæ sustinemus, in partem satisfactionis acceptentur, Dicendo: Libera nos, malo, idest da nobis uirtutem patientię, ut flagella, & tribulationes, quæ in hac uita patimur, patienter sustineamus, sintque accepta in partem satisfactionis, pro pęccatis debitis in alia uita, ut à malo Purgatorij liberemur.

Potest ergò mens deuota, meditando, sic Orare: Pater noster clementissimè qui es in cælis. Libera nos à malo, in quod incurrere possumus propter defectus potentiarum animæ tam in parte intellectiua, quam sensitiua, Libera nos ad omnibus malis, quæ nobis imminent, propter pronitatem naturę defectuosæ, in quę facilè incidere possumus, ne tantis pœnalitatibus oppressi, ut nauis nimis onerosa submergamur in hoc mari tribulationum, per impatientiam, & desperationem. Libera nos à malo Purgatorij pro pęnis debitis, illas mitigando, uel minuendo, supplente tua misericordia partem satisfactionis, Libera nos à malo dicti purgatorij, per flagella, & tribulationes, quæ hic patienter sustinemus, ut te miserante, recipiamus beatitudinem, dum Regnum tuum aduenerit. *Recapitulatio dictorum.*

AMEN.

AMEN. Hęc est tertia & ultima pars principalis huius orationis, quæ dicitur Conclusio omnium prædictorum: per quam unicam dictionem, optamus, ut oratio exaudiatur apud Deum Patrem nostrum. Pro quo notandum est, quòd hæc dictio (Amen) ut ait August. lib. 2. de Doctrina Christiana, est dictio Hebraica, sicut alleluia: utimur autem eis in Hæbraico, non quia non potuissent traduci in Latinum, ut accidit in his actionibus, scilicet Osanna, & Racha, quę, cum sint interiectiones, traduci non valent: sed hoc fit propter sanctiorem auctoritatem, seruando antiquitatem. Hæc ergò dictio, Amen, tripliciter sumitur.

Nota.

Amen tripliciter sumitur.

Primo nominaliter, & hoc modo tantum valet, quantum, (Veritas, seu verax) sic accipitur Apocal. 3. vbi habentur hæc verba: Hæc dicit, Amen, idest veritas, testis fidelis, & verus. Secundo accipitur, verbaliter: & tunc tantum valet, quantum (fiat) & hoc modo accipitur communiter in fine cuiuslibet orationis, per quod verbum exprimitur desiderium orantis, quod desiderat, ut adueniat, quidquid per orationem petitum est: dum enim, orando petimus aliquid, in fine dicitur, Amen, idest, fiat per tempus pręsens optatiui modi. Tertio sumitur aduerbialiter, & tunc est nota affirmationis: & hoc modo sæpè sumitur in Euangelio: dum dicitur. Amen amen dico vobis, idest, veraciter, seu in veritate dico vobis. Ita dicit Ambrosius. & habetur de consecrat. distinct. 2. Can. Reuera circa fin. Ita accipitur hic, secundum multos; vbi Sacerdos celebrans tacitè respondet Amen, Postquàm Populus dixit: Sed libera nos à malo, vt sit sensus: Amen, idest, ita est, seu verum, est, s quod per orationem petimus, Dominus nobis concedit: Dominus enim, ait Rabanus, indubitanter tribuit, quòd iustè, & ritè petitur, & si conditio addita fideliter adimpletur scilicet, Dimittimus debitoribus nostris. Sed quare Sacerdos dicit Amen, & non populus, vel clerus astans, sicut in aliis orationibus? Respondet Guilielmus in Rationali: quia cum ipse sit mediator inter Deum, & populum, offerens Deo vota populi, magis conueniens est, ut ipse affirmet quæ petimus, esse concessa: mediatoris est pronunciare, an petitio, quam dirigit Deo, sit admissa. In aliis petitionibus, ubi Amen, significat desiderium, & affectum assequendi, quod petitur, ut diximus in secunda significatione, populo conuenit dicere, Amen, quia ab illo desideratur petitio. Et quia sacerdos nescit certò, an oratio exaudita sit, ne uideatur audax in pronuntiando, orationem exauditam esse, ideo submissa voce pronunciat, Amen, ut dictum est. Diuus Albertus aliter ait in proposito, scilicet hanc dictionem sumi verbaliter, idest secundo modo expositam, ut tantum valeat, quantum (fiat) per quod verbum Sacerdos optat populo fieri, quod ipse, per orationem postulauit.

Et multo magis sic accipi debet à quocunque particulari orante, & dicente hanc orationem. Potest autem mens orantis contemplando altius pronunciare hanc dictionem, Amen, dicendo. Pater noster celestis, oro, ut tu dicas, Amen, idest fiat; parū enim est, ꝙ nos dicamus, Amen, idest fiat, à te desiderando quod petimus, nisi tu dixeris, fiat, confirmando, quod humiliter postulamus: nā verbū tuum est efficacissimum: per hoc enim verbum creata sunt omnia: tu enim dixisti, fiat, & facta sunt omnia: Dum autem illa Deipara semper Virgo Maria dixit Angelo fiat mihi secundum verbum tuum, nonne statim Verbum caro factum est, idest filius tuus carnem assumpsit, pro nostra redemptione? Et utique hoc eodem uerbo, eam compleuit, & perfecit; dum in horto orans, dixit: Si non pōt transire calix iste, nisi bibam illum, fiat voluntas tua. Si ergo verbum tuum efficacissimum est, dic ut pater cælestis, fiat, fiat, præparando nos, ut digni efficiamur eorum, quę petimus; & ut tu perficias, quæ nos petere docuisti.

Sed

Sed forsan dubitaret aliquis, dicendo: Deprecatus sum semel, ter, & quater, decies, & uigesies, & nunquam exaudiuit me Dominus, quid ergo faciendum? Respondet Chrysostomus in quadam homilia. O stulta inuentio, & quid nunc, quia non es exauditus, iam recedis à domino, & differs petere? An non uides perseuerantiam mulieris Chananeæ? quæ non ante cessauit, quam quod quæsiuit, accepit. Et quid fecit oratura hæc mulier: Audi, quid fecit, siquidem clamauit: Miserere mei fili Dauid, & ita clamauit, ut Apostoli præ fastidio, dicerent: Dimitte eam, quia clamat post nos. Quibus Dominus, non sum missus, nisi ad oues, &c. ipsa autem cum hoc perseueranter orabat; Et cum hoc à Domino audiuit: Non est bonum sumere panem filiorum, & dare canibus. Cuius rūsionis causa indignata non est, immò repulsa importunius orabat, & tam magnam fidem habuit, ut Dominum sua perseuerantia uinceret, à quo audiuit: O mulier, magna est fides tua; unde orationem Chananeæ Dominus conclusit cum uerbo, Amen, idest fiat tibi sicut uis. Discamus ergò ab hac muliere perseueranter orare, & istanter obsecrare, ac denique importunè pulsare, ut saltem importunitate, & improbitate aperiatur nobis. Iuxta eiusdem Domini sententiam. Lucæ 11. ubi postquam docuit petere, orando conclusit dicens: Petite, & dabitur uobis, quærite, & inuenietis, pulsate, & aperietur uobis: & ita dabit Deus, quòd petimus. Si autem homo aliquando non accipit, illud est, uel quia non iustè petit: uel quia ipse dicta sua ignorat. Quomodo te exaudiet Deus, si tu non intelligis, quę proferunt. Sunt enim multi, qui labia mouent, & corde non concipiunt quæ profers. Et si dices: genua inclinaui, & oraui, quid amplius faciam? Respondeo, Genua in terram inclinasti, & mens foras per diuersa discurrit: corpus quidem in Ecclesia est, sed cogitatio foris uagatur: lingua orat, & mens ꝑ negotia discurrit. Quid mirum ergo, si non exauditis. Alius dicit, tot pater noster dico in hebdomada, & nunquam sentio aliquem profectum de orationibus meis, ut aliquid impetrem. Respondeo, Deus non pensat numerū orationū, & uices, quoties orationem Dominicā quis reassumit, sed affectum orantis. Dicit enim B. Hieronimus, & habetur de consecratione, dist. 5. Can. Non modiocriter. Nunquid uerborum multitudine potest flecti Deus ut homo. Non, enim uerbis tantum, sed corde orandus est Deus. Melior est enim quinque psalmorū decantatio cum cordis puritate, serenitate, & spirituali hilaritate; quam totius Psalterij modulatio, cum anxietate cordis, & tristitia: quod intelligo in ratione impetrationis: sed in ratione satisfactionis, & meriti essentialis, uide quòd dixi suprà, de ualore missę.

Dubiū de assidue orante, & non exaudito.

Vt ergo mereamur exaudiri, & obtinere, quòd petimus, ait Cyprianus in libro de Dominica oratione, Duo sunt à nobis facienda. Vnum est, ut oremus uigilanter, non tantum uoce, quàm mente: debemus enim toto corde uigilare, & attendere orationi, ut omnis cogitatio curæ secularis tunc discedat: sed solum cogitemus ea, pro quibus Dominum oramus, & precamur, humili corde deuoto affectu, & fide perfecta. Alterum est, ut orationem nostram comitetur ieiunium, & eleemosina: inefficax enim, & sterilis est oratio illa, quæ sine aliquo bono opere Deo præsentatur. Ideo Raphael Tobiæ dicebat: Bona est oratio cum ieiunio, & eleemosyna: sic enim cælos penetrabit, & ad Deum ascendet, & fęcunda reuertetur. Et hęc de oratione Dominica dicta sint. Si autem in hac expositione nimis prolixus apparui, ne miremini; dixi enim in principio, quòd ista oratio est breuis in uerbis, sed fęcunda in sententiis; ita ut abundantia materierum, quę in illa continentur, me fuisse breuem indicare suadet.

Ponitur modus orādi exaudibilis.

Facta præparatione populi ad sacram communionem per orationem Dominicalem; ut dictum est suprà, dictisque sequentibus orationibus, quæ

breuitatis causa relinquuntur exponendæ: sequitur modo Communio ipsa per quam tota Ecclesia consequitur fructum, ut dictum fuit suprà, de valore missæ: non enim soli celebranti, & sumenti proficit; sed toti corpori mystico Ecclesię vniuersalis. Vniuersalis Ecclesię tres sunt partes, secundum suam generalitatem sumptę: vna pars vocatur Ecclesia triumphans; & est numerus beatorum, iam in gloria securè in cęlo triumphantium. Altera pars dicitur Ecclesia militans: & hæc est numerus electorum fidelium in hoc seculo peregrinantium, & continuè pugnantium cum Diabolo, Mundo, & Carne, de quibus suprà. Alia dicitur pars Ecclesiæ dormientium, scilicet numerus electorum existentium in Purgatorio, iuxta illud Canonis. Et omnibus in Christo quiescentibus, & dormiunt in somno pacis. Dicuntur quidem dormientes, quia nondũ adepti sunt beatitudinem, ad quam destinati sunt: nec amplius sunt in statu merendi, unde dicuntur dormire, & quiescere, quo ad mereri. In signum ergò huius triplicis partis vniuersalis Ecclesię, Hostia, quæ pro tota Ecclesia immolatur, diuitur in tres partes, ad significandum, quod singulis partibus prodest, diuersimodè tamen.

44 *Tres sunt partes vniuersalis ecclesiæ. Ecclesia triũphans, Ecclesia militans, Ecclesia dormiens. Hostia quare diuidatur in tres partes.*

Pro beatis in cælo triumphantibus sacrificium prodest, quantum ad eorum laudes, & gratiarum actiones. Pro laborantibus, & militantibus in hac vita mortali, sacrificium prodest, quantum ad peccatorum remissionem; est enim eis pignus redemptionis. Pro existentibus in Purgatorio prodest in supplementum, & adiutorium eorum satisfactionum, per militantis Ecclesiæ supplicationes. Modus frangendi est talis. Sacerdos procedens ad fractionem hostiæ, ipsam eleuat de altari, & super patenam collocat, significandum, quòd Christus fuit de terra eleuatus in cruce: deinde frangitur per medium, significans Christi passionem. Ita dicitur in Canone. Cum frangitur hostia. de consecrat. dist inct. 2. Cum frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud, quam Dominici corporis in cruce immolatio, ejusque sanguinis de latere effusio designatur? Cum autem intelligis, quòd hostia frangitur, & diuiditur, non intelligas, quod substantia corporis Christi frangitur; sed fractio, & diuisio fit in speciebus Sacramentalibus, in quarum qualibet parte integer permanet, de quo vide suprà. Hæc autem fractio fit super calicem, ob reuerentiam Sacramenti, ne aliqua eius particula extrà cadat. Partes in quas frangitur significant prædestinatos, pro quibus oblata est: hoc modo primo frangitur in duas partes, significando duos status prædestinatorum, unum scilicet in gloria existentem, vbi beati adepti sunt beatitudinem, & viuunt cum rectitudine securi in æterna requie: quod significatur per partem hostię in dextera manu, quæ primo ponitur super patenam: altera pars hostiæ remanens in sinistra manu, significat prædestinatos existentes in statu miseriæ; quæ subdiuiditur in duas particulas, quarum illa, quæ ponitur super patenam, significat existentes in Purgatorio, quos recipit sinistra manus, idest iustitia Dei, in puniendo eorum peccata; quæ hic non sunt ad plenum satisfacta. Coniungitur autem illi parti primæ in patenam appositæ, per dexteram manum, significans, quòd ambo sunt in statu securo, nam existentes in Purgatorio sunt certi de eorum beatitudine, sicut beati in cælo: quamuis nondum illam adepti sint. Pars alia, quæ in calicem mittitur, significat illos, qui adhuc in seculo viuunt; quæ ideò in calicem mittitur, & sanguini miscetur, quia dum sunt in hac uita, indigent fructu sanguinis Christi; ac eius effectum consequi possunt. Alij aliter applicant significationem partium hostiæ consecratæ, ut ait Sergius Papa, & habetur de Consecrat. distin. 2. Can. Triformem, eo quod suo tempore seruabatur vna pars hostiæ in altari, vsque ad finem missæ; dicens: Pars, quæ ponitur in calice, coniungendo

Modus diuidendi hostiã.

Corpus

Corpus cum Sanguine, significat Corpus Christi post resurrectionem, dum coniunxit Animam cum corpore. pars quę à Sacerdote sumitur, significat Corpus Christi ambulans super terram, in carne mortali ante passionem: pars verò, quæ in altari seruabatur, significabat Corpus Christi, dum in sepulchro seruabatur. Sed quia hodie ambæ duæ partes à Secerdote sumuntur: ideo Glos. in dicto Can. adhæret primæ significationi à nobis dictæ. In cuius signum dicitur, quando illa particula mittitur in calicem, Pax Domini sit semper vobiscum: est enim pax necessaria viatoribus communicantibus, tam spiritualiter, quam realiter: aliàs fructus ipsius sacrificij non participarent. Ipse namque teste Paulo, est pax nostra; qui fecit utraque unum. Et Angeli, dum eius natiuitatem annunciauerunt, pacem in terra hominibus bonæ uoluntatis annunciauerunt.

HAEC Commistio. Missa particula hostiæ sacræ in Calice, Sacerdos dicit: Hæc commistio, & cõsecratio Corporis, & Sanguinis Domini nostri Iesu Christi fiat accipientibus nobis in uitam æternam: pro quo nota, quod hic non fit propriè commistio Corporis, & Sanguinis Christi, ac si prius essent separata, & postea miscerentur: dictum est enim suprà, quod quamuis sub speciebus panis, ex ui uerborum sit ibi Corpus, & speciebus vini, ex ui uerborum sit ibi Sanguis, tamen in utroque est utrunque, & ultrà hæc, est anima, & diuinitas ibi, ex reali concomitantia, ut diximus. Neque in his fit commistio Corporis, & Sanguinis, per contactum ad inuicem, media superficie, ut alia corpora se tangunt. primò, quia corpus, & sanguis Christi ibi non est quantitatiuo modo, & mensurabili, ut requiritur ad contactum corporum. Secundo Sanguis Christi in Sacramento est non modo fluido, ut dicatur tangere latera Calicis, ut faceret alius liquor fluidus, sed est ibi, sicut est in Cęlo: in Cælo autem est intra uenas, & ita intelligendum est, in Sacramento esse. Itaque contactus iste non est in propria substantia, sed est in accidentibus panis, & vini remanentibus, sub quibus corpus, & sanguis latet, dum enim immittitur particula hostiæ in calicem, illæ species panis humectantur ab humiditate uini relicta cum accidentibus uini, facta transubstantiatione: vnde per contactum accidentia illa agunt, & patiuntur ad inuicem, ac si ibi propriè essent substantiæ panis, & uini, ut fides locum habeat, & meritum non amittatur, vt suprà latius dictum est. Itaque cum commistio hæc sit specierum, & accidentium, sub quibus verum Corpus, & Sanguis Christi continetur; attribuitur ipsis rebus contentis, ex usu loquendi; sicut etiam dicitur, Corpus Christi tangi, uideri, & contrectari, cum omnia hæc fiant circa species, sub quibus Christus latet. Vnde propter sanctitatem, & reuerentiam contentorum, illæ species dicuntur sanctę, ac cum omni reuerentia tractantur, dum tanguntur. Dicit ergo Sacerdos, hæc commistio (fiat) per modum Optatiui, (nobis) scilicet Sacerdoti offerenti, & sumenti realiter, & omnibus sumentibus spiritualiter, scilicet in uoto, & desiderio, dictum est enim suprà, quod Sacerdos est os istius corporis mystici, itaque sumente ipso, totum corpus Ecclesiæ sumit, idest, sentit utilitatem refectionis spiritualis; & maximè qui astant, & seruiunt Sacrificio Missæ: ideò concludendo, dicit in vitam æternam, Amen.

45 Nota de commistione Hostia cum Sanguine.

46

Sequitur. AGNVS DEI. Oratio. DOMINE Iesu Christe, qui dixisti Apost. tuis, &c. per quæ Sacerdos petit hanc pacem dari nobis, ratione prędicta. Hæc autem pax secundum August. 19. de Ciuitate Dei, est triplex, scilicet ad Deum, ad seipsum, & ad proximum; quæ cum sit benè ordinata, est effectus charitatis. Pax ad Deum, est uera, & ordinata hominis obedientia in fide, sub ęterna lege. Pax ad seipsum, est ordinata cognitio, ut quod

47 Pax triplex.

ratio rectè dictat, uoluntas efficaciter exequatur. Pax ad proximum, est cum homine ordinata concordia, ut scilicet homo nulli noceat, immò cum possit omnibus prosit; Quod benè cognoscens ille antiquus hostis, dũ hominem per transgressionem Deo rebellare fecit, hanc triplicem pacem turbauit: nam ablata Dei pace per inobedientiam; periit etiam quę ad se, & ad proximum erat. Sed quia pax ista sine remissione peccatorum per Dei misericordiam, consequi non potest: ideo bis ante, dicitur, miserere nobis, deinde dicitur, da nobis pacem. Dicta oratione, osculatur altare, uel tabellam pacis, & datur osculum ministro, dicendo: Pax tecum, & minister dat populo, qui respondet: Et cum Spiritu tuo. Ad significandum osculum unionis, reconciliationis, & pacis: quia inter membra Ecclesię, ad caput, & ad se inuicem unio, & pax, & charitas perfecta esse debet.

Pax tecum.

His peractis, Sacerdos communicaturus pręmittit aliquas orationes, pro sui iustificatione, disponendo se, vt possit tam magnum Sacramentum dignè sumere, contremiscens in se: Nam si Ioan. Baptista, sanctificatus antequam natus, dũ in Iordane caput Christi tetigit, contremuit: cur Sacerdos peccator sumpturus suum Dominum, Redemptorem, & Iudicem, contremiscere non debeat? Vnde cognoscens suam indignitatem, & summam sumendi corporis dignitatẽ, ut ad tam dignam sumptionem exaltari mereatur, humiliando se indignum ostendit, & sumendo sacram hostiam in manu, dicit. Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic uerbo, & sanabitur anima mea. Quæ uerba fuerunt dicta à Centurione Matt. 8. his utitur Ecclesia in hoc casu dupllci ratione. Vna est, ut sicut Centurio uolens sanitatem pueri sui à Domino impetrare, se humiliauit, & indignum se fecit de Domini corporali pręsentia: iudicans, & credens, illum potuisse sanare uerbo tantum, sine accessu ad domum suam, unde dicebat: Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, &c. ita Sacerdos Christum sumpturus, uolens animæ suæ sanitatem habere, & humiliter, & fideliter suam indignitatem confiteatur, dicẽs: Domine non sum dignus, &c. Altera ratio est: Centurio in hoc actu suprà omnes alias uirtutes, à Domino commendetur de fide: unde dixit: Non inueni tantam fidem in Israel. Enimuerò, etsi in omnibus operibus mirabilibus à Domino factis, requiratur magna fides, tamen inter opera magna, & stupenda, memoriam fecit mirabilium suorum, dum hoc dignissimum Sacramentum instituit: in quo maior fides requiritur quam in aliis articulis fidei, & aliis operibus suis, propter plura miracula, & opera intelligibilia, quæ in hoc Sacramento considerantur, ut in materia de transubstantiatione tetigimus; licet insufficientissimè, ob materiæ altitudinem, & in intelligibilitatem: ideo cum in hoc mysterio magna fides requiratur, ad imitationem Centurionis, qui magna fide armatus dixit: Domine non sum dignus, &c. impetrauit puero suo sanitatem, ita communicaturus, dicendo: Domine non sum dignus, impetret pro se gratiam Sacramentalem, cum ceteris uirtutibus, & donis spiritualibus, eam concomitantibus.

48 *Domine nõ sum dignus, quare dicatur in sumptione Sacramenti.*

Sed dicet aliquis. Cum Sacerdos indignum se iudicet, ad tam sanctam sumptionem, & Paulus dicat, qui manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit, dubito ne forte potius exaggeret iudicium Dei, quam gratiam impetret. Ad hoc respondetur. Aliud est indignum esse hac refectione, idest indignum se existimare propter sui imperfectionem, & imbecillitatem, & aliud est indignè sumere, idest cum conscientia peccati mortalis. Paulus loquitur de secundo, sacerdos intelligit de primo. Vnde dicit: Domine non sum dignus, scilicet ex mea iustitia, quia opera mea, ex me considerata, sunt sicut pannus menstruatus: non sum dignus, ex mea operatione, ex quo tu dixisti: Et cum

Dubiũ de indignitate sumentis.

hæc

hæc omnia feceritis, dicite, serui inutiles estis: nec ex mea præparatione; quia nec feci, quantum facere debui. Vt intres sub tectum meum: idest domum conscientiæ meæ; ubi tuæ mansionis non est locus. Sed tantum dic uerbo, scilicet, uirtutis tuæ, qui dixisti Magdalenæ: Remittuntur tibi peccata tua, & ita sanabitur anima mea, idest, remittentur mihi omnia scelera mea, ut tua miseratione, me dignum facias.

Post Sanctissimi Sacramenti sumptionem, & orationes ad ipsam pertinẽtes; sequitur Communio, quæ secundum antiquum morem, cantus dicitur, seu antiphona. Dicitur cantus, quia cum lætitia, & exultatione canitur, post Sacramentalem, & spiritualem refectionem, iuxta Psal. Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea, in refectione, scilicet Sacramentali: & labijs exultationis laudabit os meum, in cantu, scilicet lętitiæ, post sumptam communionem. Dicitur quoque Antiphona, quę antiquitus geminata cum Psal. dicebatur, ait Albertus, uelut Introitus missę. Hodiæ autem non est in usu, ideo uocatur postcommunio. Deinde dicitur oratio, seu collecta, super quam nihil dici occurrit. *Postcommunio.*

ITE MISSA EST. Hæc est ultima pars missæ, in qua concluditur missa. Et hoc tripliciter fit: vel per (Ite missa est) uel per (Benedicamus Domino) vel per Requiescant in pace) In missis sollemnibus, quando dicitur Gloria, concluditur, per Ite missa est. Quasi dicat, Reuertimini ad propria; quia missa est. idest oblata est hostia salutaris Deo pro peccatis nostris. Vel, Ite missa est, idest officium missæ, & preces pro uobis Deo directę sunt finitæ. In missis, autẽ ferialibus, ieiuniorum, & Dominicis, quando non dicitur gloria, idest non fiunt cantus, & lætitię, tunc missa concluditur, per Benedicamus Domino: per quod audientes inuitantur ad agendum gratias, pro mysterio missæ completo. Et quamuis in ambabus conclusionibus respondeatur, Deo gratias, idest gratias Deo referamus, & de perfectione missæ, & Sanctissimi Domini Corporis, & Sanguinis communione; tamen differentia est; nam in missa sollemni totus populus confluit, propter præceptum Ecclesię; ideo Diaconus conuertitur ad populum, ut reuertatur ad propria, propter secularia negotia, & alias necessitates continuo occurentes. In diebus autem profestis, & ieiuniorum, cum populus non teneatur missam audire, non ita confluit, sed propter Religiosos, & deuotos, qui ordinariè ad missam accedunt, quibus non est curę ita ad negotia accedere, nec tam cito refectione indigent uelut populus, diaconus non conuertitur ad audientes, eos licentiando, sed uersus orientem intuens, inuitat astantes prędictos, ut in Dei laudibus perseuerent. In missis uerò defunctorum, pro conclusione dicitur: Requiescant in pace: nam cum totum illud officium particulariter ordinetur ad impetrandam requiem pro defunctis, ideò ut finis principio respondeat, petitur requies, sicut in introitu eiusdem missę. populo respondente, amen, idest fiat, deprecatiuè. omnia autem hęc dicta sunt, ut mos erat antiquitus.

49 *Concluditur Missa per Ite missa est; uel per Benedicamus Domino.*

Requiescant in pace.

Finita missa populus benedicetur: ut qui missarum sollẽnijs interfuerunt, licentiati postea, ad propria sine spirituali munere non reuertantur, sed recedentes, à malis infestationibus pręseruentur: quę benedictio per Episcopum fieri debet, uel de eius mandato in eius pręsentia. Hic mos benedicendi sumptus est à ueteri testamento, Leuit. 9. ubi Moysem, & Aaron, legitur benedixisse populum, expletis Hostiis, & holocaustis. Et 3. Regum cap. 8. Salomon benedixit populum, ac licentiauit, expletis sacrificijs. Christus quoque discessurus à nobis ad patrem, benedixit discipulos, & eleuatis manibus abijt in cęlum. Et hæc sufficiant.

50 *Benedictiões in missa, à quo habuer it ortum.*

Dicto de secundo principali, scilicet, de integritate missæ, sequitur tertium membrum principale, scilicet de essentialibus missæ; idest de Consecratione, & sumptione Sacramenti, & eius effectibus: de quibus inter tractandum de alijs, suprà, cum sufficienter locuti simus, ideo non opus est illa hic reiterare.

De Defectibus Missæ.

52 EXPEDITIS tribus membris principalibus, iuxta diuisionem factam in principio huius sermonis de Sacrificio Missę: restat uidere de quarto & ultimo, scilicet, de Defectibus, & negligentiis, quæ accidere possunt, circa prædictum missæ sacrificium, & erit finis huius tractatus de Sacramento Eucharistiæ, Deo auxiliante. Pro cuius rei intelligētia est aduertendum, quod tripliciter contingere potest aliquis defectus in sacrificio missæ. Primo circa missæ præparatoria, quæ ipsam antecedunt. Secundo, circa essentialia Sacramenti. Tertiò, circa sequentia ipsum Sacramentum, quæ pertinet ad eius reuerentiam.

Quantum ad primum. Quædam concernunt ipsum ministrum; Et horum, quædam tanquam simpliciter necessaria, ut est habere ordinem sacerdotalem, non esse mutum, aut elinguem. Quædam alia concernunt ipsum, tanquam necessaria secundum quid, idest ad ritè, & debitè consecrandum. Et hæc uel considerantur, ut impedientia ipsam debitam consecrationem, uel considerantur, ut conuenientia, & necessario requisita, ad ritè consecrandum. Impedientia sunt quadruplicia. Primum est malum pœnę, ut sunt censuræ Ecclesiasticæ, & alia impedimenta, quæ inducunt Suspensionem, & Irregularitatem, de quibus satis in tractatu de Sacramento Ordinis dictum fuit. Secundū est malum culpæ, idest peccatum mortale. Tertium est, non esse ieiunum: de quibus duobus impedimentis, in principio de sacrificio missæ locuti sumus. Quartum est, dum sacerdos non persoluit horas matutinales, de quo in prima parte nostræ Summæ locuti sumus. Conuenientia sunt calix, & sacræ uestes. Quędam alia pręparatoria concernunt quasdam circunstantias, ut sunt locus, ubi celebrandum est, tempus celebrandi, & ignis altaris: de quibus omnibus dictum est in principio huius sermonis de sacrificio missæ: quæ omnia ubertim repetere, fastidium pareret, ideo remitto uos ad loca citata; quia ibi pascua inuenietis.

Quantum ad secundum, scilicet essentialia prędicti sacrificij essentialiter cōcurrentia sunt materia debita, forma uerborum debitè prolatorum, & intentio recta ministri. Et in omnibus illis accidere potest aliquis defectus; de quibus sufficienter locuti sumus in principio huius tractatus de Sacramento Eucharistię, scilicet quę sit uera materia huius Sacramenti: quę uerba essentialiter pertineant ad eius formam; & quam intentionem minister habere debeat, ad conficiendum: ex quibus discussis eliciuntur defectus; qui in eis accidere possunt; ideo illuc uos remitto ratione prędicta.

Quantum ad tertium, scilicet qui defectus accidere possunt post consecrationē: quia de his adhuc uerba non fecimus, ideo declarandi sunt hic multi casus, qui accidere possunt circa hoc. Primus casus est. Si contingerit, celebrante sacerdote, Ecclesiam uiolari ante consecrationem, desistat sacerdos à celebratione; si post consecrationem, absoluat & perficiat missam, quia tunc sacrifi- *Violatio Ecclesiæ.*

cium

cium impediri non potest; relinqueretur enim imperfectum, quod magis importat.

Secundus casus est. Si Sacerdos, inter missandum, defecerit per mortem, syncopem, aliumque casum. Ante Canonem, dimittatur missa. Si post Te igitur, ante consecrationem, ait Albertus, alius Sacerdos suppleat, & consecret oblata: & hoc duplici ratione; quamuis enim materia oblata, adhuc non sit consecrata; quia tamen ex uerbis, & signis recepit quandam sanctitatem, ex qua efficitur magis idonea ad consecrationem, ideo non debet relinqui. Secundo, quia alias populus verba canonis minus appretiaret, si uideret illa annullari. Sed in Missali Romano, dicitur, ut Missa prætermittatur. Si autem Sacerdos defecerit inter consecrandum, puta inter recitandum uerba consecrationis corporis, alius Sacerdos suppleat, & persequatur Missam. Verũ si dubitatur, an totam formam super hostiam protulerit, debet incipere, à Qui pridie quam pateretur, & eandem hostiam consecrare: non enim dicitur iteratum, quod ambigitur esse factum. Et si Sacerdos est nimis scrupulosus in hoc, accipiat aliam hostiam, si haberi potest, & illam consecret: primam autem reuerenter referuet usque in finem, & illam sumat post sumptionem sanguinis ante lotionem, sub dubio, idest si est consecrata, illam adoret, aliàs non. Si verò Sacerdos celebrans defecerit post consecrationem corporis, ante consecrationem sanguinis, uel in prolatione formæ sanguinis: incipiat alius Sacerdos, à simili modo. Si denique post perfectam consecrationem, scilicet corporis, & sanguinis, defecerit, antequam communicet; alius Sacerdos suppleat ab illo loco, in quo defecit, & communicet. Verum si deficiens, non ex toto defecit, unde posset saltem communicari; detur ei pars hostiæ consecratæ, uel alia particula si potest, si tandem defecit post sumptum totum Sacramentum, non opus est per alium Missam finire; quia iam perfectum est Sacrificium. Et si fortè non adesset alius Sacerdes ieiunus, qui Missam finiret, & communicaret; reponatur hostia siue consecrata, siue in dubio, in loco condecenti usque mane, & tunc in alia Missa sumatur, post communionem, ut suprà. Si autẽ non adesset aliquis locus tutus, ubi referuari possit, ut accidit in aliquo rure; sequatur Missam Sacerdos non ieiunus, ut suprà dictũ est, magis enim urget præceptum de integrando sacrificio, quam de sumendo non ieiunũ ait Nauar. c.27.num.86. Et si nullus alius Sacerdos ibi inueniatur, qui possit Missam finire, seruetur, vt potest.

Si Sacerdos deficiat inter missandum.

Tertius casus. Si Sacerdos inter Missandum oblitus fuerit consecrare, siue Corpus, siue Sanguinem, siue utrumque, ubi hoc aduertit, proferat formam super illam materiam, iam præparatam, & consecret studiose, ne populus aduertat, & scandalizetur, & sequatur Missam, ubi se inuenerit: nec opus est Can. reiterare, & reliquum Missæ repetere, ut aliqui uolunt: nisi hoc scandalum nõ timetur: puta, quia non adsunt uidentes Missam, uel quia populus totus iam aduertit errorem: Et si hoc aduerterit, postquam sumpserit materiam non consecratam, ex quo factus est non ieiunus: sumat aliam hostiam, & uinum, & consecret, ut dictum est, & sumat: quia maioris necessitatis est, sacrificium perficere, ut dictum est, quam ieiuno uentre sumere: Et si fortè esset in tali loco, ubi alia hostia haberi non posset, pœniteat de casu, & desistat, quia ad impossibile nemo tenetur.

Si Sacerdos obliuiscatur consecrare.

Quartus casus. Si post consecrationem antequam hostia frangatur, uel in ipsamet fractione, dicta hostia, aut pars eius in calicem ceciderit, propter frigus manus, uel aliam causam: quo minus postea, ex quo erit mollificata, debitæ ceremoniæ ab Ecclesia ordinatæ seruari non possent: non per hoc est aliquid reiterandum, quia illæ cæremoniæ pertinent tantum ad corpus mysti-

Si hostia ceciderit in calicem.

cum Ecclesiæ: sed in sacrificio Corporis Christi ueri nihil uariatur, ideo non est curandum: peccatum tamen esset, secundum eius causam.

Si in calicem ceciderit musca, vel aliud quid noxiū.

Quintus casus: si in calicem deciderit aliquid, quod faceret sacerdoti stomachum, puta Aranea, Musca, vel simile: si hoc acciderit ante consecrationem, proijciatur vinum, & apponatur aliud, cū modica aqua, & sequatur missa; nec opus est de nouo offerre: quia hoc non est de essentia. Si autem acciderit post consecrationem; extrahatur illud, quidquid est de calice, & referuetur super patena vsque in finem missæ, deinde comburatur super candela accensa, & cineres, si remanent, in sacrario mittantur.

Si in calice reperiretur uenenum.

Sextus casus. Si post consecrationem, reperiretur esse in calice mistum uenenum: tunc reponatur Sanguis in alio uase conuenienti; & absterso calice, apponatur de nouo uinum cum aqua consecretur, & sequatur missa ordine suo: deinde peracta missa, absorbetur sanguis cum ueneno à panno lineo, uel stuppa; qui seruetur reuerenter, donec illæ species exsiccentur: deinde totum comburatur, & in sacrarium mittatur: Idem faciendum est de omni alia re abominabili, quæ in calice misceri posset: quod enim abominabile est, Sacerdos sumere non tenetur.

Si aliquid uenenatum tetigerit hostiā.

Septimus casus est. Si aliquod uenenatum tetigerit hostiam, siue ante consecrationem, siue post: accipiatur altera, & consecretur: & sequatur missa, ut dictum est de alijs casibus: illa autem, si est consecrata, seruetur separata à tabernaculo, in eadem custodia, donec species panis putrefiant: deinde comburantur, ut suprà, illud uerò uenenatum, quod tetigit hostiam, comburatur, & in sacrarium mittatur.

Si aliquid de sanguine effusum fuerit.

Octauus casus. Si aliquid de sanguine effusum fuerit in terram vel super altare. Audi, quid dicat Pius Papa, de Consecr. dist. 2. Can. Si per negligentiam, aliquid de sanguine Domini, idest de Sacramento sanguinis stillauerit in terrā, lingua lambetur, & tabula radetur: si non fuerit tabula, ut non conculcetur locus, corradetur, & igne consumetur, & cinis intra altare, idest sacrarium recondetur. Et Sacerdos quadraginta diebus pœniteat. Si supra altare distillauerit calix, sorbeat minister illam, & tribus diebus pœniteat: & linteamina, quæ tetigerit stilla, tribus uicibus minister abluat, calice supposito, & aqua ablutionis sumatur, scilicet in calice, & iuxta altare recondatur. Sed D. Tho. addit, si sine magno damno pars illa tincta incidi posset; incidatur, & comburatur, ut suprà. Si autem ceciderit in terram: terra radatur, & rasura in sacrarium mittatur. Secus, si suprà pannum mundum, qui sufficit, ut lauetur, & aqua in sacrarium mittatur. Si uerò super puluerem, recolligantur pulueres; incinerentur, & reponantur, vt suprà.

Si aliquis euomuerit Sacramentum.

Nonus casus est de vomitu, dicitur enim eadem dist. Can. Si per ebrietatem, uel uoracitatem, Eucharistiam, idest Sacramentum Corporis euomuerit, quadraginta diebus pœniteat, si laicus est. Clerici, vel Monachi, seu Diaconi, & Presbyteri septuaginta diebus pœniteant. Episcopi uerò nonaginta. Si infirmitatis causa euomuerint, septem diebus pœniteant, ad cautelam. Verum dum hæc timentur, abstinere debent. Et de re uomitata quid agendum? si species appareant, iterum sumentur, si fieri potest sine nausea, aliàs referuentur in uase condecenti separatim, donec putrefiant, ut suprà dixi: Si autem non apparent, comburetur uomitum, & cineres reponentur in sacrario. Nota, dum dicitur, pœniteat, intelligitur secundum Glos. de ieiunio & abstinentia celebrandi. Verum istæ pœnitentiæ, ait D. Th. iudicandæ sunt plus, uel minus, secundum qualitates personarum, & casus accidentes.

Decimus casus est. Si culpa sacerdotis ceciderit, aut à vento de altari rapiatur, uel simili, & non inueniatur: uel eius mala custodia à mure, uel alio animali

mali

mali commesta fuerit, audi quid dicatur per Concil. Arelatense, ut habetur de Consec. dist. 2. Can. Qui benè non custodierit sacrificium, & mus, uel aliquod animal comederit: quadraginta diebus pœniteat. Qui autem perdiderit illud in Ecclesia, uel pars eius ceciderit, & non inuenta fuerit, triginta dies pęniteat. Idem intelligatur, ait D. Th. de eo, qui per negligentiam, non renouauerit Sacramentum, unde species illæ putrescunt.

Si hostia ceciderit, uel ab animali cõmesta fuerit.

Vndecimus casus est. Si sacerdos recordatur super altare, se non esse ieiunũ, vel aliquod graue commisse, uel esse excommunicatum, uel celebrare in Ecclesia interdicta, uel simile occurrat, quod impedit debitam celebrationem si hoc aduertit ante consecrationem, potest prudenter se retrahere in sacristiam, sumendo occasionem, quòd non benè se habet, uel aliam excusationem fingat, propter circunstantes. Si autem hoc fieri non potest sine magno scandalo, pœniteat, & sequatur missam, cum proposito, post sacrum factum, statim confitendi, uel procurandi absolutionem à censuris: Nisi Excommunicatio, uel interdictum esset publicum: quia tunc non est timendum de scandalo: vnde omninò abstinere debet. Si uerò aduertit hęc post consecrationem factam, per nullum casum potest sacrificium imperfectum relinquere; sed debet perficere missam, & pœnitere, vt suprà.

Si Sacerdos apud altare recordetur habere se aliquod impedimentum.

Finis quinti Capituli.

20 *Dolor de peccatis quantus debeat esse, ut sit sufficiens dispositio receptionis gratiæ.*
21 *Contritionem de peccatis quando teneamur habere, & quid de peccatis semel legitimè confessis.*
22 *Confessio secunda pars Sacramenti Pœnitentiæ est ita necessaria ad salutem post baptismum, aut in re, aut in uoto, ut sine ipsa peccatorum remissio haberi non posit.*
Confessionis Definitio, & eius definitionis interpretatio.
23 *Conditiones sexdecim Confessionis Sacramentalis, & earundem declarationes.*
Quando confessor possit manifestare aliquod auditum in Confessione, sine fractione sigilli.
Qui mentitur in Confessione, peccat mortaliter.
In tribus casibus licet occultare aliquod mortale dum confitemur, & quando.
Natura Confessionis ex se poscit, ut omnia peccata mortalia vni, & eidem confessarijs dicantur; aliàs esse inutilis.
24 *Qui agendum de peccatis, superiori reseruatis, & multa pulchra dubia super hoc.*
25 *Facultas concessa Confessarijs absoluendi à casibus reseruatis, uirtute Bullarum Iubilai, & quarundam Confraternitatum, quomodo intelligenda.*
26 *Episcopi in suis Diœcesibus à quibus casibus Apostolicæ Sedi reseruatis posśint absoluere.*
27 *Leo Papa I. aboleuit usum confitendi peccata publicè, & quare.*
28 *Peccata in Confessione accepta debent sub arcto sigillo custodiri.*
29 *Licitum est per nutum, scriptum, nuntium, & interpretem confiteri, & quando hoc liceat, & in quibus casibus.*
30 *Quando teneatur quilibet confiteri.*
31 *Articulus mortis, quis sit.*
32 *Saltem semel in anno tenetur vnusquisque confiteri.*
33 *Quo tempore anni quis confiteri teneatur.*
34 *Periculosum est procrastinare Confeßionem; & quare.*
35 *Pœnitens an teneatur obedire Confessario.*
36 *Satisfactio est tertia pars Sacramenti Pœnitentiæ, & eius Definitio.*
Satispassio quid sit.
Satisfactio est triplex.
37 *Satisfactio, & restitutio differunt.*
38 *Satisfactio est medicina languorum animæ.*
39 *Satisfactio per quæ opera fieri debeat.*
Bonum est triplex, honestum, delectabile, & utile.

Satisfa-

40 *Satisfactio an fieri possit per opera aliàs debita, & variæ de hoc Doctorum opiniones.*
41 *Unus an possit satisfacere pro alio.*
42 *Pœnitentia publica an debeat imponi, & quando.*
43 *Quæ pœnitentia imponi debeat.*
44 *Sacerdos possit ne pœnitentem uirtute clauium ad aliquam pęnam ligare, & uariæ de hoc Doctorum opiniones; & an possit id facere suo arbitratu, an teneatur aliquibus legibus.*
45 *Sacerdos possit ne commutare, aut diminuere pęnitentiam ab alio impositam.*
46 *Satisfactio facta in peccato mortali, an valeat; & an sit reiteranda, varię Doctorum opiniones.*
47 *Vsus clauium in Ecclesia quid sit.*
Clauis scientiæ, & Clauis potentiæ, quas debeat habere sacerdos.
48 *Potestas absoluendi triplex.*
Potestas ministerialis est duplex, Ordinis, & Iurisdictionis.
49 *Solus Sacerdos est minister pœnitentię, & an omnis Sacerdos.*
Iurisdictio est duplex.
50 *Iurisdictionis potestas quibus data sit.*
Proprius sacerdos dicitur tripliciter.
51 *Qui habeant hanc Iurisdictionem impeditam.*
52 *Quædam pulchra dubia & resolutiones in hac materia confessorum, & pœnitentium.*
Sacerdos proprius possit ne ubique audire suum subditum.
Quid de his qui habent priuilegium quomodolibet eligendi confessorē.
In quibus casibus possit aliquis confiteri alij, quam proprio Sacerdoti.
Quid de peregrinantibus.
Proprius Sacerdos teneatur ne credere pœnitenti, dicenti se alteri confessum fuisse.
Possit ne aliquis confiteri alieno Sacerdoti sub spe quod proprius id ratum habebit.
De confessione facta homini laico, & de eius sigillo.
53 *Conditiones quas debet habere Confessarius, sunt quattuor, Potestas, Scientia, Prudentia, & Vitæ bonitas.*
54 *De effectu pœnitentię, & an per ipsam remittantur omnia peccata.*
Per legem Dei ordinariam non saluatur nisi uolens.
Sola peccata dęmonum, & hominum in infernum damnatorum sunt irremissibilia.
55 *Liberum arbitrium quid sit, & multa de eo.*
56 *Voluntas Dei est libera, & immutabilis, & quomodo.*
Omnis uoluntas quæ mutatur, habet duplicem causam mutabilitatis.

Quomodo

Quomodo dicatur Deum pœnitere.

Angelus quomodo habeat libertatem arbitrij, & quomodo homo.

Deus multa potest de potentia absoluta, quæ non potest de potentia ordinaria.

57 *Viatorum nullum peccatum est tam graue, quod non possit per pœnitentiam remitti: & quomodo intelligatur, quòd peccatum in Spiritumsanctum non sit remissibile.*

58 *Deus non est subiectus alicui regulę.*

An sine pœnitentia peccatum mortale remitti possit.

59 *Eleemosynam extinguere peccatum, dupliciter ponitur.*

60 *Pœnitentia an adęquetur peccato, in hoc, vt unà cum culpa remittat etiam pœnam.*

61 *Pœna inferni quare dicatur infinita in duratione.*

Ratio negantium Purgatorium, & eiusdem Purgatorij necessitas.

62 *An per pœnitentiam homo resurgat ad æqualem gradum gratię, à quo excidit, & an ad tantum gradum gloriæ.*


Opus bonum in peccato mortali factum, quomodo reuiuiscat per pœnitentiam subsequentem.

63 *Peccata semel dimissa an redeant in recidiuante.*

DE

DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

Cap. VII.



RIA prædicta Sacramenta per se absolutè attinent ad perfectionem spiritualis uitæ cuique personę particulari; inquantum per ea habetur spiritualis generatio, augmentatio, & nutritio, ut in principio diximus. Quartum autem, & quintum Sacramentum attinēt ad perfectionem uitę spiritualis per accidens ratione peccati; hoc est, intantum sunt necessaria, inquantum homo

1 peccat. Sed hoc quartum Sacramentum est necessarium supposito peccato mortali; est enim institutum à Christo, tanquam remedium, & medicina contra lethalem culpam, de qua pœnitere debemus Et ideo dicitur Pœnitentia, quasi pœnæ tentio. Hinc Augustinus in lib de Pœnit. ait, pœnitere, est pœnam tenere.

2 *Pœnitentia tripliciter sumitur.*

Hoc nomen pœnitentia tripliciter sumitur in Ecclesia. Primò, pro Pœnitentiæ Sacramento. Secundò pro Pœnitentiæ uirtute.

Tertiò pro satisfactione, quę est tertia pars Sacramenti, vulgariter nominata Pœnitentia.

3 *Definitio Pœnitētiæ Sacramenti.*

Quæritur ergo primò, quid sit pœnitentia pro Sacramento? Pœnitentia est Sacramentum remissionis peccatorum mortalium, quæ post baptismum committuntur.

Dicitur (Sacramentum) nam Sacramentum est sacræ rei signum, quatenus illa res homines sacrat: in hoc enim verificatur hęc proprietas; significat namque aliquod sanctum, tam ex parte pœnitentis, per ea, quæ agit, dum confitetur, quam ex parte Sacerdotis, per ea, quæ dicit, dum absoluit: nam pœnitens, per ea, quæ facit; ostendit se dimisisse peccata: Sacerdos verò, per ea, quæ dicit, significat opus Dei remittentis peccata: Vnde, per ea, quę fiunt exterius, significantur, quæ Deus operatur interius. Et propterea subiungitur in definitione (remissionis peccatorum) ad differentiam aliorum Sacramentorum: Baptismus enim dicitur Sacramentum ablutionis, per illā enim exteriorem ablutionem significatur peccati originalis ab anima primò mundationem. Alter dicitur Sacramentum Confirmationis; per illam enim exteriorem unctionem, significatur interius fidei confirmatio; idest robur, ad illam confitendam coram inimicis fidei, ut suprà dictum est. Hic autem dicitur, Sacramentum remissionis peccatorum, ut audistis.

4 *Peccata uenialia non indigent pœnitentia, sed habent multa alia remedia.*

Dicitur (mortalium) peccata namque uenialia non indigent necessariò hac pęnitentia; habent enim alia remedia, quibus deleri possunt, scilicet, per cordis contritionem tantum, per sanctissimam communionem, per pectoris compunctionem, per eleemosynam, per Episcopi benedictionem, per aquæ benedictæ aspersionem, per Dominicalem orationem, & generalem confessionem; quæ fit in principio missæ, & in officio ordinario.

Sed hic dubitatur hęc prędicta deleant ne venialia ex opere operato, an requiratur ex parte pœnitentis necessariò aliquis motus interior? Et si ita est, prædicta

dicta non sunt necessaria, sufficit enim bonus motus interior per se solus, ad delenda uenialia, ut uidemus; si autem possunt ex opere operato, bonus motus interior non est necessarius; hoc enim sonat, ex opere operato, idest quod possunt ex se solis hunc effectum producere. Et si ita esset, sequeretur quod alicui remitteretur peccatum ueniale, cum eius complacentia, quod est falsum. Nam si hoc uerum esset, magis uideretur uerum in Sanctorum Communione; quæ, cum sit cibus spiritualis animæ nostræ nutriendæ, ad eam, tanquam ad nutrimentum pertinet restaurare, quod quotidiè deperditur de feruore charitatis per peccata uenialia. Vnde Ambros. in lib. de Sacramẽtis, dicit: Hic panis quotidianus sumitur in remedium quotidianæ infirmitatis; quę sunt peccata uenialia. Et tamen, ut ait D. Thom. 3. p. quæstio. 79. artic. 4. Sacra communio non delet illud ueniale, cuius complacentiam habemus; quia talis complacentia ponit obicem Sacramento, ut talem effectum non operetur: ergò multo minus hoc uerificatur de reliquis supradictis, s. ut non deleant ex opere operato.

Ad hoc dicitur, cum D. Thom. quæstio. 87. artic. 1. quòd tam culpa uenialis, quàm mortalis separat hominem à Deo, differenter tamen; lethalis enim separat à Deo perfectè: nam per lethalem culpam mens omnino à Deo auertitur, faciendo contra charitatem: uenialis autem separat imperfectè: nam stando cum charitate, non auertit à Deo omninò, sed quodammodò, saltem retardando affectum hominis, per conseruationem inordinatam ad bonum creatum ne promptè feratur in Deum. Hæc autem culpa remitti non potest, donec uoluntas peccato adhęret: requiritur ergò, ut per motum contrarium, conuersio fiat à creatura ad Deum, ei se coniungendo: quod fit per pœnitentiam, idest detestationem peccati. Verum ad detestationem moralis culpæ requiritur perfecta pœnitentia, scilicet, ut homo peccatum mortale commissum actualiter detestatur, ut infra melius dicetur: quod non est necessarium pro culpa ueniali; non tamen sufficit sola detestatio habitualis. Requirtur ergo ad deletionem uenialium peccatorum quædam uirtualis displicentia, idest quidam motus deuotionis internus, quo mouetur homo ad Deum, & res diuinas tali affectu, ut quidquid ei cogitare occurret, quod ab hoc deuotionis motu retardaret, sibi displiceret commisisse, etiam si de illo actualiter non cogitet. Et hoc dicere uolumus, quòd uenialia non indigent pœnitentia, idest non indigent perfecta, & actuali detestatione, & displicentia, ut indigent mortalia: sed sufficit aliquis motus ex gratia, quo saltem implicitè homo ueniale detestetur. Dixi (ex gratia) nam ad deletionem uenialium non requiritur noua gratia, sed supponitur illam habere. Ex hoc sequitur; ubi adest peccatum mortale, non sufficit talis motus imperfectus, ad deletionem uenialium, quia ibi non adest gratia; & ideo ueniale sine mortali remitti non potest: sed per infusionem nouæ gratiæ, & cum perfecta, & actuali mortalium detestatione, remittitur mortale cum ueniali. Aqua igitur lustralis, benedictio Episcopi, Oratio Dominicalis, & similia, ad quid deseruiunt? Dico, quòd ista tripliciter possunt causare remissionem uenialium. Primò inquantum per ea infunditur gratia, & hoc modo per sumptionem Eucharistiæ, & per omnia Sacramenta, per quæ ex opere operato, gratia confertur, delentur uenialia, de quibus non adest complacentia. Secundò, inquantum ista sunt cum aliquo motu detestationis uirtualis saltem, ut dictum est: & hoc modo confessio generalis, tuntio pectoris, & oratio Dominicalis, quia in ea specialiter petitur, ut debita quotidiana remittantur, conferunt ad deletionem uenialium: Tertiò inquantum sunt cum aliquo motu deuotionis & reuerentiæ in Deum, quo exicitatur homo ad habendum illum motum, & detestationem uir-

Responsio.

Veniale sine mortali ubi adest, remitti non potest.

gatus: ita qui post peccatum Adæ hunc mundum ingreditur. qui mare magnum, & spaciosum dicitur; quorum reptilia non est numerus, idest diuersa periculorum genera, si securus incedere velit, nauim Baptismi ascendere debet; per eam enim cum innocentia nauigat: idest omnia peccata, scilicet originale, & actualia, quo ad pœnam, & culpam ei per baptismum condonantur: si forte postea per peccatum mortale actuale dicta nauis frangatur, idest, innocentia amittatur, opus est, ne submergatur, idest ne in peccato moriatur, ut secundæ tabulæ adhæreat, idest, Sacramentum pœnitentiæ suscipiat, ut eo affixus per confessionem ad portum salutis redire possit.

De materia huius Sacramenti.

HOc Sacramentum habet materiam, & formam, ut cetera Sacramenta. 8
Et quamuis Doctores non videantur concordare in assignanda huius Sacramenti materia. Rei veritas est: quòd peccata dicuntur materia remota, non simpliciter considerata, nec sub ratione, qua peccatori placent, sed potius, quatenus pœnitenti displicent, & detestantur ab eo. Actus autem pœnitentis, dum conteritur, & confitetur dicuntur materia proxima, ad hunc sensum, scilicet: non, quòd peccata ideò dicantur materia remota, quia ex eis conficiuntur actus pœnitentis, qui sunt materia propinqua, ut accidit in naturalibus; puta materia proxima statuæ est metallum, quod congelatur, & cóficitur ex aqua & terra, quæ sunt materia remota statuæ: sed peccata dicuntur materia remota; quia sunt obiecta eorumdem actuum sub ratione detestabilis, & ut expulsa: unde dicuntur materia circa quam: actus verò dicuntur materia ex qua, quia sunt partes pœnitentiæ: unde dicuntur partes materiales simpliciter, & propriè ipsius Sacramenti, dum scilicet homo actu confitetur, & subiicitur Ecclesiæ clauibus. Hæc nanque differentia est inter hoc Sacramentum, & cetera alia, excepto Matrimonio; quòd illa habent materiam naturalem, aut artificialem, & permanentem: nempè aquam, oleum, panem, & uinum, &c. Illud autem habet materiam moralem, & transeuntem, scilicet actus contritionis, & confessionis, ut dixi. Quæ materia est supernaturaliter; si contritio est perfecta, quia hoc modo est à Deo.

Peccata sunt materia remota.

Actus pœnitentis dicuntur materia proxima.

De forma huius Sacramenti.

FOrma præcisa huius Sacramenti est, (absoluo te) ly (ego) subintelligitur, si non exprimatur. cetera verò sunt ad benè esse: nam Misereatur tui, & Indulgentiam, & absolutionem, & cetera, quæ præcedunt propriam absolutionem; sunt verba deprecatiua; petendo à Deo, ut fiant, quæ Sacerdos facere intendit, ut non impediatur effectus Sacramenti ex parte pœnitentis. Hæc forma est conuenientissima; assumitur enim ex illis verbis Domini, Matt. vltimo, quibus Petro dixit: Quodcúque solueris super terrã, erit solutum, & in cælo. Illa autem verba, quæ Sacerdos in fine subiungit: scilicet, In nomine P. & Fil. & SS. nõ sunt de necessitate, sicut in baptismo; sed illis utitur Ecclesia, ad significan- 9

gnificandum, quòd sacerdos absoluit in virtute, & auctoritate. SS. Trinitatis, & non propria. Et quamuis solus Deus peccata dimittat, tamen ipse Sacerdos verè, & propriè absoluit ministerialiter, dicendo: Ego absoluo te. Et quia omnia Sacramenta Nouæ Legis efficiunt, quod significant, applicando formam materiæ: quod quidem fit proportionaliter, nam in Baptismo, dicendo: Baptizo te, & in Confirmatione, dicendo: Signo te signo crucis, &c. Sacramentum perficitur in applicatione materiæ ipsi passo: in hoc autem Sacramento perficitur in remotione materiæ, scilicet remouendo peccata à pœnitente, & ideo congruenter dicitur. Absoluo te; peccata nanque sunt quædam ligamenta, & vincula, quibus Dæmon animam capit, iuxta illud Prouerb. cap 5. Iniquitates suæ capiunt impium. Hæc autem forma non admittit ita necessariò, & præcisè dicta verba, vt non possit per alia verba æquipollentia exprimi; nam Christus dixit, Quorum remiseritis peccata; ex quo sequitur, si dicatur: remitto tibi peccata tua, Absolueris à me, vel simile, idem esset in substantia, vt non uitiaretur Sacramentum: esset quidem quandoque peccatum propter scandalum pusillorum, ut ait Sotus distinctione 14 quæstio 1. articulo 3. Qui adiungit in forma, ab omnibus peccatis, de quibus es contritus, errat manifestè, non enim semper homo accedit contritus, & tunc non verè absolueret. Qui etiam adiungit, ab oblitis, & ignoratis, de quibus habes verum propositum confitendi, si ad tui memoriam venirent, & similia, habent imprudentiam vulgarium sacerdotum: qui enim non haberet talem intentionem explicitam, vel implicitam pro tunc, non esset absolutus, & si fortè non haberet propriè intentionē confitendi ignorata, & oblita, in casu, quo ad memoriam reuocarentur, non esset uerè contritus, & consequenter incapax absolutionis, & ideo superflua sunt dicta verba, & rescindenda.

Nota errorē Confessoriū.

Dubium de accedente cōtrito ad confessionem.

Sed hic dubitatur; dictum fuit suprà, quod Sacramenta verè efficiunt, quod significant, nunc autem videtur, quòd in contrito nihil efficiāt, cum per contritionem absolutus accedat, quo ad Deum. Hac ratione motus Magister Sent. in 4. distinct. 18. asserit. Quando Sacerdos dicit. ego te absoluo, sensus est, ego te absolutum ostendo. Hęc expositio supponit unum falsum, s. homines omnes, & semper contritos accedere ad confessionem: nam multoties homo accedit attritus; quod si ita non esset; quando igitur verificaretur illud diuulgatum inter Theologos, scilicet ex attrito homo fit cōtritus. Hinc quidam dicunt, quòd Sacerdos per illa verba absoluit à pœnis tantum: sed hoc non est bene dictum, sacerdos enim absoluit à peccatis, quæ pęnitens confitetur; unde ab eorum culpis absoluit: & ideo alii aliter dicunt, scilicet, quod sacerdos absoluit in iudicio Ecclesiæ tantum: nam in iudicio Dei per contritionem iam absolutus est: quod est dicere, absoluit à præcepto Ecclesiæ, ad quod tenebatur. Neque ista responsio sufficit, quia absoluit à peccatis, de quibus est contritus, vel saltem attritus. Vera igitur responsio est. D. Tho 3. p. quæst. 84. art. 3. ad 4. argu. scilicet, si pœnitens accedit attritus, putans, se esse contritum, verè absoluitur à tota culpa, & à pęna in aliqua parte, & efficitur contritus virtute Sacramenti. Si autem accedit verè contritus in charitate, sensus absolutionis est. Ego te absoluo, idest Sacramentum absolutionis tibi impendo, quod est dicere, quātum in me est, & attinet per se ad Sacramentum, si in peccatis es, absoluo te ab eis: nam Sacramentum quantum est de se, efficit, quod significat: si autem tunc non efficit, non est ex parte Sacramenti, sed accidit ex bona dispositione pęnitentis: sicut econtra accidit illi, qui ex indispositione suscipit Sacramentum, & non effectum sacramenti, idest gratiam vel remissionem, eo quod ponit obicem.

Vera responsio.

Est hic aduertendum, quòd etsi dum Sacerdos absolutionem Sacramentalem recitat,

recitat, solet super caput pœnitentis manus imponere, hæc tamen cæremonia non est necessaria: non dico tantùm, quo ad essentiam Sacramenti, sed neq; est de congruitate, sicut in Sacramento Confirmationis, & Ordinis: in illis namque fit manus impositio, ut in Sacramento Confirmationis ad designandum plenitudinem Spiritussancti, per quem datur gratiæ augmentum ad robur; & in Sacramento Ordinis manus impositio significat collationem cuiusdam excellentiæ potestatis in diuinis ministeriis. Vnde Paulus ad Timotheũ Epistola 2. ait: Et resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum. Sed in Sacramento pœnitentiæ fit tantum remissio peccatorum, ideò non requiritur: non tamen dico, ut omittatur, ubi est consuetudo: nam in primitiua Ecclesia fuit in usu: qui enim recipiebantur ad pœnitentiam publicam, ut tunc mos erat, per impositionem manus reconciliabantur, ut habetur distinctione 50. Can. Pœnitentes, & Can. Qui recedunt, 26. quæst. 6. Hic autem mos introductus fuit ex illis uerbis Domini, Marci ultimo: Super ægros manus imponent, & benè habebunt, peccata namque cum sint ægritudines animæ, eo modo curabantur. Hinc quia non est necessaria, à multis locis eius vsus aboleuit. Vnum tamen est aduertendum, ut qui hac cæremonia utuntur, si causa acciderit, ob quam non possint pœnitentem absoluere, non dimittant eum sine manus impositione, ne circumstantes intelligãt, illum non esse absolutum, & sic indirectè eius confessio quodammodo manifestaretur, ac remaneret apud illos infamatus.

Cæremonia imponẽdi manum super caput pœnitẽtis requiritur.

Aduertendũ.

Et quamuis hoc Sacramentum absolutè necessarium non sit ut Baptismus: est tamen necessarium ex suppositione, illis scilicet, qui habent peccatum actuale mortale, dum sunt doli capaces, sine quo uel in re, uel in voto, quando commoditas haberi potest, tale peccatum remitti nequit. Quapropter Sacrũ Concilium Tridentinum condemnat eos, qui sola fide, salutem haberi posse dicunt, post amissam innocentiam, & non esse necessarium ad salutem peccatoribus. 12

De necessitate huius Sacramenti.

Et quia dictum est hoc Sacramentum esse necessarium ad salutem post lapsum, uel in re, uel saltem in uoto, quæritur modo, an votum hoc, opus est, ut sit explicitum, an sufficiat, ut sit implicitum? Dubium hoc dupliciter intelligi potest, uel dum homo conuertitur ad Deum, & ei reconciliatur per contritionem, opus sit, ut actualiter cogitet de confessione facienda tempore suo, & ita promittat; uel intelligitur, dum urget præceptum confitendi, & copia Sacerdotis non habetur, sufficiat contritio sine actuali desiderio confitendi, an non.

Dubium de uoto quod requiritur in hoc Sacramẽto.

Quantum ad primum ex Sacr. Conc. Trid. Sess. 14. solum habetur: Si contingat aliquando contritionem ipsam, ita perfectam esse, ut hominem Deo reconciliet, antequam ipsum Sacramentum actu suscipiatur, si tñ ipsum in uoto nõ habuerit, non sufficiente nec aliud specificat. Sed Sotus, in 4. dist. 4. q. 1. art. 5. post Richard. in 4 dist. 17. art. 2. q. 1. & Alex. de Ales, 4 p. q. 76. ait, non opus esse, ut in illo momento, quo homo, per contritionem, & dolorem de offensa Dei, conuertitur ad ipsum: actualiter cogitet de confessione Sacramentali facienda, sed satis est, ut de illa implicitè cogitet, idest habeat animi præparationem præstandi omnia, quæ ad dignè suscipiendum hoc Sacramentum, requiruntur, scilicet si in mentem ueniret, actualiter proponeret confiteri tempore statuto, & obedientiam Ecclesiæ præstare. Itaque si in tali statu morte repentina præueniretur, non esset dubitandum de eius salute. Quantum ad secundum, dicerem, si quis in infirmitate positus, uel quodcunque aliud mortis periculum incurreret, quo confiteri teneretur, ut infrà dicetur, & copiam confessoris non haberet; quantumcunque doleat de peccatis commissis, nisi habeat actuale desiderium

Ad primum.

rium confitendi, si haberet, qui eum auscultaret, dolor ille non sufficit ad salutem animæ. Ratio diuersitatis est: nam cum tempus suscipiendi hoc Sacramentum sit præfinitum, si homo cum proposito emendandi uitam, conteritur de peccatis præteritis, antequam tempus confitendi occurrat, sufficit in illo actu conterendi, habere propositum seruandi omnia Ecclesię mandata in generali, quamuis de confessione in particulari non cogitet, & hoc est habere illam in uoto; sed dum tempus confitendi urget, tenetur actualiter confiteri, quod si copiam confessoris non habet, tenetur saltem habere actuale desiderium confitendi, ita ut per se non stet: alias quantumcunque doleat, dolor ille de peccatis non est uerus dolor, sufficiens ad saltem. Sed si moreretur contritus cum actuali desiderio confitendi si posset, quamuis in re ipsum Sacramentum non habeat, securus discedit, & dignus est Ecclesiastica sepultura; quia in tali casu sufficit dolor ille, cum voto Sacramenti.

De Pœnitentia ut est virtus.

SEcundo Pœnitentia sumitur pro virtute pœnitentiæ, est enim peculiare, huic Sacramento, ut sit Virtus. Pro quo est aduertendum, quòd omnia Sacramenta, præter Sacramentum Pœnitentię, & Matrimonij, ita sunt instrumēta meritorum passionis Christi, ut initum suarum institutionum sit ab ipso Christo, in Lege Noua. Sed matrimonium fuit etiam in statu Legis Naturæ: fuit enim in statu innocentiæ institutum in officium, per illa verba Genes. 1. Crescite, & multiplicamini. ut ait D. T. in 4 dist. 26 Magister, & communiter Docto-
12 res. Post autem Adæ lapsum statim fuit, non solùm in officium, sed etiam in remedium concupiscentiæ, ait Augustin. lib. 9 super Gen. ad literam. In statu verò gratiæ fuit institutum in Sacramentum. Pœnitentia quoque initium habuit statim post Adæ peccatum, est enim detestatio peccati. Quæ si respicit peccatum in se, & absolutè, quatenus est per se malum, & cōtra rationem, dicitur uirtus naturalis, hanc utique habuerunt & philosophi, qui nō modo peccata oderunt, uerum etiam contra ea doctè scripserunt.

Pœnitentia Virtus semper fuit necessaria.

Si autem respicit ipsum peccatum, ut est offensa Dei, est uirtus supranaturalis. Hæc aūt semper fuit necessaria post Adæ casum: unde statim quòd Adam peccauit, Deus illam ab eo exigere voluit, dicente Scriptura, Genes. 3. Adam ubi es; non enim ignorabat Deus, vbi Adam erat, sed fuerunt uerba increpantis, eum aduertendo, ut cognito peccato, illud detestaretur, & confiteretur, ueniam petendo: sed ipse loco accusationis, se excusare uoluit, peccatum in Deum retorquendo, qui dederat ei uxorem: unde respondit: Mulier, quā dedisti mihi: & ideo loco ueniæ, & benedictionis, habuit maledictionem, & pœnę inflictionem, dicente Deo: maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea, &c. Verum in Lege Naturæ lapsæ, sub quadam fide in confuso reuelata, per sacrificia, & alia opera ostendebatur, de offensa Dei esse dolendū. Sed in Lege Euangelica, ubi fides est explicatior, ratio pœnitentiæ altius cognoscitur. Est & alia differentia, nam in Lege Naturæ non includebat uotum confessionis, sed cum homo cognoscebat se Deum offendisse, sufficiebat de offensa in corde dolere, iuxta illud: Dixi confitebor aduersum me iniustitiā meā dño, & tu remisisti impietatem peccati mei. Sed in Lege Euangelica, cum sit instituta in Sacramentum, habet annexum uotum confessionis, ut dictum est, & dicetur, & ideò effecta est una pars Sacramenti pœnitentiæ quæ dicitur Contritio.

Hæc

Hæc autem Pęnitentia, quę Contritio uocatur, si sumatur pro habitu, à Deo immediatè infunditur, sine nobis operantibus, nisi tantum dispositiuè, per aliquos actus, ut tunc dicetur. Si autem sumatur pro actu pœnitendi: tunc consistit in sex motibus, quorum aliqui sunt Dei, aliqui sunt nostri, in quibus cum Deo cooperante nos cooperamus.

Primus eorum est, Auxilium speciale Dei. Secundus est motus fidei nostræ. Tertius est motus timoris seruilis. Quartus est motus spei de uenia obtinēda. Quintus est actus charitatis, quo peccata displicent. Sextus, & ultimus est motus timoris filialis; & in hoc consistit specialis ratio pœnitentiæ. Hi autem motus non omnes sunt necessarij, aliàs sequeretur, quod conuersio peccatoris semper fieret in tempore: quod est falsum, ut ait D. T. prima 2. quęstio. 112. ar. 2. & experientia docet.

Quantum ad primum actum; Scotus in 4. dist. 14. q. 1. negat auxilium speciale Dei esse necessarium: dicit enim, q̃ homo communi influentia Dei, ex naturalibus considerare potest peccatum commissum sub diuersis rationibus, & ut offensiuū Dei, & ut est contra legem Dei, & ut auersiuum à Deo, & ut impeditiuum pręmij ęterni, & ut inductiuum supplicij: & sub istis rationibus uel multis, uel aliquibus peccatum detestari, qui actus uocatur secundum eum attritio: & si continuabitur, & intendentur usque ad certum terminum, informabitur gratia, & efficietur contritio: nam in principio dum est attritio, semper est informis, idest sine gratia: & dicitur pręuia dispositio ad peccati deletionem: in fine autem, dum est gratia informatus, dicitur actus concomitans, ad peccati deletionem, & uocatur contritio, ratione gratiæ inexistentis. Verum tamen, dicit ipse, si actus iste, dum est in principio, erit malè circunstantionatus, ex imperio uoluntatis, nunquam erit sufficiens dispositio ad gratiæ receptionem, tunc enim est cum peccato actualiter. Si autem caruerit aliqua debita circumstantia ex intellectus inconsideratione, aut omissione uoluntatis: dubium erit, an ad illam sufficienter disponet: Si uerò erit sufficienter circumstantionatus, tunc continuatus, & intensus factus, ut dictum est, erit sufficiens dispositio ad peccati deletionem, & gratiæ receptionem: quæ in ultimo instanti illius dispositionis à Deo donatur. Hæc positio in uno tantum deficit: quamuis enim attritio malè circumstantionata haberi possit uiribus naturę cum communi influentia Dei, quod uerum est, & in multis experimur: tamen quando erit benè circumstantionata, impossibile est, ut hoc fiat sine auxilio Dei speciali præueniente, & mouente nostrum liberum arbitrium: immo à Deo mouente, & conuertente cor nostrum per inspirationes internas, uel externas, habet, ut sit bene circumstantionata: cui motui Dei, si non fiat resistentia à nostro libero arbitrio, non frustrabitur effectu suo, scilicet receptione gratiæ, iuxta illud Hieremiæ 31. Conuerte me domine, & conuertar. Postquam conuertisti me, egi pœnitentiam. Auxilium ergo speciale, idest motus Dei præuenientis nos, ad nostram iustificationem semper est necessarius. Et quamuis hoc probari posset per multas rationes: tamen cum habeamus determinationem Sacri Concil. Tridentini, Sessione sexta, Capitulo 5. & 6. pro nostra conclusione sufficiat. Qui motus simpliciter est totus Dei.

Auxilium Speciale.

Secundus actus, est motus fidei nostræ: qui partim est Dei, partim est nostri intellectus captiuati à uoluntate in obsequium Dei, qui adhuc est necessarius formaliter, uel saltem uirtualiter: Dicente Apostolo: Sine fide impossibile est placere Deo. Nam excitati diuino auxilio, qui est primus motus Dei, liberè mouemur in Deum per secundum actum. s. fidem, credentes, uera esse, quæ in Ecclesia prædicantur: scilicet Deum esse uindicatorem malorum, & seuerum

Motus fidei.

seuerum Iudicem peccatorum: esse quoque misericordem erga pœnitentes,& ueracem in promissis: ex quibus oriuntur duo alij motus,.f. timor seruilis, & spes de uenia obtinenda. Ideo dixi (Saltem uirtualiter) nam Christianus, qui didicit fidem, statim quòd recordatur peccatorum suorum, quatenus sunt offensa Dei: illa memoria Dei est actus fidei gignentis timorem,& spem,ut dixi, quibus homo ambulans non claudicat; nam si solo timore incederet, claudicaret in desperationem; si autem sola spe, claudicaret in præsumptionem nimiam de misericordia Dei, quæ ambo sunt mala.

Motus timoris seruilis. Tertius ergo actus est motus timoris seruilis;& iste est primus motus nostri affectus, qui ordinatur ad pœnitentiam, qui licet non sufficiat; eo quod non est uera contritio; est tamen bonus,& utilis: bonus, dico, nam initium sapientiæ est timor Domini; quod intelligitur de timor seruili, est etiam utilis; nam timor inferni est quidam stimulus, quo surgimus, ad inuocandum misericordiam Dei. Vnde Dauid Psal. 17. Circundederunt me timores mortis, pericula Inferni circundederunt me;& in tribulatione mea inuocaui Dominum. Hinc quidam Doctor hunc timorem comparauit setæ sutoris; sicut enim seta cum non sit satis firma, non potest coria consuere, est tamen accômoda ad introducendum filum; qui cum intrauerit, excluditur seta: ita timor Inferni, uel aliarum pœnarum, non sufficit ad reconciliandam amicitiam Dei, deseruit quidem ad inducendum charitatem, quo facto, ipse excluditur, nam ex seruili efficitur filialis; Vnde in S. Concil. Trid. Ses. 14 c. 4. de hoc timore ita dicitur: Illam uerò contritionem imperfectam, quæ attritio uocatur; quoniam uel ex turpitudinis peccati consideratione, uel ex gehennæ,& pœnarum metu communiter concipitur, si uoluntatem peccandi excludat, cum spe ueniæ, declarat Sancta Synodus non solum non facere hominem hypocritam,& magis peccatorem, uerum etiam & donum Dei esse. Ex quibus colligitur, quòd non solum timor Inferni, sed aliarum calamitatum,& dehonestationis, sub nomine timoris seruilis intelligitur.

[M]otus spei. Quartus actus est motus spei, qui, ut dictum est, gignitur à fide: nam cum fides, teste Paulo, sit sperandarum substantia rerum, facit, ut homo, sub spe ueniæ, assumat propositum emendandi uitam.

Motus charitatis. Quintus est motus charitatis acquisitę, quo peccata displicent. Qui quidem actus prędicti, cum sint informes, idest sine gratia, non sufficiunt ad iustificationem, disponunt tamen pęnitentem, ut Spiritus sancti impulsu, nôdum quidem inhabitantis, ipse adiutus, uiam sibi ad iustitiam paret, ait S. Con quo suprà. Hæc est illa attritio benè circunstantionata, quam ponit Sco. ut suprà uidistis, quæ continuata, & intensa, erit sufficiens dispositio ad peccati deletionem & gratiæ infusionem. Verum omnes isti actus non sunt absolutè necessarij, ut per omnes istos gradus homo disponatur, ait D. T. quo suprà, licet enim ut plurimum sint causa pęnitentiæ, disponendo hominem, ut dictum est, tamè quandoque Deus mouet hominem ad perfectam dispositionem in instanti, & in illo eodem momento infundit gratiam, ut contigit Paulo in sua conuersione.

Motus timoris filialis. Sextus est motus timoris filialis, in quo infunditur charitas perfecta; quæ homo dicitur uerè contritus: quæ contritio non dicitur nisi actus gratia informatus.

Et quia ista contritio non differt à pęnitentia uirtute, de qua est sermo; nisi quod post institutionem huius Sacramenti in lege Euangelica, ipsa includit uotum Confessionis,& Satisfactionis: ideò incipientes tractare de partibus huius Sacramenti,& uolentes definire quid sit Pœnitentia Virtus, sufficiet definire, quid sit Contritio prima pars Sacramenti Pœnitentiæ.

De

De Contritione, quæ est prima pars Sacramenti Pœnitentiæ.

Contritio igitur est dolor uoluntariè assumptus, de peccatis præteritis, quatenus sunt offensa Dei, cum proposito, illa non amplius committendi, sed confitendi, & satisfaciendi, spe ueniæ diuinitus obtinendæ. 13 *Definitio.*

Dicitur (Contritio est dolor) pro quo nota, quòd dolor propriè dicitur esse in corpore, tristitia in anima, ipsa enim in corpore constituta, cum pati dicatur, & dupliciter pati queat, & passione corporali, & passione animali. Passione corporali patitur per accidens, idest per corporis læsionem, sensu tactus perceptam: quæ fit cum corporis transmutatione: Hinc sequuntur lachrymæ, & planctus. Passione autem animali propriè patitur per operationem, quæ potius est animæ, quam corporis, dum per rationem, vel imaginationem apprehendit quod est sibi disconueniens, nociuum, & malum; quæ passio tristitia dicitur, quæ tanta esse potest, ut etiam corpus immutet, & suspiria, lachrymas, & gemitus gignat. *Nota quomodo dolor sumatur hic.*

Pro modo, Contritio non potest dici dolor, non enim omnes pœnitentes talem dolorem habere possunt, nec plangere, & lachrymari. Quomodo ergò Contritio dicitur dolor? ut etiam alij definiunt. Contritio est præterita peccata plangere, &c. Respondetur, quòd hic sumitur largè, pro qualibet displicentia, & detestatione. Vnde dicitur dolor cordis, idest uolũtatis, iuxta illud Ps. 12. Quamdiu ponam consilia in anima mea, & dolorem in corde meo per diem. Sumitur ergò hæc propositio causaliter, idest in quantum est causa doloris; Contritio namque propriè, & formaliter est detestatio peccati, & displicentia uoluntatis, quæ uellet illud non commisisse, quod cum non possit esse, apprehendendo illud ut malum, tristatur, & quandoque tantum tristatur, ut in lachrymas prorumpat, corpus afficiendo, ac si corporaliter doleret. Itaque sumitur hic dolor pro effectu, in quantum ipsa contritio est causa doloris. Hinc Aug. in lib. de uera, & falsa pœnit. Dolor dicitur comes pœnitentiæ, & non dixit, dolor est pœnitentia.

Dicitur (Voluntariè assumptus) ad differentiam doloris, qui causatur ab extrinseco, per timorem, aut oppressionem aliquam: cum enim aliquid afficit corpus nostrum, aut nobis nolentibus, aliquid aduenit, inuoluntariè tristamur: & hoc modo non est bona contritio, sed mala: iuxta illud Psal. Contritio, & infelicitas in uijs eorum. Sed Contritio (de qua agimus) est actus à uoluntate sponte elicitus, quæ uoluntas, ut domina potentiarum præcipit, ut anima tristetur. Hinc appetitus sensitiuus per rationis obedientiam, ad dolendum de peccatis excitatur, usque ad lachrymas, si fieri potest.

Dicitur (De peccatis præteritis) peccata enim præterita propria, & actualia sunt obiecta contritionis: futura autem peccata respicit consequenter, quatenus per contritionem detestamur in genere omne id quo Deus offendi potest. Et dico (Propriis) nam de alienis tristari, non est actus Contritionis, sed charitatis. Et si quis tristatur de peccato, cuius ipse causa fuit; hoc accidit, inquantum crimen suum grauius esse cognoscit, ac inde meretur maiorem pœnam.

Dicitur (Quatenus sunt Dei offensa) nam Contritio, quæ est de peccato, in quantum peccatum est tantummodò, dicitur uirtus naturalis; peccatum enim

Peccatũ per se odibile est cũ sit contra bonũ natura.

cum sit contra bonũ naturæ, per se odibile est. Hoc modo Ethnici ipsum ode runt: & si uidetur ab aliquibus amari, & sequi; hoc euenit; in quantum in illo apparet aliquod delectabile: quod accidit iis, qui prauas passiones, & sensualitatem corruptam habent: in se autem cognitum abominabile est. Sed detestatio peccati, inquantum per ipsum Deus offenditur, virtus supranaturalis est, vt suprà dictum est. Et hęc est Contritio, quæ supernaturaliter habetur. Item dixi (quatenus sunt Dei offensa) ad differentiam attritionis: pro quarum differentia nota. Attritio venit à verbo attero, quod est scindere, & consumare aliquid in partes grossiores. Contritio autem uenit à verbo contero, quod significat, aliquid in partes minutas consummare, & in puluerem reducere: Hinc sumitur similitudo vocabuli, quòd dolor imperfectus de peccatis dicatur attritio, perfectus uerò dicatur contritio. De qua Dauid: Cor contritum, & humiliatum, Deus non despiciet. Verumtamen, quidam hanc differentiam quantum ad remissionem, & intentionem actus intellexerunt; idest magnitudinem, & paruitatem doloris; Vnde dixerunt, Contritionem esse dolorem magnum & intensum, per quem cor pœnitentis quasi conteritur. Attritionem verò esse dolorem paruum & remissum: qui quandoque intenditur & crescit, & tunc attritio fit contritio, ut suprà diximus. Alii hanc differentiam intellexerunt, quo ad diuersitatem obiecti: scilicet, si quis doleat de peccatis commissis propter Deum, idest ut sunt offensa Dei, tunc dicetur, perfectè dolere, & dicetur contritus. Si autem quis doleat de peccatis propter pœnas inferni, & alia mala, idest ut nobis multa mala, & incommoda afferunt; tunc dicetur, imperfectè dolere, & dicetur attritus.

Psal. 50.

Differentia inter contritionem & attritionem secundum unã opinionem.

Attritio quo fiat cõtritio.

Secundum primam opinionem, quam sequitur Scotus, & eius schola, ultra illa, quæ dicta sunt supra; ponitur differentia inter Attritionem, & Contritionem magis specialiter, scilicet, quod Attritio est dolor imperfectus, Contritio verò est dolor perfectus. Iste dolor imperfectus attritionis accidere potest, uel quia homo habet modicam displicentiam peccatorũ, puta, dolet de præteritis, ita vt pro tunc non intendat cõmittere peccatũ mortale: tñ non proponit mutare statũ ut accidit Meretricibus, & Vsurariis, quibus displicet peccasse, & uellent nõ peccare: tñ non relinquunt concubinatũ; nec restituunt vsuras: & hęc uocatur attritio impęnitentiũ: Vel quia cum displicentia peccatorũ præteritorum, i. propositum cauendi in futurum, tñ in cõfuso, & non explicitè; eo quòd tale propositum est debile: & hęc uocatur attritio imperfectorum. Vel quia adest displicentia non parua, cum proposito actuali explicito, & distincto, cauendi in futurum; tamen ista displicentia, & odium peccatorum, non est super omne odibile, nec propositum cauendi est supra omne euitabile; quia non amat Deum super omne amabile: & hæc dici potest attritio tepidorum. Vel quia displicentia, & odium peccatorum est quidem super omne odibile; itaque potius uellet omnia mala pati, quàm Deum offendere; quia ipsum amat super omne amabile: unde quantificatur displicentia peccatorũ ex quantitate amoris Dei: tamen ista talis displicentia dicitur dolor imperfectus, quia est sine infusione gratiæ, sed ex nostro arbitrio: & hæc uocatur attritio perfectorum, & ab aliquibus uocatur contritio acquisita informis: & est ultima dispositio ad gratię receptionem; quia est illa, quæ, ut suprà diximus, est benè circumstantionata. Hæc autem displicentia ultimò posita (dicit ista opinio) haberi potest, ut suprà narraui, ex puris naturalibus: quod probat; nam sicut in potestate nostra est eligere fornicationem, aut diuitias pro nostra felicitate, & ultimo fine, ita etiam in potestate nostra est ex naturalibus eligere Deum pro ultimo fine, & nostra beatitudine; & ex hoc actus iste erit sine Charitate: aliàs actus iste ex naturalibus haberi non posset, sed semper ex charitate infusa, sequeretur.

Attritio impænitentiũ.

Attritio imperfectorum.

Attritio tepidorum.

Attritio perfectorum.

quæretur, ut dum illum experimur in nobis, nos scire certò esse in charitate, quod est falsum:multi enim experiuntur se hunc actum habere,scilicet odium peccati super omne odibile,& actum dilectionis super omne amabile: & tamẽ nesciunt,an sint digni amore,vel odio,idest an habeant charitatem infusam,an non. Verum quia ista dilectio est similis charitati infusæ, propter similitudinem actus,ideò non discernitur,an sit à nobis,an à Deo. Quidquid,secundum istam opinionem de attritione dictum est,conceditur,præter ultimum,scilicet, non conceditur attritionem perfectorum sic bene circumstantionatam, haberi posse ex naturalibus, sine auxilio speciali Dei mouennis, & ad actum ultimæ dispositionis adducentis,si homo consentit Dei motioni,ut S.Concil.determinauit,& nos suprà tetigimus. Contritio autem, quæ est dolor perfectus, tunc dicitur,quando iste actus sic benè circumstantionatus displicentiæ, & amoris, erit charitate informatus. *Corrigitur opinio.*

Secundum alteram opinionem ponuntur istæ differentiæ inter Attritionem, & Contritionem. Prima est ex parte obiecti,scilicet,quòd Contritio est dolor de peccatis propter Deum,i.quod se nollet peccasse, eo ꝙ illo actu offenditur Deus:Attritio aũt est dolor de peccatis ob timorem Inferni, seu aliarũ pęnarũ, uel amissionis gloriæ. Secunda differentia est ex parte motiui: qui enim dolet propter Deum,mouetur timorẽ filiali, qui non est sine charitate,& hic gignit Contritionem:Attritio verò oritur à timore seruili: nam mali oderunt peccare formidine pęnæ:dum enim attritus est,semper malus est. Tertia differentia est, quòd Attritio quandoque oriri potest ex naturalibus, & communi influentia Dei, & hoc modo nunquàm poterit esse vltima dispositio ad gratiam, quia semper est cum peccato actualiter: sed Contritio nunquam pôt esse sine motione Dei,& auxilio speciali præueniente nostrum liberum arbitrium. Ex his oritur quarta differentia, scilicet, quòd Attritio de se non ualet hominem in Dei gratia constituere, rationibus iam dictis:sed Contritio id habet ex se, ut possit,semper enim habet charitatem annexam,cum qua infunditur. Colligendo ergò ex prædictis,& conciliando opiniones quantum possumus,dicamus in summa, quòd Attritio est duplex. Vna dicitur intrinsecè attritio ex obiecto, quando,scilicet dolor est propter pœnas Inferni, uel alia incommoda. Altera dicitur extrinsecè attritio, quando scilicet dolor est de offensa Dei, tamen est sine gratia:& ista propriè loquendo, uocatur Contritio acquisita,& est,quando initiatur ex naturalibus. Hæc autem attritio propriè dicta intrinsecè ex obiecto,est quoque duplex: Vna uocatur attritio nota:& est,quando dolor de peccatis est malè circumstantionatus, scilicet,dũ homo ideo dolet de peccatis: quia vindictam annexam habent:itaque magis abhorret pęnam, quàm turpitudinem peccati, vnde si non esset pęna imminens,non pęniteret; uel quando dolet de pręteritis,cum actu contrario positiuo in futurum,idest, cũ proposito peccandi,vel saltem negatiuo,idest non proponit abstinere: ut accidit concubinariis,& vsurariis, qui licet doleant de vita præterita; & uellent peccata relinquere, tamen non proponunt id perficere: & hæc est similis attritioni impœnitentium supradictæ. Vel denique,attritio nota dicitur,quando cognoscit se non dolere de peccatis,ut decet,& non inflammatur,quæ est similis imperfectorum:Et hæc attritio nota nunquam gratiam attingit,nec ex se, neq; cum Sacramento;quia semper est annexa peccato mortali. Altera dicitur Attritio putata Contritio: & est, quando perfectè circumstantionatur in genere moris, idest,dum homo dolet de peccatis quantum potest,& debet, ob eorum turpitudinem,vel ob pœnas Inferni,non cogitando, quia sunt offensa Dei, tamen dolet,cum proposito abstinendi in futurum, spe veniæ obtinendæ: & dicitur putata contritio,homo.n.eam habens,putat se fecisse quantũ debet, & hęc assimilatur

Attritio duplex; vna dicitur intrinsecè ex obiecto.

Attritio nota.

Attritio putata cõtritio.

similatur attritioni perfectorum alterius opinionis. Hęc autem Attritio putata Contritio, quamuis sine Sacramento per se ad iustificationem peccatorem perducere nequeat, quantumcunque continuetur, aut intendatur, ut ait Sacrũ Concil. Trid. Sess. 14. c. 4. tamen, cum sit donum Dei, per Spiritus sancti impulsum, nondum inhabitantis, sed mouentis, & ad gratiam, & Sacramentum disponentis; homo accedens ad Sacramentum sic attritus, mediante Sacramentali absolutione, gratiam suscipit; & tunc ex attrito fit contritus. Non quòd illemet attritionis actus propriè efficiatur contritio, vt per eam postea pœnitens contritus nominetur; nam Sacramentum non constituit actui uoluntatis aliud obiectum, scilicet offensam Dei, ut per illud propriè, & intrinsecè contritio efficiatur; sed idem numero actus attritionis, per Sacramentum informatur gratia, qua contritio extrinseca dici possit, ita, ut per eam, vt sic, homo iustificetur, & contritus nominetur.

Ex attritio fit contritus quomodo intelligatur.

Alia attritio dicitur extrinsecè.

Alia attritio, quæ extrinsecè dicitur attritio, est etiam duplex, una malè circumstantionata: quod tunc est, quando displicentia peccatorum, cum velles ita te non peccasse, est sine proposito abstinendi, quæ dicitur attritio impęnitentium: vel si est cum proposito abstinendi in futurum, propositum illud est in confuso, quæ dicitur attritio imperfectorum: & isto modo talis Attritio nunquàm fieri potest Contritio, manente eodem actu specie in principio, & in fine, etiam cum susceptione Sacramenti, nam illa modica, & imperfecta displicentia cum proposito non abstinendi, uel si est cum proposito abstinendi, tamen in confuso, non est idem actus cum displicentia perfecta, quæ summè odit peccatum, & propositum in confuso non est idem numero cum proposito distincto, & deliberato non peccandi, vt requiritur ad veram contritionem, sed differunt specie; & ideò vnum non potest fieri alterum. Altera est benè circumstantionata, quæ ab aliquibus vocatur contritio acquisita; quod tunc est, quando displicentia peccatorum est super omne odibile, cum proposito vitandi super omne euitabile, & hoc ex amore Dei super omne amabile, quæ dicitur attritio perfectorum: & de hac verum est dicere, quòd attritio fit contritio formata; quia actus ille idem numero continuari potest vsque ad gratiæ, & charitatis infusionem conclusiuè.

Attritio fit contritio quomodo intelligatur.

Sed hic quæritur, vsque ad quem terminum cõtinuari debeat talis actus diplicentiæ perfectæ, vt limites habeat: ita quòd ibi sint confines attritionis, & contritionis? Aliqui dicunt, quòd actus ille dum continuatur; si intenditur, & crescit vsque ad terminum, quo fit ultima dispositio ad gratiam, tunc efficitur contritio. Vnde uerificatur illud dictum, attritio, & contritio differunt secundum magis, & minus. Alijs quidem hæc responsio non placet, nam quandoq; sufficit gradus remissus talis displicentiæ benè circunstantionatæ, ut dictum est, ad charitatem habendam, & non oportet, ut intendatur: quod ita esse suadetur, credimus enim probabiliter, cum ad talem displicentiam remissam peruenerimus, nos esse in charitate: vnde aliter dicunt. Si actus ille benè circumstantionatus in genere moris continuabitur vsque ad certum terminum, in quo Deus determinauit talem attritionem debere esse sufficientem dispositionem, & meritum de congruo ad iustificationem; tũc infundetur gratia, & peccatum simpliciter delebitur: vnde si manebit idem motus displicentiæ peccati, in esse naturæ, & moris, in fine, ut in principio; tunc idemet motus, qui prius fuit Attritio, in illo instanti temporis fiet Contritio. Itaq; distinguendo signa naturæ inter actum, qui est informis in principio, & actum formatum in fine, dicamus, quòd in primo signo naturæ, per actum pœnitentiæ informem perfectè circunstantionatum, deletur peccatum, tanquam per dispositionem præuiam, & meritum de congruo, & in secundo signo naturæ deletur per actum

chari-

charitate informatum, tanquam per actum concomitantem gratiam, seu charitatem; & ille propriè dicitur contritio.

Vel dicamus cum Caietano in opusculus in quæstione de contritione; quod Diuina Dei motio facit ut illa attritio sic bene circumstantionata sit vltima dispositio ad gratiam, & charitatem habēdam, ita quod ex hoc ipso, quod Deus per solam gratuitam directionem, qua dignatur uti nostra attritione, ut vltima dispositione ad dictam gratiam, quę infunditur, transfertur dicta nostra attritio ad formæ vltimam dispositionem pro dicta gratia habituali habenda: & sic in illo instanti fit contritio. *Dubiū de merito de congruo.*

Et si quæratur, occasione illius uerbi positi in secunda responsione, scilicet talem attritionem debere esse meritum de congruo ad iustificationem: quomodo gratia dabitur per meritum de congruo, si à Deo liberè donatur? imò, si gratia daretur ex aliquo merito, & debito, gratia non esset gratia, hoc enim sonat uocabulum, quia gratis datur. Respondetur, quod hæc difficultas oritur ex non intellecto vocabuli significato: nam meritum de congruo, est actus liberè elicitus, & ex eius occasione acceptus ad aliquid retribuendum ex liberalitate dantis; aliàs non daret: quæ liberalitas non exigit, ut ille, cui donatur, sit amicus, nec exigit in Deo donante, ut det ex debito, uel pacto, ut requiritur ad meritum de condigno; sed ex sua liberalitate donat: tanta enim est liberalitas donantis, & complacentia in opere moraliter bono: ut dum peccator facit aliquod opus moraliter bonum, ut de Centurione legitur Actu. 10 & perfectè circumstantionatum, ut dictum est suprà: sic à Deo acceptatur, ut pro eo detur gratia, aliàs non daretur. Adiungatur, quod actus iste initium habeat ab impulsu Spiritus sancti mouentis, & præparantis cor hominis ad hoc, ut disponatur, & gratia informetur: si homo assentiendo præparat cor suum, & disponitur eo modo, quo dictum est; Deus qui perficit naturam, sicut semper dat formam naturalem vltimo dispositis, ita in gratuitis operatur, ut ultimo dispositis ad gratiam illam donet, aliàs diceretur acceptor personarum. Hinc ortum habuit illud diuulgatum in scholis Theologorum, scilicet: Facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiam. Itaque illa ultima dispositio dicitur meritum, inquantum gratia, quæ donatur, illius occasione donatur: sed dicitur cum limitatione, scilicet de congruo, ad differentiam meriti de condigno; non enim datur ex debito, pacto, uel conventione, ut ad uerum meritum requiritur: sed ex liberalitate naturę animi donantis bonum, excedens actum operantis: (donantis) dico, excitati illius occasione, ac uolentis dare omnibus, ita dispositis; aliàs non daret: & hoc sonat ly; (de congruo,) quod prima facie non intelligenti vim uocabuli, scandalum gignit.

15

16

Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam.

Dicitur, (Cum proposito illa amplius non committendi) nisi enim habeatur hoc propositum, non erit uera detestatio & displicentia, ut Contritio dici possit: Quomodo enim erit uerè pœnitens, Deum offendisse, si non proponit illum amplius non offensurum. Iuxta illud Ezechiel. cap. 18. Proijcite à nobis omnes iniquitates uestras, in quibus præuaricati estis (ecce præteritorum detestatio) & facite uobis cor nouum, & spiritum nouum (ecce propositum de cetero non peccandi) in quo proposito includitur non modo a peccatis cessatio, uerum etiam uitæ nouæ inchoatio. Non quod promittere debeat se amplius non peccaturum omninò, hoc enim est impossibile sine gratia Dei, quam se habere, homo non est certus: sed tenetur habere promptam uoluntatem, & propositum amplius non peccandi pro quacunque re mundi. Vnde Christus Ioan. cap. 8. non dixit Adulteræ, vade in pace, & amplius non pecca: sed noli amplius peccare, idest habeas voluntatem non amplius peccandi.

17 Adiunctum est (Sed confitendi, & satisfaciendi) per has enim partes, differt Contritio, ut est una pars Sacramenti, à Contritione, vt est Pęnitentia Virtus, quæ necessaria erat ante Sacramenti institutionem: tunc enim sufficiebat dolere de peccatis, & se accusare in corde suo apud Deum, absque uocali confessione: Post uerò Sacramenti institutionem; nisi pœnitens habeat uotum confitendi, & satisfaciendi, ac præstandi reliqua, quæ ad ritè suscipiendum hoc Sacramentum necessaria sunt, & Ecclesia præcipit, ut dictum est suprà,

18 non dicetur vera Contritio.

Dicitur denique, (Spe ueniæ obtinendæ.) Hæc ultima pars complemētum, & perfectio omniū supradictorum est: Homo enim dum conuertitur ad Deum, accedere debet ad tribunal Diuinæ misericordiæ cum fiducia obtinendi remissionē offensæ factæ. Audistis enim suprà, quod ad iustificationem impij, inter cetera requiritur motus spei; qui motus si defecerit, dolor, quem habebit homo de peccatis, Iudæ pęnitentię adæquabitur. Necessariò igitur in fine ponitur illa

19 particula, scilicet spe veniæ obtinendę.

Colliguntur defectus qui uitiant contritionem.

Hinc breuiter colligere possumus omnes defectus, qui in contritione accidere possunt, ita, ut contritio taliter uitietur, ut non sufficiat ad remissionem peccatorum, etiam cum Sacramento, qui maximè notari debent, quia agitur de salute animę.

Primus defectus est, quando non adest dolor de peccatis commissis: sed in hoc casu non dicetur Contritio, neque Attritio: quoniam dolor de peccatis utrique communis est, & essentialis.

Secundus est, quando adest quidem aliquis dolor de peccatis, tamen dolor iste mixtus est: quod accidit, dum homo tristatur, non quia displicet sibi peccata, sed pœnę, quę peccatis annexę sunt: unde nollet pœnas inueniri, ut in peccatis delectari posset: & si Deum timet, illum ueretur, quia uindicator est, & non aliter: & quia dolor iste dicitur pœnitentia ficta, non meretur dici neque Attritio.

Tertius defectus est, quando adest dolor de pręteritis, non tamen intendit in futurum abstinere. Et hoc tripliciter contingere potest. Vel habendo actum positiuum contrarium: puta intendit de nouo peccare; & hic modus neque Attritio dici ualet. Vel habendo actum contrarium quidem, sed habitualiter, puta, etsi non proponat actualiter peccare, nec tamen proponit peccatum relinquere, ut accidit concubinarijs; uel ablatum restituere, ut accidit usurarijs; uel inimicitias deponere, ut accidit odientibus, qui etsi inimicos non persequuntur, non tamen odium deponunt. Et hic modus dolendi uocatur attritio impœnitentium. Vel habendo actum negatiuum explicitè puta dolet de præteris, cum proposito abstinendi in futurum, uerum tale propositum est in confuso; qui modus dolendi uocatur attritio imperfectorum, ut dictum est suprà. Omnes isti modi dolendi nunquam attingunt gratiam iustificantem; non enim sufficiunt ad præparationem animi, & peccati deletionem; etiam cum susceptione Sacramenti, siue dolor causetur ob pœnas Inferni, siue ex offensa Dei, qui est proprium obiectum contritionis.

Quartus est, quando dolor est sufficiens de præteritis, & propositum est firmum cauendi in futurum; tamen dolor iste ortum habet à timore inferni, uel aliarum pœnarum, quę propter peccata infliguntur: & iste dolor, quamuis bonus sit: per se tamen non sufficit ad deletionem peccatorum & acquisitionem gratiæ, nisi cum Sacramento.

Quintus est, quando dolor est sufficientissimus, etiam de offensa Dei summi boni; tamen est cum diffidentia misericordię Diuinę: & iste pessimus dicitur:

citur: qui enim dolorem habet de peccatis quantumcunque magnum, sine spe veniç obtinendç, incidit in desperationem.

Quçritur Primò, ad maiorem prædictorum declarationem, quantus esse debeat dolor de peccatis, ut sit sufficiens dispositio receptionis gratiæ? Pro huius rei difficilis intelligentia, est aduertendum, quòd dolor; de quo est sermo, qui aliud non est, nisi detestatio, & displicentia de peccato, ut diximus, oritur ex odio rei, de qua dolemus, & odium oritur ex amore rei oppositæ: puta, qui amat Deum, odit peccatum, quod est Deo contrarium, unde dolet se illud commisisse: itaque ex amoris quantitate metiendus est dolor, & odium. Pro quo est notandum, quantitatem doloris peccatorum, dupliciter intelligi posse: uel absolutè, quo ad actus intensionem, & remissionem: puta, homo fortiter odit aliquid; sicut magno affectu, & conatu amat oppositum, tunc odium, & amor intensus esse dicitur: si autem parum odit, & mollè amat, tunc uterque remissus vocatur. Vel potest intelligi comparatiuè: quod accidit, dum actus uoluntatis maior esse dicitur circa rem aliquam, respectu alterius rei: puta, quis odit magis Petrum, quam Marcellum; aut amat magis hoc, quam illud tunc odium, & amor dicetur maior, uel minor respectu huius, uel illius rei. Et quod dicitur de odio, & amore, intelligatur de tristitia, & dolore, in proposito. His prælibatis, respondetur dubio. Adrianus Quodlibeto quinto, articulo tertio, ait, dolorem peccatorum debere esse intensum, idest uoluntas toto suo conatu peccatum odire debet. Sed hæc opinio defendi non potest; uis enim, & magnitudo amoris, & odij, ex apprehensione obiecti oritur. Et quia res sensibiles mouent appetitum sensitiuum, quemadmodum spirituales intellectiuum; quod ex defectu naturæ nostræ corruptæ causatur; hinc sequitur, intensiorem esse dolorem bonorum, & honoris amissorum, quæ sunt in parte sensitiua; quam dolorem, & tristitiam peccatorum, quæ sunt in parte intellectiua, per quç peccata amittitur Dei amicitia, quæ est bonum sine comparatione melius: vnde sequitur, si hoc modo contritionis, & doloris quantitatem intelligere uellemus, nemo quasi saluaretur, quia sufficientiam hanc nemo habere ualet. Ideò dicam cum Diuo Thoma, quòd dolor, idest displicentia peccatorum magnus esse debet, comparatiuè, idest per comparationem ad alias res; scilicet, taliter homo peccata detestari debet, vt pro nullo temporali commodo illa perpetret, & hoc dicitur uerum propositum non peccandi, quod in contritione requiritur, vt suprà dictum est. Idem etiam de commissis dicendum est, scilicet maiorem tristitiam de offensa Dei, & eius gratia amissa homo habere debet, quam de iactura cuiuscunque rei temporalis, vt sunt bona, & honor, ac etiam uita propria, pro quibus inductus fuit ad peccandum. Huius ratio ex hoc desumitur: Contritio, quç est displicentia de offensa Dei, est actus charitatis, qua Deum amamus; igitur tantus esse debet dolor de eius offensa, quantus est amor, quo eum diligere tenemur: sicut enim Deus est summum bonum; propter quod super omnia diligi debet, ita peccatum, cum sit summum malum, super omnia odiri debet. Nos autem in hac uita mortali Deum intensiuè diligere non ualemus; prout legitur Deuteronom. cap. . . scilicet, ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & ex omnibus uiribus; ait enim August. Hoc prçceptum in hac vita, sic adimpleri non potest, nisi initiatiuè, sed in patria perfectiuè. Vnde Sancti Patres comparatiuè adimpleri posse in hac vita, intellexerũt, idest ita Deum deligere debemus, ut nil aliud eius amori prçponamus. Ita Christus Matth. 10. intelligere voluit, dum dixit: Qui amat patrẽ, uel matrem plusquam me, non est me dignus: idest qui præponit amorem patris, aut matris amori qui mihi debetur, certè non est dignus amicitia mea. Dico igitur, sicut Deum super omne amabile comparatiuè

20 *Dubiũ de quãtitate doloris contritionis.*

Nota.

ratiuè amare tenemur, ita peccatum super omne odibile odire debemus. Qui ergò minorem dolorem habet de peccatis, quam de quocunque alio damno temporali, cuius occasione peccatum commisit; iste insufficientem dolorem habet; unde ad gratiam iustificantem dispositus non est. Verbi gratia: Quidam nobilis iniuriam vlciscendi causa, inimicum interfecerat; qua de re postea cogitans super peccato commisso, potius complacentiam quandam habet de recuperato honore, & se mundo strenuum ostendisse, media morte inimici, quàm displicentiam de commisso homicidio contra legem Dei: iste talis maioris æstimat mundi, quàm Dei honorem; itaque de offensa Dei sufficientem dolorem non habet. Item, qui ex delicto perpetrato, examinatus à Iudice secundum formam iuris, dum veritatem dicere tenebatur, falsò iurauit: cogitans postea de offensa Dei, illam non tanti æstimat, quanti propriam uitam, aut bona, quę amittere potuisset, ueritatem dicendo: iste non habet tantum dolorem, quantum habere tenetur de periurio facto. Sed hic benè nota: quòd hoc non dico, hominem debere facere has comparationes actualiter, scilicet, si nunc esset ante Iudicem pro tali causa, quid potius eligere debeat, falsò iurare, an mori? Homines namque vulgares, & timidi hanc constantiam non habent, caro enim magis mouet, quàm spiritus; sed huiusmodi actus sunt perfectorum prout erat Paulus, dicens: Quis me separabit à charitate Christi, nuditas? an fames? an gladius? &c. & quandoque quibusdam accidit. Itaq; ut plurimum continget, ut aliquis ueram contritionem habeat, & si hanc comparationem ei actualiter proposueris, animo titubabit, ut benè ait Sotus, in 4. dist. 17. artic. 4. Quid igitur facere debet, sufficientem dolorem non habens, in casibus prædictis? Debet saltem dolere de sua insufficientia, & quantum ad homicidium, vel periurium in tali casu commissum, doleat quantum potest, non habendo cōplacentiam de honore recuperato, uel uitæ causa, sed displicentiam magnam habeat de occasione sibi data, nolens illam pro quacunque re accidisse, propter quam ductus fuit Deum offendere: Et circa peccata futura tenetur non habere illam promptitudinem animi, scilicet occisurum qui eum circa honorem tangere auderet; sed cauere quantum potest, ne ei talis occasio detur, uel accidat ex quacunque causa, propter amorem Dei, quem non intendit offendere: & ita Deus eum adiuuaret: & qui aliter cogitat, non est dignus venia. Concludendo igitur in uniuersali, sufficiat homini, maiorem de peccatis displìcentiam habere simpliciter, propter Dei offensam, quàm de omni alia re. Et simpliciter proponat, pro nulla re mundi Deum se offensurum, cum formidine tamen, ne aliqua occasione fragilitatis cadat; & cum hoc omnia illa ordire debet, ex quibus peccatum oriri potest; intendensque cauere occasiones, quæ ad peccandum eum inducere possent; scriptum est enim. Qui amat periculum, peribit in illo. Eccl. c. 3.

Nota.

21 *Dubium 1. de tempore quo tenemur confiteri.*

Dictum est suprà, pœnitentiam Virtutem, quę contritio vocatur, necessariam esse ad salutem, ita, ut de ea extet præceptum Diuinum, dicente Domino, Matth. 4. Pœnitentiam agite, &c. vbi Christus non loquitur de Sacramēto pœnitentiæ; sed de pœnitentia virtute, quę est peccatorum displicentia, ut dictū est. Et iam patet, cum sit ad salutem necessaria, sequitur, ut sit in præcepto. Sed dubium est de tempore huius præcepti, ideò quando obligamur contritionem habere de peccatis, ita, ut defectus, & negatio huius, nouum peccatum inducat. Aliqui dicunt, statim ut homo peccat, de peccato dolere debet, iuxta illud Ecclesiast. cap. 3. Qui amat periculum, peribit in illo: qui enim manet in peccato, semper est in periculo. Et cap. 5. eiusdem Eccl. Non tardes conuerti ad Dominum, nec differas de die in diem, subito enim uenit ira eius. Sed hæc positio non est vera. Cum enim præceptum sit affirmatiuum, non obligat ad semper.

per.

per. Accedit quoque usus Ecclesię, quæ non ascribit nouo peccato moram pœnitentis; nam si statim de peccato dolere teneremur, retardando pœnitentiam peccata multiplicarentur, quod Ecclesia non exigit à nobis. Et ad auctoritates dicitur: quòd quamuis teneamur non manere in peccatis, propter periculum, hoc non est ex singulari pręcepto, sed per omnia mandata peccata prohibentia; sicut enim tenemur non peccare, ita & in peccato non manere. Quod autem auctoritas dicit, est de consilio.

Sed si instias, quo tempore pręceptum urget? Scotus in 3. Sent. dist. 17 uidetur uelle, nos teneri ad hoc pręceptum diebus festiuis; dicit enim, cultus festorum, eo fine nobis præceptus est, ut Deum amore, & dilectione colamus; tunc enim urget pręceptum Deuteron 5. Diliges Dominum Deum tuum, &c. & quia hoc fieri nequit nisi de peccatis commissis conteramur, sequitur, quòd talibus diebus ad pœnitentiam Virtutem teneamur. Contra hoc assertum breuiter dicitur: Finis præcepti non est præceptũ, ergo ex obligatione de colendis festis non sequitur obligatio de dilectione Dei, & consequenter de pœnitendo. Accedit alia ratio. Cum numerus festorum sit multus, si populus toties conteri teneretur, esset nimium fidelium animos aggrauare ad tam difficile præceptum. Ideò aliter dicamus. Si loquimur in lege Euangelica post Sacramẽti institutionem, tenemur ad singulare præceptum contritionis, dum urget præceptum confessionis, non tantum semel in anno, sed quoties transit aliquod periculum mortis. ubi si copia confessoris haberi non potest, saltem de offensa Dei contritio habeatur. Si autem loquamur, secluso præcepto Ecclesiæ, ut in Lege Naturę, & scripta tenebamur, ultra periculum mortis transiens, homo tenetur, dum timeretur, peccatum tradi in obliuionem, quod tempus, cum non esset iure Diuino definitum, Ecclesia statuit, ut non transeat spaciũ unius anni. Præter dicta, si quod aliud tempus adest, in quo debemus conteri de commissis; puta dum aliqua Sacramenta administrantur, quæ in gratia administrari debent, tam actiè quam passiuè; illud exigitur ex ui Sacramenti, & non uirtute præcepti.

Vna opinio.

Refutatio.

Quæritur Tertiò, an peccata semel legitimè confessa, quoties in mentem uenerint, toties de illis dolere debeamus? Respondet Richardus, dist. 14 artic. 9. q. 1. quem sequitur Alexander de Ales, 4 p. q. 68. mem. 2. & Gabriel Biel. ead. dist. aut peccatum memoriæ occurrit speculatiuè, aut practicè: speculatiuè tunc dicitur quando de illo cogitat discurrendo tantum eius naturam, nihil affectionis ponendo, uel ut iudicet de eo, ut accedit Confessoribus, uel ut tractet de eo, ut accidit Lectoribus. Practicè autem tunc dicitur; quando sistitur in eius cogitatione cum aliqua delectatione; dicunt ergo tunc nos teneri de illis conteri, quando se offerunt memoriæ practicè. Contra hanc opinionem arguitur: propria materia Confessionis est culpa, ad quam uirtus pœnitentię ordinatur detestando peccatum: sed peccatum semel dimissum, non est amplius materia necessaria confessionis, nec contritionis, ergo quomodocunque illud memoriæ se offert, non est amplius materia contritionis, ut de illo conteri teneamur sic simpliciter consideratо. Ideò aliter mihi uidetur dicendum. Circa peccatum semel remissum, dum in memoriam reuocatur, tripliciter homo se habere potest: uel detestando illud, uel delectando se in eo, uel neutro modo se habendo. primo modo meretur: non tamen tenemur illud amplius detestari, ratione iam dicta. Secundo modo peccat de nouo, non ratione præcepti, ut isti dicunt; sed ratione nouæ complacentiæ, quam habet de peccato commisso. Hinc sequitur, non solum peccare, qui complacet de peccato præterito, delectando se in illo actu transacto; sed etiam qui narrat peccatum a se commissum cum quadam complacentia, & delectatione; iactando se de illo casu successo,

3. Dubium an quoties recordamur de peccatis præteritis confessis de ijs dolere teneamur.

Refutatio.

Resolutio.

cesso, & facto secuto: & toties, quoties, etiam si de illo confessus sit, & satisfecerit. Si tertio modo se habet, nec peccat, nec meretur. Debet autem illum cogitatum repellere, propter periculum consentiendi in illum; & maximè si esset peccatum carnis: isti enim cogitatus sunt adeo periculosi, ut quandoque, speculatiuè occurrentes, animum perturbent.

De Confessione, quæ est secunda pars Sacramenti Pœnitentiæ.

ET quia pœnitentia uirtus, quæ post promulgationem Euangelij, contritio nuncupatur, & pars Sacramenti effecta est, includit in se uotum Confessionis, quæ est altera pars Sacramenti; meritò ea expedita, de ipsa Confessione dicendum est. Est enim Confessio ita necessaria ad saltem post

21 *Confessio est necessaria ad salutem.*

Baptismum, labenti in culpam mortalem, ex Christi institutione Ioan. 20 vt sine ipsa in re, quando datur locus confitendi, & præceptum uiget; uel saltem in uoto, quando facultas confitendi negatur; quia in tali casu uoluntas pro facto habetur, remissio peccatorum haberi non possit; & consequenter uia, qua ad patriam tendimus, clauditur: Est enim peccatum mortale obstaculum tale, ut per ipsum ad cælum nobis aditum negetur. Confessio igitur Sacramentalis necessaria est ad salutem, necessitate finis, ac præcepti Diuini, & humani.

Et hoc rationabiliter: idem enim Deus, qui decreuit, ut nulli salus pateat, nisi per passionem Christi; etiam instituit, ut eius merita, per Sacramentorum applicationem nobis proficerent ad salutem. Itaque, sicut Baptismus est necessarius ad ablationem originalis culpæ; ut per ipsum in nouam uitam regeneremur: ita Sacramentum Pœnitentiæ necessarium est ad remissionem actualis culpæ, ut per id à morbo sanemur. Quæ remissio, noluit, ut per solam contritionem internam sufficienter nobis applicaretur.

Quandoquidem, cum Sacramenta sint signa exteriora, aliquid interius significantia, conueniens fuit, ut per signum exterius, nempè auricularem coram Sacerdote Confessionem, salutem nostram profiteremur: operante id interius Diuina uirtute.

Confessio quid.

Confessio dicitur, quasi simul, uel undique fassio, idest locutio; unde ille dicitur confiteri, qui totum fatetur. Definitur à multis multipliciter; quorum aliqui sunt diminuti in definiendo, aliqui uerò multa superflua miscent. Nos autem omnibus alijs reiectis, breuiter, & succinctè omnes partes necessarias tangemus, & declarabimus.

Definitio.

Confessio Sacramentalis est accusatio Sacramentalis peccatorum legitima, proprio Sacerdoti facta, ad indulgentiam obtinendam, uirtute clauium Ecclesiæ.

Dixi primo (Confessio Sacramentalis) nam de Sacramentali sola est sermo, & per hoc excludo alias confessiones, quæ non sunt Sacramentales, scilicet, confessiones generales, quæ fiunt in Missa, & officio: quæ fiunt interius in corde, iuxta illud Prophetæ: Dixi confitebor aduersum me, ac etiam quæ fit apud consiliarium ad consulendum, uel fit ad incitandum aliquem ad peccandum, uel ad reuelandum secretum, & simile.

Dixi (Est accusatio) hæc particula explicat propriè substantiam, & formam

fessionis. Vnde p hanc excludo omnes alias confessiones, quæ fiunt per modum narrationis, simplicis denunciationis uel per modum iactantiæ peccata propalando. Vbi autẽ peccata non dicuntur per uiam accusationis, ad uindictam, & correctionem accusantis; confessio illa non habet imaginem Sacramenti.

Dixi (Sacramentalis) ad differentiam contritionis, quæ per se sola non est Sacramentum, sed mentalis confessio, & accusatio. Dixi quoque (Sacramentalis) ad differentiam illius confessionis, quæ fit laico tempore naufragij, uel quando alicui committitur aliquod secretum sub sigillo confessionis, etiam si præmittatur, Confiteor Deo, & cetera, quæ in confessione dici solent: uel quando fit aliqua confessio tantum uerbis generalibus, non descendendo ad aliquod peccatum particulare: in his, & similibus non est Sacramentalis.

Dixi (peccatorum) quia per hoc explicatur materia confessionis, peccator enim nil aliud in confessione dicere debet, nisi peccata, & eorum circunstantias necessarias, & per hæc differt à quibusdam confessionibus, quæ fiunt ad laudandum Deum, & eius excellentiam ostendendam.

Dixi (Legitima) idest facta secundũ Legis præcepta, scilicet, includendo omnes conditiones, quæ ipsam legitimam, & perfectam reddunt. Quæ conditiones continentur in his uersibus:

Sit simplex, humilis, confessio, pura, fidelis, &c. Quarum aliquæ sunt ad benè esse, & decorem confessionis, aliquæ sunt ita necessariæ, ut sine ipsis confessio esset uitiosa, & inualida, ita, ut homo teneretur illam reiterare. De quibus per ordinem infrà dicetur.

Dixi (proprio Sacerdoti facta) ad excludendam illam, quæ fit coram Iudice, siue seculari, siue Ecclesiastico, in iudicio, & foro exteriori.

Dixi (Ad indulgentiam obtinendam) per hæc uerba explicatur causa finalis confessionis; sine qua, quidquid dictum est, corruit, ac sine fructu est. Immò qui confitetur aliter, quam hoc fine, & intentione, ut scilicet habeat fiduciam à Deo consequendi ueniam, & remissionem, quamuis habeat omnes alias conditiones supradictas, non dicetur confessio Sacramentalis. Vnde sequitur, ut dum quis confitetur alia sinistra intentione, quam se accusandi coram Deo, & ueniam peccatorum obtinendi, Confessor non tenetur illam obseruare sub sigillo Sacramenti, sed secreti; quia tunc propriè non est Sacramentum. Quæ differentia inter sigillum secreti, & Sacramentalis Confessionis, in prima parte Summæ dictum est, ubi narrauimus casum cuiusdam Cardinalis, circa hoc errantis.

Dixi (Virtute Clauium Ecclesię) ad denotandum, & docendum, quòd proprius Sacerdos absoluit uirtute clauium, idest potestatis, & iurisdictionis. Vnde sequitur, qui confiteretur alij, quam sacerdoti super se iurisdictionem habenti, absolutio non haberet effectum, ut infrà latius dicetur.

Hactenus de definitione Confessionis: restat nũc adnotare aliqua, quæ ipsius doctrinam sequuntur, ut remaneat eius materia undecunque clara. Et primo dicemus de sexdecim conditionibus, quæ ipsam circumstant, ut paullò suprà promisimus; ex quibus magnam partem ipsius doctrinę in definitione breuiter tactæ, latissimè habebimus.

De conditionibus sexdecim quæ circumstant Confeßionem Sacramentalem.

Sit Simplex, Humilis confessio, Pura, Fidelis.
Atque Frequens, Nuda, Discreta, Libens, Verecunda,
Integra, Secreta. Lachrimabilis, Accelerata.
Fortis, & Accusans, & sit parere parata.

23 *Simplex.* Prima conditio est, ut sit Simplex, Ista conditio quomodocunq; sumatur, nõ est necessaria; est aũt conueniens, ut obseruet: per ipsam n. habemus, ut omnia uerba superflua, quę non faciunt ad explicationem peccati, reijciantur. Vnde talia uerba dicuntur circunstantiæ impertinentes, idest eorũ narratio non pertinet ad peccati explicationem; & sunt illæ, quæ peccatum nec alleuiant, neque grauant, ut dictum est in prima parte Summæ. Contra hanc conditionem faciunt pœnitentes, qui, dum confitentur, non solum multiplicant in uerbis superfluis, & impertinentibus, uerum etiam quandoque nominant aliquas personas, quę non sunt necessariò nominandæ, eas infamando, & multo magis errat Confessor permittens talia dici; debet enim pœnitentem super his arguere. Et si ipse est curiosus super his, peccat mortaliter, ait D.T.

Humiles. Secunda Conditio est, ut sit Humilis. Ista conditio simpliciter intellecta, non est necessaria, sed decorat confessionẽ: uerum si pœnitens ita superbè, & iactanter peccatum narrasset, ut potius se prudenter fecisse, quam Deum offendisse, demostraret, nullam humilitatem coram Sacerdote, apud Deum ostendeset, tunc deficeret aliquid necessarium Confessionis.

Pura. Tertia Conditio est, ut sit Pura. Ista conditio est simpliciter necessaria; denotat enim finem, & scopum Confessionis, scilicet, ut pœnitẽs puram intentionem habeat confitendi spe remissionis peccatorum obtinendæ. Hinc sequitur, si quis confiteretur, non hac pura intentione, ut dixi, sed alia: puta, ut manifestet Confessori suam intentionem; ex quo intendit eum informare de aliquo, quòd extra Confessionem dicere ueretur, propter uerecundiam, uel timorem, uel simile; Vel ut manifestet Confessori aliquod facinus, in quo illum socium habere desiderat; uel saltem consilium petat; quod extra Confessionem dicere non audet, propter timorem, ne illum prodat. Vel hoc facit, ut non excommunicetur: puta, quia urget præceptum Ecclesiæ ut unusquisque confiteatur, & mandatum Episcopi, aliàs ut excommunicatus publicabitur: ille autem ne publicetur, fingit se confiteri, ita ut si mandatum Episcopi non esset, retraheret se à Confessione: In omnibus istis, & similibus casibus, nunquàm dicetur Sacramentaliter confiteri: eo quòd deficit pura, & recta intentio confitendi; deficit enim finis Confessionis Sacramentalis, ut superiùs. Vnde ex hoc non exurgit tam arcta sigilli custodia: quàmuis enim omnia in tali confessione audita, custodire teneatur sub sigillo secreti: tamen si acciderit, in simili confessione, dicere aliquid, quod, si non detegeretur, redundaret in damnum Reipublicæ, Ecclesiæ, uel alicuius magni Principis: ex quo tale facinus non est dictum sub Sacramentali Confessione, ut dixit illud manifestare teneretur, sine sigilli fractione; quia in tali casu non est sigillum Sacramentale, sed secreti; quòd in casu non tene-

mur

mur celare, de quo in prima parte Summæ in materia de sigillo, exactè locuti sumus. Nec talis sic confitendo, satisfaceret præcepto Ecclesiæ: est ergò ista conditio absolutè necessaria.

Quarta Conditio est, ut sit fidelis. Hæc conditio est necessaria, ad hunc sensum, idest, ut sit verax, sine falsitate, nec addendo, aut diminuendo, aut mutando, quod est necessarium pro explicatione peccati, ita, ut confessor non posset uenire in cognitionem peccati, ut est; sed intelligeret unum pro alio: quod esset confessorem fallere. *Fidelis.*

Circa hanc conditionem, sunt aliqua notanda: & primò circa peccata mortalia. Qui mentitur in confessione, addendo, vel notabiliter aggrauando aliquod mortale, quod non fecit, peccat mortaliter, eo quòd iniuriam facit Sacramento, & seipsum infamat, attribuendo sibi malum, quod non fecit. Nisi affirmaret plusquam deliquit, se nimis accusando; non animo fallendi Confessorem, aut irridendi Sacramentum; sed causa humilitatis. Iuxta illud Gregorij. Bonarum mentium est, ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est. *Notanda.*

Quod, & intelligitur, quando aliquis est quasi dubius de aliquo facto, an fuerit culpabile, pro securitate, potius se accusare debet, quam excusare: Dixi (Quasi) quia dubia, pro dubijs confitenda sunt. Verum qui negaret in Confessione, aliquod mortale, aliàs legitimè confessum, non peccaret; quia iam à Deo ita tectum est, ut non amplius imputetur. Iuxta illud Psalmi 13. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Secundò, circa uenialia: Qui mentitur in Confessione; animo illudendi, & irridendi Confessorem, peccat mortaliter. Tertiò, qui confitetur unum ueniale tantum, quod non fecit; mentiendo, & nullum aliud uerum, peccat mortaliter; non propter mendacium, quod dicit; nam cum sit iocosum, de se esset peccatum ueniale: sed propter irreuerentiam, quam facit Sacramento, ait Nauar. cap. 21. num. 37. In cæteris aliis casibus, mentiri in Confessione circa uenialia, esset ueniale, ait Sotus, in 4 distinct. 18. q. 2. art. 4. Quamuis Caietanus secunda secundæ. q 60. artic. 1. in responsione ad 3. arg. oppositum dicat, quod ab aliis non tenetur.

Quinta Conditio est, ut sit Frequens, ista conditio est de consilio, & non de necessitate: nisi quando urget præceptum Ecclesiæ, uel casu necessitatis, de quo infrà. *Frequens.*

Sexta Conditio est, ut sit Nuda; idest, non debet ita uerborum obscuratione velari peccatum, ut propter ambiguitatem, & æquiuocationem uerborum, seu confusionem, Confessor non possit percipere peccati naturam, speciē, & qualitatem, & ad hunc sensum est necessaria. Dico (Naturam) non enim sufficit homini, se accusare per decem præcepta decalogi, dicendo: peccaui contra legis pręcepta: circa septem peccata mortalia, contra virtutes Theologales: offendi Deum in quinque sensibus, & similia, sed oportet dicere propriè peccata in particulari, quę commisit, aliàs confessio illa non esset Sacramentalis, sed generalis. *Nuda.*

Dico (Speciem) quamuis enim dicatur peccatum propriè, tamen dicendo illud in genere, non sufficit, puta, peccaui in luxuria, blasphemaui, abstuli rem alienam, uel simile; sed oportet descendere ad particularia, explicando speciem peccati: puta commisi simplicem fornicationem, uel adulterium, uel peccaui contra naturam. Et blasphemando, taliter, uel taliter de Deo, & Sanctis locutus sum; & talem, uel talem rem abstuli: & sic de reliquis, ut explicando, & aperiendo naturam peccati in specie, Confessor scire possit grauitatem peccati.

V 2 Dico,

Nona Conditio est, ut sit Verecundia. Hæc Conditio est, utilis ad delendum partem pœnæ satisfactoriæ pro peccatis debitæ: quod operatur, dum peccatorum turpitudinem narrat cum quadam uerecundia; unde de consilio est, & nō de necessitate. *Verecunda.*

Decima Conditio est, vt sit Integra. Hæc Conditio est simpliciter necessaria scilicet, ut omnia peccata mortalia, quorum memoriam habet cum suis circunstantiis necessariis uni Confessori dicantur, si nunquam fuerunt alias confessa: quæ uerba per ordinem nota diligenter. *Integra.*

Dico (Omnia) sic enim præcipitur in Concilio Lateranensi. Cap. Omnis, de Pœnit. & remissio. Scilicet, Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis peruenerit, omnia sua solus peccata, &c. Et in Concilio Florentino habetur: ad Confessionem pertinere, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo Sacerdoti confiteatur integraliter. Quod intelligitur, non solum de peccatis, quę opere consumantur, & uerbo comittuntur; sed etiam de occultissimis, quæ solo corde perpetrantur, ut patet ex August. & habetur, de pœnit. distinctione 1. Can. Agite. Agite inquit pęnitentiam, qualis agitur in Ecclesia; & nemo sic dicat. Occultè ago, nouit Deus, qui mihi ignoscet, quia in corde ago: ergò sine causa dictum est, quod solueris super terram, solutum erit in cælis? & cetera. Et rationabiliter præcipitur, ut omnia confiteantur, non enim Deus remittit unum peccatum sine alio. Vnde uanum est, à Deo dimidiam sperare salutem. Cam Sunt plures, de pœn. distinctione tertia. Sed remissio fit à Sacerdote uirtute Clauium, ergò nisi omnia confiteantur, omnium remissio obtineri non potest: non enim dixit Christus Ioan. 20. Quæ remiseritis peccata, remissa erunt, sed quorum remiseritis peccata, quasi dicat, quem iudicaueritis esse uenia dignum, in totum absoluite. Hæc autem intelligenda sunt regulariter, nam quandoque ex causa legitima licet aliquod mortale, uel circumstantiam necessariam confessori occultare. Quod accidit in tribus casibus: Primò, quando, si diceret aliquod peccatū mortale, inde reuelaretur alterius Confessio. Exemplum, quidam sacerdos, audiendo Cōfessionem sui prelati, absoluit eū à peccato simonię, quod facere non poterat, aduertens postea, vult confiteri de errore facto, & quia suspitio currit de commissione simoniæ, si talem errorem confiteretur, statim suus Confessor intelligeret peccatum Prælati, & ita Prelati Cōfessio reuelaretur, quod non licet, nam quando concurrunt duo præcepta incōpatibilia, quod magis vrget, preferendum est. Nec sufficit dicere; ꝙ illud dicitur in Confessione, quia adhuc dicitur detectio sigilli, quod non licet ex quacunque causa, ut in prima parte Summæ nostræ diximus. Secundò, quando immineret aliquod animæ periculum probabiliter Confessori, uel Pęnitenti. Exēplum, Puella quædam exarserat in amorem sui Parochi, unde si tale peccatum dicto Parocho propalaret, probabiliter dubitaretur, quod postea ab eodem solicitaretur: in quo casu potest relinquere circumstantiam personæ, dicendo peccatum tantummodo, & sic Parochus non ueniet in taliū cognitionem. Verum si Parochus est homo prudens, & castus ita ut de tali periculo nō esset dubitandum; tunc nullo pacto illa circumstantia est silenda. Tertiò, quando cōfitendo aliquod peccatum, timeretur probabiliter, quod uergeret in aliquod periculum famæ, uel uitæ ipsius pœnitentis. Exemplum, quantum ad periculum uitæ; Pœnitens interfecerat nepotem Parochi; quod nescitur, si autem diceret in confessione, occidi aliquem, statim Parochus cōiectura assequeretur fuisse suum nepotem; quia de Villa pœnitens nunquam exierat, & nullus alius similis casus acciderat. Ex quo timeretur, quod Parochus, aut eum perderet, aut proderet: quia pro tali habetur, & iudicatur. Vbi autem de tali non dubitatur; *In quibus casibus fallat regula.*

quia Parochus est homo prudens, & patiens, & non est in confessione tacendum. Exemplum quantum ad periculum famæ. Pœnitens fecerat magnum scandalum in Villa sua, cuius auctor ignorabatur; Vnde si tale peccatum confiteretur, timeretur quod Confessor reuelaret Cõfessionem, quia pro tali habetur. Nec mirum, si talia dico, solent enim in Villis, & oppidulis esse huiusmodi Parochi insolentes, & ignari. Vnde pœnitens remaneret infamatus: in tali casu potest illud peccatum silere.

Nota diligenter.

Sed hic nota duo; Vnum est quod tunc licitum est, peccatum, uel circunstantiam, ut dixi, Confessori silere, quando copia confessorum haberi non potest, ideo exemplificaui in Villa, ubi est unus Cõfessor, & fortè imprudens: in Ciuitate namque ubi sunt plures Confessores, hæc accidere non possunt. Vnde pœnitens existens in tali suspitione, & periculo, diligentiam facere tenetur habendi alium Confessorem, in quo hæ suspitiones non sint: uel licentiam petat, ut possit se alio conferre, & confiteri, quod si non potest hæc habere: tunc utatur hoc priuilegio. Alterum est, quod in casu, quo pœnitens nõ potest habere alium Confessorem, & illud peccatum, uel circumstantiam necessariã suo Parocho confiteri nõ confidit, ut dictum est: confiteatur omnia alia peccata: & de illo tenetur habere propositum confitendi illud, statim quod commoditas alterius confessoris aduenerit, cui securè poterit illud relictum tantũ modo confiteri, narrando causam quare illud reliquerit, & adiungendo alia peccata de nouo commissa, si fortè commiserit: & de illo, & alijs salutarem absolutionem accipere. Et in casu prædicto non dicetur Confessio dimidiata, uel uitiata: sicut in illis qui ob uerecundiam, uel malitiã hoc faciunt: ratione iam dicta, secundum D. Tho. in. 4. Sent. dist. 17. q. 5. Bonauent. in 4. dist. 22. quæstio. 2. art. 1. Durandum, in 4. dist. 16. quæstio. 4. Sotum, in q. dist. 18. q. 2. artic. 5. & Nauar. capit. 7. nu. 2. & 4.

Dico (peccata Mortalia) ut excluderem Venialia, quæ cum non sint materia necessaria Confessionis, sed habeant multa alia remedia, quibus deleri possunt, non tenemur illa confiteri: unde in potestate nostra est, uelle omnia, aut aliqua, aut fere nullum eorum confiteri: optimum tamen consilium est, illa confiteri.

Dico (Quorum memoriam habet) nam de illis, quæ facto diligenti examine conscientiæ, & inquisitione, ut ad memoriam reuocarẽtur, si non recordamur, sufficit habere contritionem perfectam, cum proposito illa confitendi, dũ ad memoriã uenerint: sed pro tunc pœnitens confiteatur in genere, dicendo cum Propheta: Ab occultis meis libera me Domine, & ab alienis parce seruo tuo; adiungendo illa, quæ ignoranter gessit ignorantia tamen excusabili. Et nota, quod dico (Facta diligenti inquisitione, & examine) nam illa necessaria est, ut notat Sacrum Concil. Triden. Sess. 14. ca. 5. Ita quod si ob defectũ examinationis conscientiæ, & diligentis inquisitionis, ex negligentia sua proueniens, reliquisset aliquod mortale, confessio non esset ualida.

Diligentia examinationis conscientiæ necessaria in pœnitente.

Dico (Cum suis circunstantijs necessarijs) idest illis, quæ mutant speciem peccati, & aggrauant infinitè; nam cum in eis inueniatur specialis deformitas mortalis: eadem ratio de illis est habenda, ut de peccatis mortalibus, ut & S. Concilium quo suprà confirmat.

Dico (Vni Confessori dicantur) ut insinuetur, quod natura Cõfessionis requirit ex se, ut omnia peccata mortalia uni, & eidem Confessori dici debeant, aliàs dimidiata, & consequenter inutilis esset Confessio. Huius ratio est: nã Sacramentũ Pœnitentiæ est medicina languorum animę: vnde, sicut corpus diuersis infirmitatibus aggrauatum sanari non potest, nisi idem medicus totam corporis habitudinem cognoscat, ex eo, quia morbi quandoque adeò sunt contrarij, ut

quod

quod uni prodest, alteri noceat: pari etiam ratione, ultrà suprà dicta, Medicus spiritualis, idest Sacerdos, debet totam habitudinem animæ intelligere, idest omnia peccata cum suis circunstantijs necessariis audire, ut vnicuique illorum salutare remedium præstet. Quod fieri non potest, nisi omnia uni dicantur. Vnde non licet pœnitenti, medietatem peccatorum uni Confessori dicere, & medietatem alteri. Quæ dicta per Augustin. in lib. de pœnitentia, confirmantur, & habetur de Pœnitentia, distinct. 5. Can. Considerer, §. Cautus, ubi habentur hæc uerba, Cautus sit, ne uerecundia ductus, diuidat apud se confessionem, ut diuersa diuersis velit Sacerdotibus manifestare. Quidam enim vni cælant, quæ alii manifestanda reseruant: quod est se laudare, & ad hypocrisim tendere. Et nota, quod dixi, naturā Confessionis ex se id poscere ut me præser uarem ab aliquibus casibus, in quibus per accidens id liceret, immò permittitur, ut fiat.

Primus casus est, quando de dictis peccatis ante legitimè confessus fuerat; & ideo notanter in fine conclusionis dixi (Si nunquam fuerant aliàs confessa) potest enim pœnitens, si uelit, facere Confessionem generalem de omnibus ante legitimè confessis, partem illorum confiteri, & partem non; uel partem vni confessori dicere, & partem alteri, prout sibi placuerit. *Nota.*

Secundus casus est, quando ex causa legitima sibi permitteretur aliquod mortale, suo Parocho cælare, ex inopia alterius Confessoris, ut patet in tribus casibus tantum, suprà recitatis.

Tertius casus est, quando facta diligenti inquisitione, & examine suæ conscientiæ, ut dictum est suprà, aliquod mortale in Confessione reliquit ex obliuione, quod postea in mentem uenit, tunc licebit ei, illud alteri Confessori dicere.

Quartus casus est, quando aliquis incepit confiteri, deinde aliquo impedimento naturæ, puta syncope, amissione linguæ, mentis alienatione, uel simili, ut ægrotantibus accidit, confessionem finire non ualet. Et quamuis aliqui dicant, & malè, talem non esse absoluendum, eo quòd non est integrè confessus, tamen legitimè absolui potest Sacramentaliter, etiam si unum tantum dixerit, ut bene ait Sotus in 4. distinct. 18. quæst. 2. artic. 2. Dico Sacramentaliter) quia si nullum peccatum in particulari expresserat, nec etiam veniale; sed tantum uerba generalia prædixerat, non esset Sacramentaliter absoluendus.

Quintus casus est, dum quis longo tempore non confessus, haberet magnā sarcinam peccatorum, ita, ut omnia una vice expedire non posset, licitum erit ei hodie confiteri partem eorum, & cras alteram partem, & sic per totam hebdomadam donec finierit, sed hoc intelligitur semper vni, & eidem confessori, & postea in fine absolutionem omnium accipere; quia partes illæ sic dimidiatæ, quo ad tempus tantum, tendunt ad unam intentionem, & ad unam absolutionem faciendam.

Quantum autem ad peccata superiori reseruata; est ualde aduertendum, ne fiat error, propter opinionum varietatem, non percipientium, quomodo in tali casu sit seruanda integritas Confessionis. Et Primò, nō licet pœnitenti confiteri solummodo peccata non reseruata suo Sacerdoti, & de illis tantum absolutionem petere: deinde confiteri superiori illa peccata reseruata tantum, ut ab illis absoluatur: nō enim esset, hoc modo integra Cōfessio uni facta, ut fieri debet, cū non omnia vni dicerentur. Nec licitum est omnia inferiori cōfiteri. s. reseruata, & non reseruata; & ab omnibus absolutionem petere: deinde superiorē adire, qui iterum omnia audiat, & ab omnibus absoluat; nemo. n. aggrauandus est, ut bis confiteatur: nec inferioris absolutio in tali casu haberet locum; 24 *De peccatis superiorib. reseruatis.*

quia non potest super omnia, si enim posset, non opus esset, poenitentem ad superiorem mittere, ut eum integrè audiat, & absoluat. Modus autem tenendus, quem Ecclesia Romana communiter obseruat, est, scilicet, ut pęnitẽs integrè confiteatur inferiori, etiam quæ superiori sunt reseruata: qui eum absoluat à quibus absoluere potest; scilicet à non reseruatis, dicendo: absoluo te à peccatis tuis, &c. & non dicat ab omnibus, tunc enim falsa esset, quia reuera non absoluit ab omnibus directè. Deinde imponat poenitenti, ut superiorem adeat, cui tantum reseruata manifestet, & ab illis absolutionem petat. Qui modus obseruatur in locis, ubi Confessor inferior nõ habet tempus, seu commoditatem adeundi superiorem, ut licentiam, & facultatem super illis reseruatis impetret, vel quando enormitas peccati non permittit, ut suo inferiori absoluendi facultas committatur; sed indiget maiori discussione, uel remedio. Verum in casibus ordinariis, non licet mittere mulieres ad superiorem: sed ipsi accedant pro licentia. Nec propterea Sacramentum dicetur diuidi, per duas absolutiones, vt aliqui dixerunt: nam inferior, qui prius absoluit, directè absoluit à quibus potest, scilicet, à non reseruatis, consecutiuè autem à reseruatis: Quemadmodum accidit in peccatis oblitis, dum facta diligenti inquisitione, non recordantur in specie, sed confitemur in generali, absoluuntur consecutiuè, cum obligatione tamen illa confitendi, dum ad memoriam uenerint, alias si non absoluerentur hoc modo, in prima absolutione non conferreretur gratia; quod non est asserendum; ita in proposito. Itaque secunda absolutio est prioris perfectio; & ideo dicitur vnum Sacramentum; ut perbellè articulum hunc disputat Sotus in 4. dist. 18. q. 2. art. 5.

Nota. Sed nota, quòd hæc omnia ita fieri possunt; quando casus reseruatus non habet annexam Excommunicationem, à qua ipse non poterat absoluere; nam si ita esset, absolutio prima inferioris non ualeret: excommunicatio namque ita poenitentem inhabilem reddit, ut non ualeat absolui prius a peccatis, ut in prima parte Summæ diffusè probauimus Vnde in tali casu prius procuranda est vndequaque excommunicationis absolutio, deinde prædicta supplenda.

Via securior. Verum magis secura, & ab omni scrupulo remota via est, ut Confessor hunc modum obseruet, scilicet, ut superiorem adeat, & reseruata tantum exponat, sine poenitentis reuelatione; super quibus remedium oportunum accipiat, & facultatem absoluendi ab illo impetret. Vel si adire non ualet: aut qualitas peccati cogeret superiorem non committendi facultatem alteri, audita omnium confessione, antequam absoluat, mittat eum ad superiorem; vt reseruata tantum ei confiteatur; qui superior, ipsis auditis, & benè cognitis, remedium adhibeat opportunum, & poenitentiam, si visum fuerit, taxet, & à censuris, si quæ sunt, absoluat; deinde à culpis nequaquam absoluat Sacramentaliter, sed remittat eum ad suum Confessorem, facultatem illi faciens, ut audita omnium confessione, ab omnibus plenariè absoluere possit: nec per hoc poenitens aggrauatur, eo quod reseruatum bis dicere astringitur, nam superior eodem sigilli vinculo reseruata custodire tenetur, qui aliis negotiis impeditus, non ualet omnium confessionem audire, sed tantum sufficit, ut audiat reseruata, ut eis prouideat, eo fine, quo illa sibi reseruare permittitur.

Dubium. Sed hic dubitatur, si accideret, suscipiendam esse Eucharistiam, quia urget præceptum de communicando, vel ad euitandum scandalum, uel simile, & superior haberi nõ potest, eo quod longè abest, unde à reseruatis absolui nequit: posset ne communicare, cum hac intentione, & promissione, ut habita deinde opportunitate recurrendi ad superiorem, statim accedat pro reseruatorum absolutione?

Respon-

Respondetur, quantum ad præceptum de communicando, non opus esse inquietari, cum possit differri ex consilio Confessoris, dum causa legitima occurrit, ut in casu. Sed quid faciendum pro euitando scandalo? Hoc opus, hic labor est. Verumtamen dico: Si peccatum habet annexam excommunicationem, prout habent omnia reseruata in Cœna Domini, non modo non potest admitti ad communionem, quæ etiam negatur excommunicatis minori excommunicatione, ante absolutionem, uerum etiam nec Confessor potest eũ absoluere à peccatis, antequam ab excommunicatione absoluatur. Si autem nulla adsit excommunicatio in pœnitente, tunc potest Confessor audire omnium confessionem, deinde eum absoluere à non reseruatis (vt diximus) directè, consecutiuè autem à reseruatis, dummodò pœnitens habeat firmum propositum, ut statim habita facultate adeundi superiorem, accedat, & cum hac intentione ad communionem admittere. Itaque habita postea opportunitate accedendi ad superiorem, non accedendo, semper est in culpa mortali, dum est in mora, ait Sotus quo suprà. Nec tamen huiusmodi facillimè, aut sæpè admitti debent, ne detur ansa accedendi ad Sacramentum Communionis, sine absolutione.

Nota hic, quòd non benè faciunt illi Confessores, qui statim, ut audiunt à pœnitente, habere casum reseruatum, aut incidisse in excommunicationem maiorem, ne sumerent aliquem laborem, in prouidendo illi, vt dictum est, illum audire renuunt, & licentiant, dicendo: non possum te absoluere. Vnde pœnitens exclusus cum erubescentia, confusus, & obiurgatus, diffidens de charitate Sacerdotum, desistit à confitendo, & transacto tempore confessionis, transit etiam & voluntas confitendi: itaque illo anno remanet inconfessus. Debet igitur Confessor illum benignè accedentem admittere & audire vsque ad finẽ, deinde illum animando consolari, & eidem consulere, quid sibi facto opus sit, vt prouideat animæ suæ, & adiuuare quantum potest, & ita Deo acquirere animam errantem, ut ouis quæ perierat. *Nota.*

Hic conuenit multa dubia dilucidare. Et primò quæritur an pœnitens remissus ad Episcopum pro casibus reseruatis, si dixerit partem reseruatorum, eo quòd de aliis oblitus erat, & postquam ab illis absolutus fuerat, recordatur de oblitis, teneatur iterum ab Episcopum pro illis accedere, an sufficiat prima absolutio, & inferior, vt ab omnibus absoluatur? Dicitur, si pœnitens petiit etiam absolui ab oblitis, dicens, tot reseruata mihi notauit confessor; nunc autem non recordor de omnibus, absoluatis me ab omnibus, Episcopo sic eum absoluente, si postea recordatur de reliquis oblitis, non tenetur amplius ad Episcopum redire, sed sufficit, ut inferiori illa replicet, & ab eo absoluatur, quia tunc non sunt amplius reseruata. Si autem pœnitens hoc non dicit; nec superior intendit absoluere, nisi à sibi recitatis; semper tenetur redire ad Episcopũ, dum illa ad mentem redierint. Si uerò Episcopus intendet absoluere simpliciter, & à sibi narratis, & ab aliis, si quæ haberet, licet tale facere non debuerit, tamen pœnitens liber, vt non teneatur redire ad Episcopum, sicut in primo casu: dummodo nota sit ei talis intentio; ubi autem de intentione non constat: non est securus. *1. Dubium.*

Eodem pacto. Si quis in magnis Iubilæis, vbi auctoritate Apostolica, facultatem habet eligendi sibi confessorem, qui possit eum absoluere ab omnibus censuris, & casibus reseruatis Papæ, confiteatur unum, relicto altero, per obliuionem. Dico, si dum confessus est, petiit, ut de oblitis, & ignoratis absolueretur ad cautelam: uel si etiam non petiit, confessor, ut prudens cum absoluendo, sic intendebat, remanet absolutus ab omnibus censuris. Itaque si transacto Iubilæo de aliqua censura non confessa, recordatur; satis est, ut confiteatur

Quæritur quintò, an Religiosi uirtute priuilegiorum suorum, quæ dicuntur Mare Magnum, possint absoluere pœnitentes à casibus Episcopo reseruatis? Dicitur, quod non, pro quo nota, quod olim per quandam Extrauagantem Benedicti II. Inter cunctas, de Priuilegijs. Et in Clement. Dudum, regulares habebant multa priuilegia circa audientiam confessionum, scilicet, quod non tenebantur personaliter Episcopis locorum præsentari, nec examinari, sed sufficiebat; ut à suis Prælatis essent approbati, & per alios præsentati, neque potestas absoluendi à casibus reseruatis Episcopis, eis poterat restringi: postea per S. Concil. Triden. fuerunt reuocata, ut per congregationem Cardinalium factam sub die 10. mensis Septembris 1572. fuit declaratum: & quamuis postea ad clamores Fratrum Mendicantium, & grauaminibus ab Episcopis factis, Pius V. prædictum decretum Concilij Triden. reuocauerit: tamen postea Gregorius XIII. illud in obseruantiam iterum reduxit, reuocando dicta priuilegia à Pio V. prædictis regularibus concessa, in hunc modum. 5 Dubium. Nota noua m doctrinam. Bulla Gregor. XIII.

In tanta negotiorum mole, qua Roma. Pont. assiduè premitur, uix uitari potest, ne aliqua interdum exiliant, quibus postea recognitis, necesse est moderationis remedium adhibere. Cum itaque aliàs fel. rec. Pius Papa V. prędecessor noster auditis grauaminibus, quæ fratribus Ordinum Mendicantium ab ordinarijs locorum, & Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, multis modis inferri dicebantur, super sacris concionibus, & lectionibus habendis, confessionibus audiendis, pœnitentijs iniungendis, fratribus ad ordines promouendis, celebratione Missarum, cura animarum, Sacramentorum administratione, sepulturis, quarta funeraliū, legatis, donationibus, eleemosynis, collectionibus, aliisque huiusmodi iuribus, necnon decimis, & diuersis oneribus, & infrà. Nos hac varietate cognita, & infrà. Statuimus, de predictis, & alijs omnibus Litteris, & Constitutionibus, quæ ab eodem prædecessore eisdē de rebus pro quorumcunque Regularium, etiam Mendicantium ordinibus, & congregationibus quomodolibet emanarunt, ac omnibus, & quibuscunque in eis contentis, eam deinceps dispositionem, atque decisionem, pro subiecta materia, futuram esse, quæ siue ex iure ueteri, siue ex sacris dicti Concil. decretis, siue aliàs legitimè antedictis litterarum, & cōstitutionum editionem, erat, & si ipsæ non emanassent, futura fuisset; ad quam dispositionem, & decisionē suumque pristinum statum illa omnia reducimus. Quinetiam abrogamus omnia irritantia, & alia decreta, & quæcunque alia nostris statuto, ordinationi, & reductioni aduersantia.

Decernentes illa pro infectis haberi, ac omnes lites coram quibusuis iudicibus, &c. motas, necdum decisas, & iam decisas, si modo tractum habeant successiuum, & futura dubia quandocunque orientur, ad nos referenda esse. Nec non irritum, &c. Datum Romæ in Vaticano Pontificatus nostri anno primo 1572.

Quæritur sextò, an accipiens aliquod diploma seu priuilegium, uel ingreditur aliquam confraternitatem, seu societatem, puta Rosarij, Nominis Dei, uel Cinturæ S. August. & similium, in quibus conceditur facultas, ut possit sibi eligere confessorem, quem uelit, de approbatis ab Ordinario, & ab eo absolui facere à quibuscunque reseruatis: si hoc facit tali intentione, ut non teneatur adire superiorem, cui casus ille erat reseruatus, priuilegium tale sibi suffragetur? 6. Dubium.

Ad hoc dico multa, quæ benè notabis. Primò in Bulla concessa confratribus societatis nominis Dei à Pio IIII. & postea confirmata à Pio V. deinde à Gregorio XIII. post multa enarrata priuilegia, indulgentias, & exemptiones, quas Nota benè.

quas dictus Pontifex confratribus concedit, sic affatur: Volumus autem, ne confratres reddantur procliuiores ad illicita committenda; quod si à synceritate fidei, & vnitate S. Romanę Ecclesiæ, ac obedientia, & deuotione nostri, uel successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonicè intrantium declinauerint, aut confidentia eius gratiæ, aliqua commiserint, gratia, & litteræ, quo ad eligendum huiusmodi, illis nullatenus suffragentur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo piscatoris Die 13. Aprilis 1567. Pontificatus nostri anno V.

Ex quibus uerbis colligitur. Quicumque malitiosè aliquod mortale graue reseruatum perpetrare proponeret, hac intentione, ut utatur priuilegio suo super tali peccato, eo quod est confrater talis societatis, aliàs non committeret illud, tale priuilegium in tali casu ei nullatenus suffragatur. Secus si in hoc incidisset ex fragilitate: nam talia priuilegia non dantur ad fouenda peccata, & ad tribuendam ansam peccatoribus, ut licentius peccent; sed ut postquam ex fragilitate quadam in talem errorem ceciderit, quo melius possit, medeatur, & sanetur.

Vnde ad dubium formaliter respondendo, dico multa. Qui eligit introire in aliquam confraternitatem; ubi talia priuilegia conceduntur: uel quomodocunque procurat aliquod diploma, seu priuilegium, hac intentione principaliter, ut possit peccare suo modo, circa quædam reseruata, quę committere eligit, ut postea non habeat difficultatem requirendi superiorem, aut eundi Romam. (quæ difficultàs multoties retrahit peccatores à peccando) iste decipitur in sua opinione, & priuilegium de eligendo Confessorem, min mè sibi suffragatur.

12 Sed dices, ad quid ergò iuuat, si ferè omnes hac intentione tale priuilegium procurant? Dico, hoc non esse verum uniuersaliter; multi enim deuoti homines, qui Deum mortaliter offendere non intendunt: uerumtamen cognoscentes eorum fragilitatem, de hoc non se tenent securi: ideo ingrediuntur tales confraternitates, aut similia priuilegia pro se procurant, vt si fortè aliqua fragilitate, aut infortunio inciderint in aliquod peccatum superioribus reseruatum, possint uti suo priuilegio. Et hic est uerus modus accipiendi diploma, & priuilegia prædicta. Vnde Secundò dico, ad dubium, notando illud uerbum (principaliter) dictum in prima responsione. Qui eligit introire in similes confraternitates, hac principali intentione, ut lucretur indulgentias, & alias gratias, quæ ibi conceduntur; secundariò tamen uti priuilegio de eligendo Confessore, in casu, quo præter intentionem, ex fragilitate incidisset in aliquod peccatum reseruatum, hic non facit contra intentionem Summi Pontificis, ut supra dictum est, & priuilegium benè sibi suffragatur. Tertiò dico, qui habet aliquod reseruatum, à quo non potest absolui à suo Confessore, & verecundatur adire superiorem, ingreditur in aliquam societatem, ut postea uirtute illius priuilegii possit absolui à reseruato: si id facit solum hoc fine: ita quod si tale impedimentum non haberet, nullo pacto in illam societatem ingrederetur, & ad obseruantiam præceptorum illius se obligaret: & tanto peius, si quæ in illa societate ordinantur, obseruare non curat: iste non est absolutus, quia priuilegium sibi hoc modo nihil prodest: Si autem cum prædicta occasione haberet intentionem perseuerandi in societate, & deuotè obseruandi, quæ in ea ordinantur, ac si talem occasionem non habuisset: gauderet priuilegio prædicto, & quo ad peccata præterita, & futura: quia occasio illa dicitur causa impulsiua, quę non arguit talem malitiam, sicut in primo casu.

7. *Dubium.* Quæritur septimò, an dum in aliquibus Iubileis, uel confraternitatibus, ut est

est Cincturæ, Nominis Dei, & Rosarij, & similium, datur facultas Confessarijs, vt virtute Bullarum, possint absoluere pœnitentes facientes Iubilęum, uel cõfratres talis confraternitatis à casibus reseruatis Sedi Apostolicę, intelligatur à quibuscunque casibus reseruatis? Pro hoc nota, quod casus omnes qui reseruari consueuerunt, sunt in duplici differentia: quidam sunt à iure, & sunt illi: qui scripti sunt in corpore Iuris Canonici, Extrauagantibus, Clementinis, Concilio Trident. ac multis aliis Bullis emanatis à diuersis Summis Pontificibus, quę adhuc non sunt registratæ in corpore Iuris, ut est uidere in Bullario, de quibus uide in tertia parte nostrę Summæ Coronæ, in quibus est annexa excommunicatio: omnes enim casus, quos Papa sibi reseruat, tum in Corpore iuris, tum in processu Cęnæ Domini, quantumcunque enormia peccata fuerint, intantum sunt sibi reseruata, inquantum habent annexam excommunicationem, quam sibi reseruat. Itaque ablata excommunicatione, non remanent amplius reseruati. Quidam alij sunt ab homine: & sunt illi, quos Papa in die cęnæ Domini legere facit apud Sanctum Petrum inter missarũ sollemnia, quos vocant Processus casuum in Bulla cęnæ Domini. Qui intantum dicuntur ab homine; quia sede vacante ante Greg. XIII. expirabat eorum uis. Sed Dictus Greg. fecit, ut in tempore quo sedes Petri vacat, habeant uim iuris. Et ultra illos, sunt illi, quos Episcopi, ultra quattuor de iure, ex consuetudine sibi reseruant. Tunc ad dubium dico. Nota.

Quando in aliqua Bulla, seu Priuilegio, dicitur (ut possint absoluere à casibus reseruatis Sedi Apostolicæ, intelliguntur solum illi, qui sunt in Corpore Iuris, & in Concilio Trident. & Bullario, ut dixi: & non ab illis quos Papa sibi reseruat in Bulla Cęnæ Domini, nisi de ea expressa mentio fiat, ut in quibusdam magnis Iubilęis adiungi solet. (ac etiam à reseruatis in Bulla Cęnæ Domini) alias non. 25

Nota primò, in prædictis casibus habentibus annexam excommunicationẽ, si à superiore habente potestatem auferatur excommunicatio, peccatum illud non remanet amplius reseruatum, unde potest à quocunque inferiori Confessario absolui, nisi illudmet peccatum, cui erat annexa excommunicatio Papalis, ab Ordinario loci reseruetur, pôt enim Episcopus in sua Diœcesi sibi reseruare aliquod peccatum, de illis, quibus est annexa Excommunicatio Papæ reseruata, aliud est enim peccatum in se, & aliud est censura sibi annexa, quæ est eius pœna, itaque quo ad censuram debet recognoscere Summum Pontificem, qui illam sibi reseruat, & quo ad peccatum deberet recognoscere suum Ordinarium, quando illud sibi reseruaret. Ita practicatur Neapoli, & notat Nauar. cap. 27. num. 254. & 255. Verum aiunt sani Doctores, non esset laudabile tales casus sibi reseruare indiscriminatim, ob decentiam Sedis Apostolicæ, quæ has gratias concedit, ut à Congregatione Cardinalium accepimus: nisi ob magnam, & legitimam causam, scilicet prout conditio loci, qualitas personarũ, & temporis requirunt. Nota.

Nota secundo. Qui commisit aliquod peccatum in aliena Diœcesi, ubi illud erat reseruatum Episcopo illius Diœcesis; si in Diœcesi Episcopi sui non erat reseruatum; potest inferior Sacerdos in sua Diœcesi illud simpliciter absoluere; quia reseruatio sequitur iurisdictionem limitatam, quo ad certos casus: sed in tali Diœcesi, non est limitata iurisdictio confessoribus inferioribus circa tales casus; ideo potest illos absoluere. Nota.

Nota tertiò. Quando in aliquo Iubilæo, uel Diplomate datur facultas absoluendi ab omnibus censuris, & pęnis; non intelligitur pœna irregularitatis; quia illa non absoluitur, sed dispensatur: nec unquam consueuit Sedes Apostolica talem facultatem tradere. Nota.

26 *Nota.* Nota quartò. Episcopi in suis Diœcesibus possunt absoluere ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reseruatis subditos suos, per seipsum, vel Vicarium, ad id specialiter deputandum, ac etiam possunt dispensare in omnibus irregularitatibus, & suspensionibus prouenientibus ex delicto occulto, dum est occultum; excepta ea, quæ prouenit ex homicidio voluntario, quantumcunque occulto, super qua nunquam dispensatur. præterquam etiam ea, quæ deducta est in foro contentioso: ut habetur in Concilio Trident. Sess.24. capit. Liceat. Dictum est, (Ex delicto) ad excludendam eam, quæ prouenit sine delicto, vt Bigamia, & similis. Dictum est (occulto) ad excludendum ea, quę facta est publica, per famam, uel simile. Dictum est (uoluntarium) ad includendum homicidium casuale, aut uim ui repellendo, in quibus excluditur uoluntas; quia in his potest.

Secreta. Vndecima conditio est, ut sit, secreta. Hęc conditio non est necessaria, ut dicatur de essentia confessionis, idest si non fieret in secreto, confessio non esset legitima, ut uidetur uelle Franciscus de Maironis in 4. distinct. 20. Est tamen necessaria humano more, ita, ut sine ipsa Sacramentum pœnitentiæ in Ecclesia sustineri non posset. Dico (non est de essentia) nam in primitiua Ecclesia quandoque confessiones in publico fiebant, legimus enim, dum sanguis Christi recens erat, & familia Christiana in synceritate, & candore uitæ uiuebat: si quis fortè delinquebat, tanta erat pœnitentiæ uis, & dolor de offensa Dei, ut ad sui correctionem, & aliorum ædificationem, in facie Ecclesiæ suum purgaret peccatum. Vnde Origines, super Psalm. 37. laudans eorum deuotionem, sic alios hortatur. Si intellexerit tuus Sacerdos, & præuiderit, talem esse languorem tuum, qui in conuentu totius Ecclesiæ exponi debeat, & curari; ex quo fortasse, & ceteri curari posśint, & tu ipse facilè sanari, satis consilio illius periti medici procurandum est. Ex his verbis colligitur, tunc temporis, aliquos consilio Confessoris sua in manifesto peccata confiteri. Dixi tamen (Est necessaria humano more) nam crescente postea hominum malitia, peccata crescere cœperunt, & charitas amisit feruorem; vnde homines abhorrentes sua secreta propalare, à Confeśsione se retrahebant. Hinc Leo Papa primus, hunc morem tamquam abusum aboleuit, ut habetur de Pœnitentia distin. prim. capitu. Quamuis; scribendo enim ad Episcopos Campaniæ, habet hæc verba:

Illam contra Apostolicam regulam præsumptionem, quam nuper audiui à quibusdam, illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submoueri; de pœnitentia uidelicet, quę à fidelibus postulatur: ne de singulorum genere libellis scripta confeśsio publicè recitetur, cum reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicare, confeśsione secreta: quamuis enim plenitudo fidei uideatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem, apud omnes homines erubescere non veretur: tamen quia non omnium huiusmodi sunt peccata, ut ea qui pœnitentiam poscunt, non timeant publicare; remoueatur, tam improbabilis consuetudo, ne multi à pœnitentię remediis arceantur: dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis sua facta referare: pro quibus possunt constitutione legum percelli, &c. Hinc sumptam neceśsitatem confitendi secretò, temporibus nostris, ac etiam obligationem tegendi peccata in confeśsione audita, sub arcto sigillo; non tantum ex lege Pontificia, sed Diuina, & natural.: Summus enim Pontifex, qui præcipit, ut confeśsio nullatenus in posterum publicè fiat, motus fuit, ex intentione pœnitentium, qui nolentes sua occulta peccata propalare, à Confeśsione se retrahebant. Et quia lex naturalis, ea ratione, qua vult, ut quisque fideliter custodiat depositum sibi commissum; vult etiam ne occulta, uerendaque crimina in publicum proferantur, quæ sub cu-

De sigillo cōfeśsionis.

stodia

stodia fideli deponuntur; & homines volebant, ut sua peccata, tanquam deposita custodirentur: ideò Lex Gratiæ, quæ non destruit Legem Naturæ, sed perficit, in fauorem pœnitentium, ad eorum intentionem ordinauit, peccata in confessione accipi, & custodiri debere, sub arcto sigillo, tanquam fidele, & zelosum depositum, sub pœnis atrocissimus. De quo sigillo, quantum sit necessarium, periculosum, & pęnis munitum, in prima parte Summæ Coronæ Confessorum satis abundè locuti sumus. 18

Relinquitur modo videre, an detur casus, in quo hoc secretum Confessionis non obseruari contingat sine peccato? Et uidetur, quòd sic. aliàs sequeretur, ut quisque propria sua voce confiteatur: sed contrarium est verum, ut multi affirmant: nam licitum est per nutum, scriptum, nuntium, & interpretem confiteri, vbi hoc secretum obseruari non potest: ergo non est vndequaque necessarium, confessionem esse secretam. *Dubium.*

Ad hoc respondemus per ordinem. Et primo quo ad nutum. Est sciendum, quòd tam mutus, quam loquens, pari iure ad confessionem tenentur. Verum etsi mutus loqui non possit, tenetur tamen sua peccata confiteri eo meliori modo quo potest: nam vt ait D. Thom. in Quodlibeto. vt quisque sua peccata confiteatur, est de necessitate salutis, nec super hoc dispensari potest, nisi dum adest impossibilitas, ex omni parte, sed quòd confessio fiat verbo, non est absolutè necessarium: vnde à muto exigitur, ut nutibus, & signis sua peccata explicet: nutus enim, & signa mutis pro vocibus habentur, ut in omnibus eorum actionibus videtur. Verum si non est mutus à natiuitate, & aliquando audiuit, & scribere, & legere scit; potest scripto sua peccata Sacerdoti propalare. Verum Caietanus in Summa, Verbo, Confes. videtur esse valdè scrupulosus, dicit enim, ne peccata sua manifestentur per scripturam, mutus deberet habere scripta omnia peccata, quæ homines committere solent, & postea digito ostendere sacerdoti, quę ipse fecit, quia licet scriptura de se sit quid publicum, tamen hoc modo erit secreta; quia non posset sciri ab alio, quæ illorum mutus commisit, in casu, quo amitteret illam. Verum tanta diligentia non est necessaria absolutè, nam cum dictum sit, hoc secretum non esse de essentia Sacramenti, satis est, peccata explicare, eo modo, quo potest. Et si casu aliquod peccatum taliter est intricatum, quod explicari non potest, ut à Confessore percipiatur, quomodo commissum fuerit, tale iudicium de ipso fiat, ut de oblitis, quæ in genere confitentur. 19 *Responsio. Confessio per nutum.*

Sed dicet aliquis, ergò ex dictis sequitur, quòd etiam potens loqui, nutibus, & scriptis confiteri potest, dictum est enim, quòd manifestatio peccatorum est de necessitate salutis, non autem modus manifestandi, s. verbo, vel alio, vnde omnia peccata, hoc modo dicta, facerent confessionem integram, & validam. Ad hoc respondet D.T. quo supra. Si attendatur Ius Diuinum, sufficit, ut peccata explicentur quomodolibet, sed iure Ecclesiastico tenetur homo voce explicare sua peccata, secundum usum conuenientiorem, quo potest, in quo casu muti, & alii impotentes excusantur, sicut in ceteris casibus. Sed hæc ratio non conuincit, nam, vt Sotus etiam affirmat in 4 Sent. dist. 18. q. 2. art. 6. Canon super hoc editus, hæc non dicit, & ideo dicerem, quòd non esset inconueniens, inter loquendum dicere aliqua peccata nutu, quę distinctè explicari possent, & si peccatum esset vsu consuetum relinquere, veniale foret mortale, idque tunc esset, quando peccata difficilia, & intricata per nutus narraret, quę perfectè à Confessore percipi non possent, nisi voce explicarentur, reduceretur hic modus dicendi ad defectum integritatis, argueretque verecundiam peccati, suam deformitatem non explicando, quod non esset sine malitia,

talia

ralia autem scripto dicere, non esset ita inconueniens, ut dum Sacerdos legeret, ipse affirmaret, nisi enim ipse affirmaret scripturam, saltem signo, non diceretur Confessio. Nec ratio adducta, scilicet, quia non erubescit, in tali casu obstat, nam erubescentia non est ita necessaria, sed sufficit aliqualis erubescentia, confirmando in præsentia Sacerdotis, quæ leguntur.

De Cõfeßione p scriptũ, vel nuncium opinio Palud.

Quantum ad scriptum vel nuncium, in absentia Sacerdotis, ait Paludanus in 4. distinct. 17. quæst. 1. quando præsentia Sacerdotis haberi non potest, vel quia est in carcere, vel quia, ubi est Confessor, accedere non valet, licet tunc confiteri non teneatur, ac si copia Sacerdotis haberi non posset, sed sufficit bona voluntas, quæ pro facto habetur, donec aduenerit commoditas, tamen si uelit per nuntium, uel scriptum absenti Confessori confiteri, & Confessor ipsum absentem absoluere, erit vera Confessio Sacramentalis. Contra hanc falsam opinionem multi insurgunt, non tamen eadem ratione illam impugnant.

Refutatio.

Scotus post Richardum, quos sequitur Angelica, & Rosella dicunt: Cum Confessio debeat esse secreta, contra rationem confessionis esset confiteri scripto, quia scriptum sua natura patens est, eo quòd quisque illud legere potest, & multo peius per nuncium, qui posset in pœnitentem malignari, & contra eum testificari. Quamuis isti verum sentiant, circa hoc, eorum tamen rationes non conuincunt aduersarium, dictum est enim, quod secretum Confessionis non est de eius essentia, etsi ex præcepto Ecclesię secretò fieri debeat, ratio de scripto patenti non conuincit, quia potest quandoque secretò mitti, & quantum ad periculum testificandi, idem periculum currit cum confessore, licet confessor arctiori vinculo teneatur sigullum non violare, quàm nuncius.

Aliter respondetur.

Vnde cum Soto loco suprà citato aliter respondendum est, scilicet, quòd Confessio est actus personalis, quo pœnitens loquitur Confessori pręsenti. unde ait August. & habetur de Pœn. dist. 1. Can. Quem pœnitet, Præcepit enim Dominus mundandis, vt ostenderent ora sacerdotibus, docens corporali præsentia confitenda peccata, non per nuncium, non per scriptum manifestanda, & ideo absolutionem Sacramentalem non, nisi pręsentialiter per confessionem obtinere potest. Secus est de absolutione à censuris, quę fieri potest absente reo, ac eo inuito. Syluest. Verbo, Absolut. 3. §. 4. dubio 6. vbi non requiritur accusatio, ex parte rei, nec iudicium clauis scientiæ ex parte absoluentis, sicut requiritur in Sacramento pœnitentiæ, potest enim accidere; ut dum homo absens absoluatur, sit mutatus animo, & effectus indignus: ac etiam sacerdos, dum iudicat, propter incertitudinem, quam habet, ob absentiam, errare in iudicando. Nec obstat, quod obiicitur de Thoma Cantuariensi, qui per litteras confessus fuit, ut legitur: illa namque confessio non fuit Sacramentalis, sed potius deuotio illius sancti. Et quantum ad primum, scilicet, quod confessio per scriptum vel nuncium in absentia Sacerdotis non est Sacramentalis, ferè omnes concurrunt: sed quod absolutio fieri possit in absentia pœnitentis, est difficultas. Refert enim Nauar. cap. 26. num. 14. D Anton. tenere partem affirmatiuam, per decisionem multorum Theologorum, ita concludentium in Concil. Basil. quem ipse sequitur. Idem tenet Syluester, Verbo, Confessor, 4. 5. 6. dummodò Confessio prius facta fuerit præsente Sacerdote. Et confirmatur: nam ferè omnes tenent excommunicatum posset absolui in absentia per litteras, etiam inuitum. Contrarium tenet Raimundus, D. T. in 4. dist. 17. & Sotus in 4. dist.

Rationibus iam dictis. Ad confirmationem de excommunicatione, respondetur, quod non est simile: nam excommunicatio, cum sit pœna, quæ pendet à voluntate punientis tantum, & non puniti, potest auferri absque consensu,

sensu, & dispositione excommunicati, ideò sine eius præsentia absolui potest, sed absolutio à peccatis est forma, quæ cadit suprà materiam debitam, si effectum habere uult, debita materia sunt actus pœnitentis, scilicet contritio, uel dispositio sufficiens ad gratiam Sacramentalem, & uoluntas prompta, qua petit absolui, & clauibus Ecclesiæ subijci uult, quę ut sciantur, de natura sua requirunt præsentiam pœnitentis: nec sufficit dicere, potest homo absens sic se habere, & tunc absolutio absenti ualeret, dico quòd hoc est per accidens, & non tollit, quod ex natura Sacramenti, secundum clauem scientiæ, requiritur.

Quantum ad interpretem, dicitur cum Scoto loco citato, quòd cuique linguæ ignaro licitum est confiteri per interpretem, dummodò ipse sit etiam pręsens Sacerdoti, & per nutus, & alia signa confirmet, quæ ab interprete dicuntur, ostendens, se illa commisisse, & de illis dolere: nam hoc modo pręsens, affirmando, loquitur modo quo potest: secus si nollet nutibus, aut signis id affirmare, & hoc modo conciliabis quæ dicit Sylu. Verbo, Confessio, 1. § 18. Et tunc interpres tenetur arcto sigillo peccata cælare, licet non tanto, ut Sacerdos; prout in materia de sigillo diximus. *Confessio per interpretem.*

Duodecima Conditio est, ut sit (Lachrymabilis) Ista Conditio, si referatur ad lachrymas cordis, scilicet, ut sit uera peccatorum detestatio, est necessaria, arguit enim contritionem, sine qua confessio non ualeret. Si autem referatur ad lachrymas sensus, est ornamentum, non enim est in potestate nostra, illas habere. *Lachrymabilis.*

Tertiadecima Conditio est, ut sit (Accelerata) super hac Conditione quęritur: An homo statim quòd peccat teneatur confiteri? Hoc dubium dupliciter intelligi potest, uel de iure Ecclesiastico, uel de iure Diuino. De iure Ecclesiastico, clarum est, hominem teneri confiteri semel in anno, de quo infrà. Sed de iure Diuino, secluso iure Pontificio, est difficultas. Guilielmus Parisiensis in tractatu de pœnitentia, ait, quòd sic: Cuius ratio est: qui differt, multis periculis se exponit; aut moriendi statim sine confessione, aut labendi in aliud; qui enim manet in peccato, de facili trahitur ad aliud, & Dęmon magis pręualet sua tentatione, non inueniendo præsidium gratiæ in anima, iuxta peccatum, quod per pœnitentiam non deletur, q̃ suo pondere ad aliud trahit: uel saltem de illo potest obliuisci; itaque retardatio confitendi multa incōmoda parit. Verum quamuis omnia ista sint uera: sicut tenemur à peccatis abstinere, ita in illis non permanere; tamē ista dilatio confitendi, non inducit nouum peccatum; ut dubium quærit. Ideo dicò, hominem non statim q̃ peccet, teneri confiteri. Primò, quia est præceptum affirmatiuum, ergò. Secundò, maior necessitas est contritionis, quam confessionis, possumus enim saluari cum contritione, sine confessione in re, & non econtra: sed ad contritionem non tenemur statim, ut dictum est suprà, sed quando occurrit necessitas secundum naturam præceptorum affirmatiuorum, ergò. Sed quæritur, quando occurrit hæc necessitas? Respondeo, aut loquimur de confessione secundum se absolutè, ratione ipsius pręcepti Diuini; aut loquimur de confessione secundum accidens, idest occasione alicuius rei faciendæ. *Accelerata. Dubium de tempore confitendi. Vna opin. Refutatio.*

Quantum ad secundum, tunc tenemur confiteri; quādo debemus cōmunicare, uel sacrū facere; in quo casu, quantumcunq; Sacerdos sit cōtritus, nō pōt celebrare, nisi prius cōfiteatur peccata mortalia; nisi copia cōfessoris non adesset, ut habetur in Sacro Concilio Trid. Sess. [illegible]. Sed respectu administrationis aliorū Sacramentorū, sufficit contritio, ut suprà dictum est. Et si in suscipiendo ordines sacros, confiteri teneamur, illud non est ratione dignitatis ordinis, 30

sed communionis faciendæ. Quantum autem ad primum, adhuc dupliciter loqui possumus, scilicet, aut de confessione in voto, aut in re, ad confessionem in uoto tunc tenemur, quando tenemur habere contritionem de commissis: non enim est uera contritio, nisi confessionem in uoto habeamus, ad confessionem in re tunc tenemur, quando currit articulus, uel periculum mortis. Articulus mortis est, quando quis laborat febre periculosa, aut alia mortali infirmitate: & denique in fine uitæ. Periculum mortis est, dum homo sanus, existens, facit aliquid, in quo probabiliter ut plurimum dubitatur, mortem inde euenire posse: vt accidit in partu difficili mulieris, & secundum aliquos, in primo partu. In nauigatione periculosa, non omni, sed longinqua. In ingressu duelli iusti. In bello iusto, & similibus. Dixi (ut plurimum) quia pericula in quibus mors de raro accidit, ad confessionem non obligant.

21 *Articulus mortis quis sit.*

Sed quæritur ulterius; stando in solo iure Diuino. An præter ista dicta datur alius casus? Multi dicunt quòd non: sed Sotus in 4 Sent. distinctione 18. quæst. prima, articul 4. ait, præter ista est alius casus, scilicet, quando peccata propter longam temporis dilationem uenirent in talem obliuionem, quod non possent amplius in mentem redire; esset namque ualdè difficile; dum homo nullam grauem infirmitatem haberet, aut ad nullum periculum se exponeret, aut aliud faceret, ob quod confiteri teneretur, sed posset illam differe usque ad finem uitæ: ut tunc de omnibus commissis in uita recordari posset. Vnde ne homines uenirent ad hanc pigritiam, Ecclesia consultè statuit, ut non possent illam differre ultra annum: tempus enim hoc regulariter conueniens iudicatur ad posse de omnibus recordari. Itaque cum Ecclesia tempus determinauerit, ablata est difficultas dubij, & ideo super eo non est laborandum.

Dubium.

Rastat ergò uidere de præcepto Ecclesiæ, quomodo sit intelligendum, non quod Ecclesia fecerit nouum præceptum distinctum à præcepto Diuino; ita ut qui non confiteretur infrà annum, peccaret duplici peccato, ac si contra duplex præceptum fecisset, sed tantum determinauit tempus, quando ad preceptum diuinum tenemur, sicut fecit de alio precepto communicandi, scilicet in Pascate: Christus enim in instituendo hec præcepta positiua, non determinauit tempus, quo adimpleri deberent; sed Ecclesia, cui commissa est huius temporis declaratio, & determinatio, in Concilio Lateranensi sub Innocentio Papa stabiliuit tempora confitendi, & communicandi, præter casus necessitatis, ut dixi, ut habetur cap. Omnis, de pœniten. & remissionibus: cuius teneor hic est.

32 Omnis utriusque sexus fidelis, post quam ad annos discretionis peruenerit, omnia sua solus peccata, saltem semel in anno, fideliter confiteatur proprio sacerdoti, &c.

Et ut omnia plana reddantur declarando singulas partes, per ordinem, propter simplices Sacerdotes.

Dicitur, (Omnes) qui enim omne dicit, nihil excludit, & propterea subiungit, (utriusque sexus) idest tam masculi, quam fœminæ.

Dicitur (fidelis) ad excludendum Gentiles, Paganos, & Iudeos, qui enim non est baptizatus, non includitur in hoc præcepto: Baptismus enim est ianua omnium Sacramentorum, per eum enim homo fit capax ad suscipienda omnia alia Sacramenta. Vnde Paulus, nihil ad nos de his, qui sunt foris, idest extra fidem quæ per Baptismum habetur.

Dicitur (Cum ad annos discretionis uenerit) ad excludendum Infantes, & pueros minores, qui ad hoc non tenentur: sed ijs, qui sunt doli capaces, secun-

dum

dum Glos. Qui sunt isti? ait Syluester, Verbo, Confessio. 2. post Glos. in c. 1. de Delictis puerorum, sunt septennij, & suprà. Verum in hoc non potest dari regula uniformis, secundum D. T. quia non omnes æqualiter habent usum rationis ita acceleratum.

Quomodo autem sint cognoscendi, quando sunt doli capaces quæritur? Respondet Nau. cap. 21. num. 33. Quando puer uerecundatur de aliquo errore facto, & discernit distinctè bonum à malo, & si interrogauerit eum, an liceat facere hoc, uel hoc malum, respondet negatiuè, & an sit licitum facere hoc, uel hoc bonum, respondet affirmatiuè, tunc iudicabis eum esse in annis discretionis: Verum si Episcopus super hoc præcepto adimplendo, pœnam excommunicationis infligeret pueri intra duodecimum annum contrafacientes, non intelligerentur excommunicati, quia censura non extenditur ad hanc ætatem.

Dicitur (Omnia sua solus peccata) dicit omnia; nam qui reliquerit aliquod peccatum mortale, uel circumstantiam mutantem speciem, ex malitia, aut ignorantia crassa, quæ non excusat, aut ex culpabili negligentia, in examinando conscientiam suam, ut suprà notatum est, non satisfacit præcepto, dicitur, sua, quia aliorum peccata non tenemur confiteri, nisi inquantum esset necessarium explicare aliquam circumstantiam necessariam: & in tali casu fiat sine expressione illius personæ: est enim error, aliquam personam in confessione nominare, sine necessitate. Dicendo (Peccata) intelligitur de mortalibus, uenialia namque cum non sint materia necessaria confessionis, non tenemur confiteri: habent enim alia remedia cancellandi, vt satis supra tetigimus.

Dicitur (Saltem semel in anno) nam ex ui præcepti Ecclesię, dum sani sumus, & nulla alia occasio nobis confitendi occurrit, possumus illa differre per annum integrum, nisi occurrerint casus necessitatis supra nominati, quibus de iure Diuino teneremur confiteri quando occurrunt. Religiosi autem tenentur confiteri semel in mense, ex statuto Religionis, ubi tale uiget.

Sed hic quæritur, quo tempore anni præceptum hoc adimpleri debeat? Respondetur, cum ab Ecclesia non sit stabilitum tempus designatum, sicut de præcepto communicandi in Paschate designatum est; sufficit ex ui præcepti confiteri infra annum quando uoluerit: puta qui confessus fiet in die Natalis Domini, non teneretur ex ui præcepti confiteri usque ad aliud festum natiuitatis Domini, nisi confessio necessaria foret ratione communionis faciendę in Paschate. Itaque, qui non haberet opus communicare, uel non habet mortale aliqd in Paschate, & uellet communicare sine reconciliatione, quantum est, ex ui pręcepti Ecclesię, non teneretur, quamuis hoc non accidat, nullus enim accedit ad SS. Eucharistiam sine reconciliatione quantumcunque uenialium. Hinc insurrexit uniuersalis cōsuetudo in Ecclesia confitendi in quadragesima, propter præparationem ad Sanctissimam Eucharistiam, quæ ex præcepto in paschate sumenda est, quod S. Concil. Trident. multum laudat, & approbat. Nota illud verbum (Saltem) quia duo significat: unum est, quod non potest sine mortali differi vltra annum, nisi adesset aliquod impedimentum legitimum, & per se non staret, ut confiteretur; alterum est, quod habet tum consilij, ut plures infrà annum homo confiteatur, quamuis enim Ecclesia non cogit nos confiteri plus quam semel in anno, tamen per hoc monet nos, ut confiteamur ad minus ter, uel quater in anno, scilicet in magnis festiuitatibus, vt de Sacram. Eucharistia diximus. 33 *Dubium de anni tẽpore.*

Dico iterum (Accelerata) quamuis enim, dum tempus præcepti appropinquat, consilium est illam accelerare; est tñ ualdè utile, & quandoque necessarium, pluribus rationibus, sed procrastinare usque ad Hebdomadam Sanctã, nõ *Accelerata.*

 esset sine magno periculo animæ. Primò, quia illa procrastinatio arguit insufficientiam doloris de peccatis: tales enim homines, ita tepidè accedunt ad confessionem: ut si tale tempus quo urget præceptum, nunquam approquinquaret, nunquam forsan confiterentur. Secundò, cum illis diebus, Sacerdotes Diuinis officiis plus solito occupati inueniantur, & ex multa audientia confessionum uillicorum, Artistarum, & laborantium, qui alio tempore ad hoc uacare non possunt, defatigati reddantur, uel à multitudine astantium poenitentium oppressi uideantur, confitentibus benè, & utiliter satisfacere non valent, & si; quod absit, auaritia aliquorum confessariorum accedat, qui, ut faciant plures eleemosynas, quam alij socij, dictos poenitentes, ut citò expediant, non examinát, nec reprehendunt, ubi opus est. Quo fit, ut illis diebus multi potius confundátur, quam confiteantur, quorum mihi multi confessi sunt iterum Neapoli, eo quòd minimè iis satisfactu fuerat à Confessoribus, propter temporis angustiam. Et si, quod Deus auertat, aliquis ex industria usque ad illam horam, confessionem differret, ut confessor propter breuitatem temporis, eum non multum molestaret, in examinando, & reprehendendo, ac diligenter prouidendo, circa necessaria suæ saluti, in uanum laboraret.

Confessionem procrastinare periculosũ est

Tertiò, quod peius est, si tempus, quo extat præceptum de confitendo, transire permittat, in peccatis perseuerans, multis malis aggrauatur, & bonis spiritualibus defraudatur. Quod si oculis mentis aspiceret, proculdubio, citius à peccatis mundari, quam à lepra corporali liberari satageret.

Exemplum contra eos, q confessionem procrastinát.

Quartò se offert maius malum: homini namque qui poenitere procrastinat accidit, uelut, qui rem suam Iudæis pignorauit, quanto enim rem suam redimere differt, tanto magis usuram crescere sinit, unde successu temporis, res illa tota in usurarium cedit, itaque serò, damnum aduertens, illam amplius recuperare non valet. Ita infelix homo, dum in peccatis mortalibus moratur, iam animam suam Diabolus in pignus habet, in cuius potestate existens quanto plus poenitere differt, tanto magis habitus peccatorum crescit, donec animam perire faciat. Nam etsi Diabolus ad peccandum nos cogere non possit, sed suadere, & adducere, non tentando, maximè circa ea, ad quæ proni sumus, uel naturali inclinatione, uel habitu deprauato: tamen si nos tales inuenerit, facilè uincet. Itaque continuando, peccatum supra peccatum ædificat: ac adeo aggrauatur, ut non ita facilè resurgere possit, & timeo, quòd commune auxilium cunctis præstari solitum, non sufficiet: sed efficatiori indigebit, uelut Matthæus, Magdalena, Paulus, & similes. Igitur confessio accelerata undequaque utilis est.

Quintò, qui confessionem procrastinat, maximum periculum currit, nè dum infirmantur, sine poenitentiæ Sacramento moriatur: multi enim ut non conturbent ægrotum, de confessione loqui non permittunt, illam procrastinando, sub spe, quòd melius habebit. Vnde accidit, ita infirmitatem aggrauari, ut ægrotus à sanis sensibus amoueatur, & non amplius rectè cognoscat quid faciat. Et dum parentes, seu propinqui, de salute corporali desperant; tunc illam accelerant, prout possunt. In quo casu ægrotus ita malè dispositè uita discedit, ut de animæ salute dubitetur. Itaque illam accelerare, quam maximè animæ præstat. Et denique, illud est pessimum, & omni Christiana religione indignum; ut si, dum aduertunt ægrotum moriturum, illud breue tempus, quod disponendi de salute animæ suæ, habet; consumunt in dispositione bonorum, testamentum faciendo, & non animæ in confitendo; hæredes enim citius currunt ad uocandum Notarium, quàm Confessarium. Igitur quàm salutiferum est, in omni casu, tam sanitatis, quàm infirmitatis, confessionem accelerare.

Dicitur

Dicitur denique (Proprio Sacerdoti) de quo infrà dicemus.

Decimaquarta Conditio est, ut sit (Fortis) contra hanc Conditionem faciũt, qui qualibet tentatiuncula, occasionem sumunt amittendæ confessionis tempore, quod de præcepto quidem est; cum se superari faciant à Dæmonis tentatione, qui magis tali tempore, quam alio, impedire conatur: & idcirco fortis esse debet homo; idest immobilem animum habere debet, & uoluntatem confitendi, tempore ab Ecclesia statuto, sine quolibet impedimento; & hoc modo est necessaria. Si autem per fortis, intelliges .i. uiriliter fiat, ornamentum est. *Fortis.*

Decimaquinta Conditio est, ut sit (Accusans) idest non excuset peccatum pœnitens, dum confitetur, illud diminuendo, ubi non est necessarium, verbi gratia dicendo: furatus sum propter necessitatem, si necessitas non est talis, quæ iustè eum excusare posset; idest ut faceret furtum ueniale, ut in materia de circunstantiis diximus. Nec liceret mulieri dicere: admisi iuuenem ut mecum dormiret, quia fame peribam, uel non poteram suis importunitatibus, & molestiis resistere. Neque alicui liceret dicere, inuentus sum in quibusdam rixis, eo quòd fui uocatus contra meam uoluntatem, & similia; quia cum nihil istorum per uim fieri possit, non est locus excusationi. Itaque si uoluntas consentit, liberè peccasti, & ita liberè apud Deum te accusa. Quoniam, ut ait August. hoc pœnitentię tribunal contrarium est tribunali iustitiæ terrenæ, ibi enim si te accuses, condemnaberis, si te excuses, liberaberis, sed in tribunali misericordiæ Dei, si te excusas, condemnaris, si autem te accusas, absolueris: & quanto magis accusas peccatum tuum, tanto magis Deus tibi indulget. Debet igitur Confessio esse accusans. Et si fortè pęnitens taliter excusaret se, ut potius uellet laudare peccatum suum, ex quo iudicari posset, pęnitentem habere potius quandam complacentiam de peccato commisso, dicendo, non potui aliter facere, oportebat pro meo honore, de iniuria uindicari, uel dicendo, melius est mulieres cognoscere, quam peccatum nefandum committere, uel dicendo, melius est ingredi ad meretrices, quam uxorem proximi uiolare, sum enim iuuenis, uel similia uerba dicere. Ille non esset uere pęnitens, & contritus de peccato suo, deficit enim essentialis actus confessionis, quod Confessores aduertere debent. Et si persisteret in tali opinione, nullatenus erit absoluendus Debet ergo homo, omni ex parte, se errasse, confiteri, & se coram Deo accusare, ad modum publicani, si vult domum redire iustificatus. *Accusatio.*

Vltima Conditio est, ut sit (Parere parata) idest pęnitens ita parere debet, & obedire mandatis Confessoris, claue non errãte, sicut reus iudici. Vnde resistentia incontritionis suspitionem argueret. *Parere parata.*

Sed hic quæritur. Si pęnitens non vult parere his quę legitimè a Confessore imponuntur, sit ne absoluendus? Respondetur cũ distinctione: si denegauerit exequi quæ Confessor ordinat, puta, ut caueat, quæ occasionem peccandi efficaciter inducunt, uel non vult pęnitentiam salutarem acceptare, sed ostẽdit signa incontritionis; tunc non est absoluendus: & multo minus, si malè sentit de Satisfactione, & eius fructu, quia esset excommunicatus, ut habetur in S. Cõc. Trid. Ses. 14 can. 14. Et ideo Confessores debent esse cauti, ne prius absoluant pęnitentem, deinde iniungant pęnitentiam, sed prius pęnitentiam iniungat, maximè illis, de quibus dubitatur, quod non acceptarent illam; deinde absoluant, ut habetur in Clemen. Dudum, De sepulturis. Io. Andr. Si autem pęnitens piè, & deuotè respondens, dicit, illam non posse, uel nolle facere hic, sed per Indulgentias, uel opera supererogationis, uel post mortem in purgatorio reseruat, ait Scotus, absoluendus est, & iudicio Dei relinquendus, in 4. dist. 18. *35 Dubium an pænitens teneatur obedire Cõfessori.* *Cautela Confessorum.*

Cui consentit Gabriel Biel, in 4 dist. 16. q. 2. & Nauar c 26. nu. 20. Sed de hoc latius infrà. Et hæc de Conditionibus, quæ circumstant Confessionem. Ex quibus collige, quod omnes illæ, quas notaui esse necessarias, si in Confessione defecerint, Confessio erit inualida, ita, ut reiteranda foret.

Superest nunc uidere de tertia parte pœnitentiæ Sacramenti, idest de Satisfactione.

De Satisfactione, quæ est tertia pars Sacramenti Pœnitentiæ.

36 TErtiò Pęnitentia sumitur pro satisfactione; dicitur enim vulgariter, pęnitentia, quatenus opera satisfactionis, quibus homo se castigat, sunt effectus pœnitentię: Vnde Apostolus ait: Agite fructus dignos pœnitentiæ. Quæ sic describitur.

Definitio. Satisfactio est compensatio uoluntaria secundum æqualitatem iustitiæ, de iniuria Deo illata, cum proposito cauendi in futurum.

Dicitur (Compensatio) quia satisfactio est actus iustitię commutatiuæ, & ideo reduci debet ad ęqualitatem, prout per Canones pœnitentiales secundũ aliquos taxata est: nam Sancti patres, dum taxauerunt pęnitentias pro aliquibus peccatis grauibus, fortè iudicauerunt, per earum adimpletionem, pœnam peccati debitam, euacuari, ita ut non opus esset amplius pro tali peccato in purgatorio satisfacere: & dum non imponebantur ad ęqualitatem, sed ad arbitrium Sacerdotis; pro aliquo debito, secundum iudicium Dei exigẽtis usque ad æqualitatem, homo remanebat debitor ad satisfaciendum per alia opera supererogationis, uel in Purgatorio, ut passim hodie obseruatur: nam feruescente sanguine Christi, imponebantur pœnitentię secundum rigorem iuris, qui rigor, & feruor durauit usque ad Innocentium Primum: deinde cœperunt languescere, per relaxationes, & Indulgentię uenerunt in usum, de quibus satis supra.

Satispaßio. Dicitur (Voluntaria) ad differentiam pœnę, quam patiuntur damnati: quorum pœna dicitur satispassio, quia ipsis inuitis semper patiuntur, & nunquam alleuiantur: Dicitur quoque (Voluntaria) nam satisfactio est triplex. Vna dicitur afflictiua, ut sunt flagella, quibus Deus populos castigat .s. Fames, Pestis, Bella, & huiusmodi, quę si patienter sustinentur, & promptè acceptantur, tanquam à Deo pro peccatis emissa, sunt satisfactoria pro pęnis peccatorum remissorum, alias minimè. Itaque qui impatiens est in sustinendo infirmitates, amisiones liberorum, & bonorum, & alias tribulationes, quas pati nos Deus permittit, totum pręmium, & fructum crucis sibi destinata amittit. Altera dicitur effectus uirtutis, ut sunt opera moralia de genere bonorum, quæ nos uoluntariè eligimus, ad satisfaciendum pro peccatis commisis. Tertia est illa, quę est pars Sacramenti, dum iniungitur à Sacerdote, uirtute clauium, quę ideo uoluntaria dicitur; quia uoluntariè acceptari debet à pœnitente.

Satisfactio triplex.

37 Dicitur (De iniuria Deo illata) ad differentiam restitutionis, quę, etsi vulgò eadem uideatur, propter quandã conuenientiam, quam habent inter se, quia scilicet ambo pertinent ad iustitiam commutatiuam, ut ęqualitas seruetur, tam in restituendo, quam in satisfaciendo: tamen differunt quo ad tria. Primò ratione personę, cui fit restitutio, & satisfactio: nam restitutio principaliter fit

Satisfactio, & restitutio differunt.

homini,

homini, satisfactio autem principaliter fit Deo: quamuis enim homo peccando proximum offendere uideatur, vt ei satisfacere teneatur; tamen propriè loquendo, Deo satisfacere debemus, eo quòd ipse solus offenditur. Hinc Propheta dicebat, Tibi soli peccaui. Nonne offenderat Bersabee, illam uiolando, nonne offenderat Vriam, illum interficere faciendo, nonne offenderat populum, illum scandalizando: quomodo ergo dicit; Tibi soli peccaui; nisi quòd offensio facta proximo, peccato non ascriberetur, nisi à Deo prohibita esset, & ideo sibi debetur satisfactio. Dicit etiam: Tibi soli, quia Deus, & culpæ, & pœnæ Dominus est, & ipse solus ambo remittere potest; ideò ipsi principaliter satisfaciendum est. Vnde dicitur (De iniuria Deo illata) & nō homini. Secundò differunt ratione materiæ, circa quam uersantur; restitutio namque versatur circa res exteriores, dum iustitia læditur per bonorum ablationem, aut eorum damnificationem: satisfactio autem uersatur circa res interiores, ut sunt passiones animi, actiones iniuriosæ, & similia, quibus persona offenditur: & ideo dicimus, res restituimus, & iniuriis satisfacimus: dū ergo peccauimus, nihil Deo abstulimus, ut restituamus, sed iniuriam ei fecimus, ut pro ea satisfaciamus. ideò dicitur (De iniuria illata.) Tertiò differunt ratione effectus diuersi quem producunt: nam per restitutionem remittitur culpa: qui enim tenetur restituere, semper est in peccato mortali, nisi impotentia, cum bona uoluntate excuset, unde restituendo, cessat à peccato: sed per satisfactionem, supposita peccati remissione, quo ad culpam remittitur pœna temporalis, ut dictum est suprà. Quartò, quia Satisfactio est pars pœnitentiæ, sed restitutio minimè, sed potius est uia ad illam, quatenus per restitutionem homo cessat à peccato, & disponitur ad Satisfactionem, nisi enim prius restituat, si potens est, non iuuat satisfacere pro peccato. Psal. 50.

Dicitur (Cum proposito cauendi in futurum) aliàs non esset Satisfactio fructuosa; nam Satisfactio pro pœna peccati mortalis fieri non valet; nisi prius culpa remissa fuerit: culpa remitti non potest, nisi homo de omnibus pœniteat, cum proposito cauendi in futurum; ex quo sequitur, quòd non potest satisfieri pro uno peccato remanente intentione peccandi de cetero Vnde Isaias c. 58. lamentabatur, de ieiunio eorum, qui ad contentiones, & lites ieiunabant. Verumtamen si homo de omnibus contritus est, cum proposito abstinendi, posset pro uno peccato satisfacere, & de reliquis se remittere in purgatorium, & ibi satisfacere, & hæc de Definitione.

Satisfactio, cum sit medicina languorum animę, debet facere duos effectus, scilicet curare morbos prȩteritos, & prȩseruare à futuris. Hinc Aug. definiens eam, dicit, & habeē De pœnit. dist. 3. c. Satisfactio, Est peccatorū causas excidere, & eorū sugestionibus aditū non indulgere. Per causas intelligimus uitiorū radices intrinsecas, ex quibus pullulant peccata; non. n sufficit in pęnitente, qui recidiuare non vult, ramos incidere, Verbi gratia, si per bacchanales commessationes, & continua prandia lauta, bullit luxuria, imponatur ieiunū, ut per subtractionem cibi, caro maceretur, & mortificetur: & tunc uires luxuriæ peribūt. si superbia inflatur; imponantur quædam opera uilia facienda, quæ humilitatē generent, & tunc deprimetur, & sic in alijs iudicabis. Per sugestiones intelligimus oportunitates, & occasiones peccandi extrinsecas, quę incitant, & prouocant hominem ad peccandum: quæ etsi tollantur, præseruabitur homo à peccato, puta sicut per commestionem aliquorum ciborum complexioni cōtrariorum homo facilè incideret in aliquem morbum, nisi ab eis abstineret, quorum priuatio sanitatem præseruat: ita quandoq; occasiones, & commoditates prouocant hominem ad peccandum, & maximè in ijs, ad quæ natura inclinatur: quibus occasionibus si homo priuetur, à peccato præseruabitur. Vnde non suf-

38 Satisfactio est medicina languorū animæ.

ficit fornicario pro pœnitentia ieiunium imponere, sed prohibere ei, aliquas actiones, quas ad hanc facilè eum inducere cognoueris: dicendo ne facias hoc; ne vadas illuc. Vnde Isidorus Sententiarum de summo bono libro secundo, & habetur distin. 81. Can. Valet, Valet interdum conuersis pro animæ salute mutatio loci. Plerumque enim dum mutatur locus, mutatur & mentis affectus: congruum est enim inde etiam corporaliter euelli, ubi quisque illecebris deseruiuit: nam locus ubi quisque malè vixit, hic in aspectum mentis ponit, quod sæpè ibi cogitauit, uel gessit. Et per primum remedium, curatur languor factus in uindictam commissorum: per secundum, ponitur & datur remedium, ne recidiuet, & ut canis ad vomitum ne redeat. Præter hæc, quæ dicta sunt, optimum remedium, ad præseruandum pœnitentem (de quo times quòd reincidet in idem peccatum enorme, de quo sępè confessus est: & propter habitum prauum difficulter contineri potest) est hoc, scilicet vt sæpè confiteatur per aliquod tempus apud te: nam partim uerecundia, & timor tuarum repręhensionum, partim gratia Sacramentalis, quæ operatur in assidua confessione: magnam resistentiam facient, & habitui corrupto, inclinanti ad recidiuandum, & tentationibus Dęmonis, ad suggerendum.

39 *1. Dubium, an Satisfactio semper debeat per opera pœnalia.*

Quæritur primò, an Satisfactio debeat semper fieri per opera pœnalia? Respondetur, quòd Satisfactio duplicem respectum habere debet; & ad Deum, cui fit; & ad peccatum de quo fit. Respectu Dei, debet esse honorifica, iuxta verbum Anselmi dicentis: Satisfactio est honorem debitum Deo impendere: nam per peccatum honor Deo aufertur. Hoc autem fieri potest per orationem & opus meritorium: Vnde per omnem actum dilectionis Dei, scilicet cōtemplationem, orationem mentalem, & similia, Deo satisfit: commune est nāque sacrorum Theologorum axioma, quòd omne opus in charitate factum, sicut est meritorium augmenti gratiæ, & gloriæ; ita est etiam satisfactorium. Respectu autem peccatorum pro quibus fit, debet esse pœnalis: Verum in peccato considerantur duo, & quod factum est, & quod in futurum cauendū est. Ratione primi, debet esse curatiua, & castigatiua; respectu secundi, debet esse pręseruatiua, ut dictum est suprà: & vtrumque est pęnale; quia per utrumque homo priuatur aliquo: nam hoc nomen pęnæ per se malum significat, malum autem est priuatio boni; bonum uerò, secundum Philosophum 8. Ethic. est triplex, scilicet Honestum, Delectabile, & Vtile: ergo pœna, circa hęc tria bona versatur. Verum priuatio boni honesti pertinet ad malum culpæ; sed priuatio delectabilis, quæ fit per ieiunium, & omnia opera Corporis afflictiua, ut sunt uigiliæ, peregrinationes, & similia, & priuatio boni utilis, quæ fit per eleemosynam, & omnia alia opera misericordiæ corporalia, dicuntur malū pęnæ. Et de oratione, & alijs operibus charitatis spiritualibus, quid dicendum, cum habeant quandam delectationem, & suauitatem spiritus? Dico, ꝙ illa annumerantur inter opera pęnalia, quatenus per ea sentitur quædam corporis lassitudo, & afflictio. Et quia generali uocabulo, & per quandā antonomasiam, opera pœnalia dicuntur satisfactoria; ideo in Sacramento pœnitentiæ hæc tria sunt ordinariè à Sacerdote iniungenda, nempe ieiunium, eleemosyna, & oratio; quę etiam ex institutione Ecclesiæ habet vim satisfactoriam; & omnia alia, quæ reducuntur ad hęc. Satisfactiones autem honorificæ, ut suprà, potius eligendæ sunt, ut actus morales, & effectus virtutis. Possunt tamen imponi inquantum habent annexum aliquid pœnalitatis, ut sunt conciones, lectiones, studia, & similia, & præsertim in quibusdam peccatis, non multum grauibus, neu habituatis. Et de sacrificio Missæ quid dicendum? Dico, quòd est maximè satisfactorium, satisfactione passionis Christi, quę per ipsum nobis applicatur.

Bonū triplex.

Ita

In quibus omnibus, prudenter confeſſor ſe habere debet, in imponendo prędictas pœnitentias, ſemper præ oculis habens, quæ ſuprà dicta ſunt, ſcilicet vt ſint medicinæ curatiuæ, & præſeruatiuæ. Et quamuis prædicta opera pęnalia, ut curatiua peccatorum, ordinariè ſint imponenda per oppoſitum, puta peccato fornicationis imponendum eſt ieiunium, auaritiæ eleemoſyna, ſuperbiæ actus humilitatis, & ſimilia: tamen quandoque, ſecundum varietatem perſonarum, locorum, & temporum, ſunt varianda: non enim licet ſenibus, aut pauperibus, qui ob egeſtatem continuo ieiunant, ieiunium imponere, his enim parum vtile eſſet: nec mulieribus, quorum mariti ſunt ſuſpicaces, pro adulterio ieiunium præcipere: nec ſeruis longam peregrinationem in præiudicium dominorum, nec filiisfamilias, & pupillis eleemoſynas: & ijs, qui ſunt nimis pauperes, largas eleemoſynas, & victum labore acquirentibus, multa ieiunia imponere, & ita per omnes ſtatus, iudicandum eſt.

Quæritur ſecundò, an huiuſmodi Satisfactiones fieri poſſint per opera aliàs debita? Pro hoc eſt aduertendum, quòd ſunt quædam opera præceptiua, ad quæ tenemur ex præcepto Eccleſiæ, ſub pœna peccati mortalis, ut ſunt ieiunia Quadrageſimæ, quattuor Temporum, & Vigiliarum. Item eleemoſyna in caſu neceſsitatis extremæ. Et clericis, recitare horas Canonicas. Et religioſis, vltra hæc, quædam alia ſtatuta ſecundum eorū Regulam. Et deniq; vota, ſponte emiſſa, ad quę nos obligati ſumus, quę omnia quamuis debita ſint, tamen, ſicut ſunt meritoria de ſe, ita ſunt & ſatisfactoria, immò Eccleſia hac intentione inſtituit ieiunia infrà annum, vt per ipſa ſatisfaciamus pro pęnis temporalibus, à nobis debitis. Vltra hæc, ſunt quædam alia opera, quæ uocantur ſupererogationis, ideſt quæ ſuperſunt nobis, ad noſtrum libitum, quibus poſſumus ſatisfacere pro pęnis debitis. His prælibatis, ait Scotus; & Paludanus, in 4. diſt. 15. q. 1. quos ſequitur Sylueſt. Verbo, Satisfactio, §. 8 & alii, quòd pœnitentiæ impoſitæ à Confeſſore, debent adimpleri per opera ſupererogationis, alias nō ſatis fit. Vnde ſi ieiunia impoſita pro pęnitentia, ſoluerentur in Quadrageſima, vel quattuor Temporibus, pęnitens non impleret pęnitentiam, quia illa ſunt alio iure debita. Et confirmatur: nam ſi hoc fieri poſſet, ſequeretur, quòd Sacerdos poſſet imponere clerico pro pęnitentia, vt officium perſoluat, quod propter beneficium dicere debet, aut poſſet imponere pro eleemoſyna debitori, vt debitum creditori perſoluat. Adrianus autem in quadam quęſt. de Satisfactione, & Caiet. in opuſculo de Satisfactione, oppoſitum tenent: ſequeretur.r. vt aiunt, quòd ſi aliquis pateretur martyrium, quando ad id ex pręcepto teneretur, non ſatisfaceret per illud: quod non eſt aſſerendum. Nos autem moderatius loquendo dicamus cum Soto in 4. diſtin. 18. q. 2. art. 2. quòd regulariter loquendo, & more ordinario, talia opera aliàs debita ex communi præcepto, uel uoto particulari, non ſunt, nec debent in pęnitentiam Sacramentalem imponi: quia mos Eccleſiæ hoc non habet in conſuetudine. Dixi (Regulariter) vt me pręſeruarem ab aliquibus caſibus, in quibus liceret etiam de operibus aliàs debitis pęnitentiam iniungere: puta, ſi aliquis non habens excuſationem de non ieiunando in quadrageſima, & non ieiunaret ex quadam ignauia, licitum eſſet imponere ei ieiunium in dicta Quadrageſima perſoluendum. Item ſi homo diues eſſet tantæ tenacitatis, quòd etiam in caſu neceſsitatis, quando ex pręcepto tenetur, eleemoſynas non facit, optimum remedium eſſet, in vim pœnitentiæ imponere ei, vt in tali caſu eleemoſynas faciat, vt per hoc aſſueſiat ad alia. Item, ſi clericus ita negligens eſſet, ut ſępe horas non perſolueret, laudabile eſt, vt ei de nouo imponatur talis obligatio. Et vniuerſaliter quando confeſſor videt aliquem pęnitentem non implere iura communia, ad quæ tenetur, aliqua

40

2. Dubium an Satisfactio fieri poſsit per opera alias debita.

Opera præceptoria.

Opera ſupererogationis.

Vna opinio.

Altera opinio.

Auctor, & Scotus.

aliqua via, & ratione, possunt ei illa de nouo imponi in pœnitentia, ut per accessionem nouæ obligationis, arctius cogatur illa adimplere; est enim illa noua obligatio stimulus quidam premens eum ad implendum debitum, vt accidit ijs, qui se uoto obligant, ad ea, quæ ex præcepto obseruare tenentur, ut in materia de voto dixi. Ad primam opinionem respondetur: Non sequitur, quòd nullatenus satisfit utrique debito: nam sicut vnum, & idem opus, cum procedit ex minori charitate, erit minus satisfactorium; & cum procedit ex maiori charitas, magis erit satisfactorium, ita opus aliàs debitum, ex præcepto solutum, si verbi gratia erit satisfactorium, ut quinque; si & ex virtute clauium procedit, idest in pœnitentia impositum, fuerit satisfactorium vt octo, fateor tamen non esse tantæ satisfactionis in ratione pœnitentiæ impositæ, quantæ esset, si non esset aliàs debitum: & propterea dixi, quòd hæc non indifferenter sunt obseruanda, sed in casu. Huic sententiæ concordat Nauarr. cap. 3. num. 4. scilicet, quòd satisfactio fieri potest per opera aliàs debita dummodo illa fiant hac intentione, scilicet, ut debitum soluatur; & à Sacerdote specialiter imponatur. Si autem à Sacerdote non ita specificatur, non potest fieri, puta, quis confitetur in quadragesima, cui simpliciter imponitur ieiunium pro pœnitentia nihil addendo, si ille ieiunat quotidie, quia excusationem nullam habet non ieiunandi, non potest illam explere intra quadragesimam; sed intelligitur, ut ieiunium expellat post octauam Paschæ: secus, si esset de illis, qui sunt exempti à ieiunio quadragesimali. Et ratio est: quia nomine pœnitentiæ regulariter intelligitur opus supererogationis, ut dixi. Ad instantiam secundæ opinionis dicitur: Illud, quod dicunt non sequitur, primò quia instantia non est ad propositum: secundò, quia opera præceptiua sicut sunt meritoria, ita sunt & satisfactoria, quomodocunque fiant, ut dictum est, ita est de martyrio.

Nauarr.

3. *Dubium unus possit ne satisfacere pro alio.*

Quæritur tertiò, an unus possit pro alio satisfacere? Respondet Gl. in Can. Pœnitentia, de pœnit. distin. 3. quòd non, non enim unus potest pro alio ieiunare: nisi filius pro patre, qui censetur una persona esse cũ eo. Sed hęc tela altius ordienda est. Si loquamur de operibus moralibus liberè factis, unus potest pro alio satisfacere, dummodò ambo sint in gratia: cum enim sint membra corporis mystici, cuius caput Christus est, & charitate coniuncti; communicant ad inuicẽ opera spiritualia, & consequenter satisfactoria. Vnde Propheta: Particeps sum ego omnium timentium te. Et oppositum dicere, esset contrariari articulo fidei, s. (Credo Sanctorum communionẽ) Si aũt loquamur de Satisfactione Sacramentali, ait D. Th. in 4. distin. 20. art. 2. Sotus dist. 19 ar. 4. Sylu. Verbo Satisfactio, §. 3. post Bonauent. distinguendum est. Si pęnitentia iniuncta erit hac intentione data, scilicet vt medicina curatiua, pro peccatorum remissorum uindicta; potest unus pro alio satisfacere: his tamen concurrentibus, scilicet ut is, pro quo satisfit, sit in charitate, aliàs non posset pro eo satisfacere: nisi primam gratiam ei impetraret, & ipse non poneret obicem. Secundò, ut hoc fiat auctoritate Confessoris ordinantis, uel contenti, ut unus pro alio satisfaciat tertio, & ut hoc fiat aliqua iusta de causa: puta si pœnitens est debilis, & non potest ieiunare, uel de proximo moriturus, & non potest per se pœnitentiam explere; ne patiatur in purgatorio, committetur aliis de familia, ut ieiunent pro eo, & simile quid faciant. Petrus de Palude ponit aliam causam, scilicet, quando pœnitens uellet facere aliquod opus maius, & Deo gratius, puta prædicare, pro fide bellare, uel simile quid præstare, & non posset per se pœnitentaim explere, tunc posset alteri uolenti iniungere, ut expleat pro eo D. Thom subiungit, quamuis alius pro alio potente satisfacere, soluere posset, tamen non est permittendum, nisi appareat aliquis defectus corporalis,

D. Thom.
Sotus.
Syluest.

Petrus de Palude.

vel

uel spiritualis, ut dixi: sed sine licentia Confessoris obligatus ad pœnitentiam, alteri illam committere non potest: sed per se ipsum eam explere debet. Cap. Omnis, de pœnit. & remiss. & Can. perfecta, de pœnit. distinct. 1. est enim opus personale impositum tanquam medicina curatiua. Si autem pœnitentia erit, ut medicina præseruatiua futurorum malorum, ut suprà diximus, unus pro alio nequaquam satisfacere potest: si enim ordinatur Petro ieiunium ut mortifi cet carnem suam, ne rebellet contra spiritum, & sentitat impetus libidinis, qd ipsi prodesset ieiunium Ioannis pro eo factum, ad hoc, ut per carnis castigationem, peccata fugeret? ideò, &c.

Quæritur quartò, an quandoque debeat imponi pœnitentia publica? Dico, si pœnitentia erit legalis, remitto me ad Canon. Si autem erit Sacramentalis, dico, quod quamuis dum feruebat igne charitatis nimiæ, ipsa Ecclesia multis Christianis indicebat, quæ postea hominum multitudine crescente, cessauerunt. Vnde, sicut publicè confitebantur, ita publicam pœnitentiam faciebant, tamen tempore Leonis Primi, talis modus confitendi ablatus fuit, ut habetur de pœnit distinct. 1. Cano. Quamuis. Et consequenter cessauerunt publicæ pœnitentiæ, ne per eas peccata proderentur in præiudicium sigilli. Vnde qui imponeret aliquam grauem pœnitentiam publicè faciendam, uel quæ fieri non posset, nisi in publico uideretur indirectè aliquod peccatum illius graue, & enorme reuelaret. Ideò Cõfessarij, in dando pœnitentias, caueant, ne ex illis aliquid prodant; sed uel occulte fiat, uel ita cautè in manifesto, ut eas à Cõfessore impositas a'iqs nõ suspicetur, sed potius sua sponte eligere, & in suorũ peccatorum satisfactionem, & aliorum ædificationem facere iudicetur. Et si peccata essent publica, liceret ne publicas pęnitentias imponere? Aliqui tenẽt, quod sic. Sacri Concilii Trident. auctoritate suffulti, Sess. 24 cap. 8. de reformatione. Nauar. tamen modestè loquendo, credit Sacrum Concil. non loqui in foro merè pęnitentiali, sed in foro misto iudiciali, adhærendo iuri antiquo, cap. 1. de pęnit. significando tamen Episcopis, ut illam in secretam commutare possint in foro interiori. Vnde persuadet Confessariis, ut si publicæ pœnitentię absque sigilli detrimento fieri possint, dentur, aliàs non, ut accidere potest in peccato publico.

42 *4. Dubium de pœnitentia publica.*

Quæritur quintò, quanta pęnitentia sit imponenda? Respondetur, quod quamuis secundum iudicium Dei, quanta pęna debeatur, iuxta æqualitatem iustitię sciri non possit tamen iudicio Ecclesiæ regulariter exigenda esset, quanta per Can. taxata est, & in reliquis peccatis, ubi taxata non inuenitur, imponenda esset similis: ait Glo. ut per taxatas addiscemus taxare reliquas. Verum, quia propter naturæ imbecillitatem, & charitatis tepiditatem, hodie non esset qui eas uoluntariè acceptaret, relictum est iudicio Confessoris, ut suo arbitratu omnes taxet, aggrauando, & mitigando pœnitentes ex causa, s. considerando personæ qualitatem, & conditionem, complexionem, uires, & attens ut tantum pœnitentem aggrauet, quantum sufferre potest: nec nimis eum onerando, ne asperitate nimia sub onere cadat, aut se retrahat: nec ei nimis indulgendo, maximè in grauioribus, ne paruifaciat peccata grauia, eo quod non ita grauiter castigantur: Vnde quam prudenter se gerere debet Sacerdos, & quo ad modum imponendi, ut dictum est suprà, & quo ad quantitatem, & tẽporis longitudinem; aduertendo semper pœnitentem, quantam pęnitentiam pro quolibet mortali facere teneatur, iuxta Can. taxationes: & ideò scire tenetur Canones pęnitentiales, ut illos docere possit pęnitentes: aduertendo præsertim, dum pęnitentias taxat, quantam contritionem habeat pęnitens: quia illa multum operatur in relaxatione pęnæ, quanto enim pęnitens magis dolet, tanto minori pœnitentia indiget. Vnde Hieronymus ait, & habetur de pœniten.

43 *5. Dubium de quantitate pœnitentia imponenda.*

Confessor scire debet Canones pœnitentiales.

nitent. distinctione 1. Can. Mensuram: Apud Deum non tam ualet mensura temporis, quam doloris: nec abstinentia tantum ciborum, quam mortificatio uitiorum.

44 Quæritur Sextò, an Sacerdos uirtute clauium, pœnitentem ad aliquam pœnam ligare possit: Hic sunt duo uidenda. Primum est: an Sacerdos habeat auctoritatem imponendi pęnitentiam, & ad illam pœnitentem obligare? Secundò: an si pęnitens illam acceptare nollet, possit ei absolutionem denegare; Pro huius difficultatis intelligentia, est aduertendum, quod Sacerdos habet potestatē ita ligandi, sicut absoluendi: non tantùm quo ad culpam, sed etiam quo ad pœnam temporalem, aliquo modo.

6. Dubium an Cōfessor possit pœnitentem obligare.

Aduertendū.

Probatur. Sacerdos absoluit, & ligat tanquam minister Dei; ergò sicut Deus absoluit, & ligat auctoritatiuè, quo ad culpam, & pœnam, ita Sacerdos ministerialiter. Probatur antecedens, Ioan. 20. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remissa sunt, & quorum retinueritis, retenta sunt. Probatur consequens; Deus directè absoluit à culpa, si homo sufficienter disponitur, sin autem indispositus est, ligat, sed indirectè, inquantum subtrahit gratiam impœnitenti obicem ponenti: nulli enim Deus culpam directè imponit, sed ipsemet homo in illam se præcipitat, renuendo Dei auxilium; ita Sacerdos ministerialiter, uirtute clauium, directè pęnitentē à culpa absoluit, si est dispositus; & dū est indispositus, eum indirectè ligat, in quantum ostendit eum non esse dignum absolutione. Item, quo ad pœnam Deus directè absoluit pęnitentem, quandoque totam remittendo, & directè ligat, eam totam exigendo. Ita, & Sacerdos suo ministerio, ex ui Sacramenti, dum absoluit, directè remittit aliquam partem pœnæ, sed non totam, & directè ligat pœnitentem ad soluendum aliquam partem pœnæ debitæ, ipsi eam iniungendo, ex vi clauium. Sed circa hoc ultimnm, scilicet, ligare pœnitentem ad aliquam pœnam, an Sacerdos faciat aliquo præcepto pœnitentem ad hoc obligante; an sua sponte clauibus Eccelesiæ se subiiciente; dubitatur: & ex huius resolutione dependet solutio secundæ partis dubij. Scotus in 4. dist. 18. asserit pœnitentem nullo iure siue Diuino, siue Ecclesiastico teneri in hoc seculo pœnitentiam persoluere, nisi inquantum ipse spontè negauerit: & consequenter dicit, si pœnitens nolit pœnitentiam acceptare, adhuc absoluedus est. Probatur antecedens: Satisfactio non est de essentia Sacramenti: unde potest homo sine ipsa saluari, & eius uoto, dummodò humiliter remittat se ad illam in purgatorio soluendam: quod non potest sine actuali contritione, & confessione saltem in uoto, in casu, quo negatur possibilitas; probatur, quod potest saluari sine ipsa, nam in articulo mortis, & alijs impotentibus non imponitur: nec per hoc Ecclesia illos condemnat, sicut incontritos, & inconfessos. Secundò, si de hoc esset pręceptum Diuinum, eadem ratio esset de tota pęna, & parte: sed ad totam non tenemur, quia nō tenemur ad impossibile, propter multitudinem peccatorum, ergò neque ad partem. Nec obstat, quod Deus dedit Apost. & eorum successoribus potestatem absoluendi, & ligandi, remittendi, & retinendi peccata: quia hoc intelligitur quo ad culpam, & non quo ad pœnam. Huic opinioni consentit Gabriel Biel, in 4. distinct. 18. Caietanus in ... parte, Et Nauarrus cap. 26. nu. 20. cum multis alijs, quos ibi recitat. Sotus in 4. distinct. 20. quæst. 2. artic. 2. post D. Thom. in 4. distinct. 18. quęst. 1. & Paludanum cum multis aliis Canonistis, tenent oppositum, scilicet pœnitentem iure Diuino, & humano obligari ad pœnitentiæ partem explendam: & consequenter illam tenetur acceptare, aliàs non absoluendus. Richardus quoque distinct. 18. quæst. 1. artic. 5. dicit, quod pęnitens tenetur pęnitentiam ratione necessitatis recipere, si est rationabilis, & discreta, & pro uiribus explere,

Scotus.

Gabriel.
Caietanus.
Nauarrus.
D. Thom.
Sotus.
Paludanus.

re, quia talem pœnitentiã iniungendo, clauibus utitur directè: quilibet autem tenetur sui Iudicis iustam sententiam obseruare, sub pœna lethalis culpæ. Et quamuis ambæ opiniones aliquam probabilitatẽ habeant, magnis patronis dignam; tamen mediam uiam sequendo, cum aliis doctis uiris Glossam sequentibus, securiorem, & magis practicatam, dicerem. Quamuis iure Diuino non extet præceptum de satisfactione, ut benè prima opinio probat: tamen adhuc pœnitens tenetur parere mandato Sacerdotis in actu Sacramentali, & saltem pręcepto Ecclesiæ, ut probat secunda opinio, per Capitulum, Omnis, de Pœnitent. & remiss. ibi enim pari mandato præcipitur, ut quisque confiteatur, & pœnitentiam iniunctam suis viribus studeat adimplere. Et confirmatur: si Ecclesia hoc non præciperet, non ordinasset Canones pœnitentiales, quos obseruari uoluit secundum rigorem, tunc peccata rarò committebantur, & charitas feruebat cum autem postea peccata creuerunt, cognoscens Ecclesia, quòd tot anni pœnitentię pro tantis peccatis explicari non possent: ordinauit, ut pœnitentię imponerentur arbitrio Sacerdotis, non solum quo ad modum imponẽdi, qui antiquitus etiam erat arbitrarius in multis peccatis, sed etiam quo ad temporis longitudinem, scilicet septennium, prout ab Ecclesia prius taxatum erat. Itaque quod hodie per dictas pœnitentias expleri non potest, per Indulgentias relaxatur, quæ frequentari cœperunt, ut pluries dixi. Hoc idem habetur in Concilio Florentino. Nec obstat, quòd dicit Nauar. quo suprà, scilicet, quod pœnitentiæ taxatæ per Canones, fuerunt pro foro exteriori, & non interiori: quia loquitur contra intentionem Ecclesię, & uniuersitatem Doctorum. Cum ergò Sacerdotes auctoritatem habeant imponendi pœnitentias, & eas taxandi arbitrio suo, ab Ecclesia; sequitur, ut ei, qui iustam pœnitentiam acceptare nollet, iustè posset absolutio denegari, dixi (Iustam pœnitentiam) si enim esset iniusta, & indiscreta, non teneretur pœnitens illam acceptare, ait Richardus quo suprà, tunc enim Sacerdos abuteretur clauibus scientiæ, & potentiæ. Et confirmatur: nam in Clementina, Dudum, de sepulturis, Gratianus ait, unum documentum, quod ad omnibus acceptatur, scilicet prius sit imponenda pœnitentia, deinde pœnitens absoluatur: si ergò ad hoc Confessor non posset pœnitentem obligare, frustra esset hæc cautela. Nec obstat, quod notatur in margine contra Gratianum, in Cap. Perpetuò, de censibus, in 6. nam illa, quæ in tali textu dicuntur, non arguunt ordinem essentialem, quo ad hoc, sed simpliciter dicta sunt, aliàs cap. prædictum contrarium esset textui Clementinę citatæ, vel Pontifex ibi supponit, pœnitentes esse obedientes, secùs si dubitaretur de tali obedientia; ideò Gratianus docet hanc cautelam. Et denique nisi pœnitentia iniungenda esset necessaria, & ab Ecclesia præcepta, in Sacramento Confessionis, non ita passim, dum per omnes Canones, & Cap. totius iuris Canonici, de Confessione agitur, de satisfactione facienda, & iniungenda mentio fieret, vt est videre in dictis Cap. citatis, & in Concil. Trident. Sess. 6. cap. 14. Hinc patere potest resolutio dubij pro utraque parte. *Opinio media*

Sed pro consultatione Confessorum est aduertendum, quòd pœnitentia, quę imponi solet, duplex est, vt suprà diximus: aut erit curatiua malorum præteritorum, idest afflictiua, & punitiua. Aut erit pręseruatiua malorum futurorum, idest occasionum, & radicum peccatorum prohibitiuam, tunc dico, si pœnitens non vult acceptare medicinam præseruatiuam, idest quę à Sacerdote ordinatur, ad fugiendum occasiones peccandi, ex quibus probabiliter timetur, quòd recidiuabit, uel radices peccatorum, ex quibus peccata pullulant, & nutriuntur, non est aliquo pacto absoluendus, quia signum est, quòd non habet ueram contritionem; quę consistit, non solum in detestatione præteritorum, *Confessorum Consilium.*

rum, sed etiam in proposito, de cetero non redire ad peccata; qui enim nõ vult, vel non curat fugere occasiones, & euellere radices peccatorum, non vult peccata relinquere. Si autem non vult acceptare medicinam curatiuam, idest poenitentiam punitiuam, si hoc facit quadam perfidia, quantumcunque modica sit, hoc arguit malum signum: qui enim sine causa legitima in hoc repugnat, non est benè dispositus, & ideò non absoluendus. Si autem piè, & deuotè respondet, se non posse; sed contentatur, illam in purgatorio explere, uel per Indulgentias, & alia bona, cum tempore Deo satisfacere; detur ei modica poenitentia: & relinquatur iudicio Dei, eum absoluendo: melius est enim, illum in Purgatorio constituere; quam in Inferno derelinquere, non enim potest, aut debet refutare, ut dicat unum Pater noster, & Aue Maria; ait Panorm. in cap. Significauit, de poenit. quòd si neque unum Pater noster, acceptare vult, non benè de eo sentiendum est. Casus non est persuasibilis; Et hæc satis de hac quęstione.

7 *Dubium an Sacerdos in ligando, & soluendo teneatur certis legibus.*

Quæritur septimò, an Sacerdos posit poenitentem suo arbitrio ligare, & soluere, an teneatur aliquibus legibus? Et videtur, quòd sic: habetur enim Ioannis 20. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, &c ubi infinuatur, quòd omnia remisit Sacerdotibus, qui succedunt Apostolis. Sed contrarium est uerum. Et primò quo ad culpam, Sacerdos non absoluit sua propria auctoritate, sed Dei; ipse autem concurrit tanquam minister, ideò data est ei clauis scientiæ, ut secundum rationem iudicet, quem debet absoluere. Vnde si absolueret aliquem indignum, non per hoc ille esset absolutus apud Deũ; & ècontra, si ligaret aliquem innocentẽ; non per hoc esset ligatus apud Deũ. Et auctoritati allegatæ respondetur, quod illa uerba non sunt ita intelligenda: sed quòd hoc faciat iudicio à Spiritusancto regulato. Secundo quo ad poenam, supponere oportet, quòd unicuique peccato remisso quo ad culpã, respondet aliquis certus gradus poenæ soluendę in purgatorio, tam in rigore tormenti, quam in duratione, soli Deo cognitus, ut detur locus iustitię Dei, post habitam misericordiam, de recuperata amicitia per contritionem. Cuius poenæ aliqua pars remittitur per contritionem, secundum feruoris quantitatẽ, aliqua, per confesionem, & absolutionem, ex ui Sacramenti; reliquum autem persoluendum remanet, uel in hac uita, uel in Purgatorio. Est quoque aduertendum, quòd data paritate supplicij, plus poenæ debitæ persoluitur in hac vita, quam in purgatorio: ideo Augustin. dicebat: hic ure, hic seca, ac etiam cæteris paribus, plus persoluitur per poenitentiam iniunctam à Sacerdote, uirtute clauium, quam si spontè, & liberè assumpta fuerit. Tertiò est sciendum, quòd quamuis à nobis ignoretur, quanta poena certa in iudicio Dei sit persoluenda, pro quolibet mortali, tamen antiqui Patres secundum aliquos, & præsertim Scotum, taxauerunt pęnitentias, pro quolibet peccato, quantum iudicabant posse pęnitentem liberari à debito purgatorij, & ex illis taxatis, possent iudicare, in aliis peccatis, pro quibus non inueniuntur taxatæ: quę si erant arbitrariæ, illud erat non quo ad tempus durationis, sed quo ad modum; habito respectu ad quantitatem contritionis, ut dictum est suprà: prout ait Hieron. & habetur de pęnitent. distinct. 1. Canon. Mensuram. Verum ait Scotus, quòd ista taxa non consistit in indiuisibili, puta, si pro homicidio teneretur in purgatorio ad pęnam, ut decem; Confessor debeat imponere pęnitentiam correspondentem, ut decem, ut à purgatorio pęnitentem absoluat; sed sufficit, ut imponat aliquid, ut nouem; itaque, si à duobus confiteantur æqualia homicidia diuersis Confessoribus, & unus imponat pęnitentiam, ut decem & alius, ut nouem, ambo liberarentur à purgatorio: uerum qui se obligauit ad decem, soluendo nouem, non liberaretur à tota pęna, sed

pro

pro rata correspondente; sed quia hæc hodie non sunt in vsu, non est curandum de huiusmodi assertionibus; quia non est tanta charitas, nec vis in pœnitentibus, ut totam persoluant; ideò, ut dictum est, datum est Confessoribus, ut eorum arbitrio pœnitentias taxent, secundum qualitatem, & conditionem personæ, ad hunc sensum, non quòd pro peccato adulteri, imponendo duo, vel tria ieiunia, ipsum absoluere possit à toto debito purgatorij; esset enim error in claue, per defectum; sed absoluit à quota parte, quæ illis ieiunijs respondere potest: unde remanet obligatus ad reliquum, secundum æqualitatem iustitiæ. Nec è contra suo arbitratu, claue non errante, potest obligare pœnitentē ad pœnitentiam excessiuam; puta pro peccato veniali ad dicendum septem Psal. pœnitētiales: esset enim error per excessum: nisi faceret hoc, vel simile pro salutari medicina, ad cauendum in futurum. In quo casu pœnitens tenetur illam acceptare; nisi qualitas, & conditio personę illum excuset. Quæ pœnitentiæ, quamuis suo arbitrio, ex instituto Ecclesiæ minores, quam peccata merentur, imponi possint: non tamen ita tenues esse debent, vt pęnitentes peccata grauia committere non caueant; eo quòd leuiter puniuntur: ne forte si indulgentius cum pęnitentibus agant leuissima opera pro grauissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum particeps fiant: sed agant prout spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pęnitentium facultate, salutares, & conuenientes satisfactiones iniungendo, Ait S. Concil. Trident Ses. 14. cap. 8. Aduertendo eps ad quantum de rigore tenentur. Et præter hæc, prudens Sacerdos, data pœnitentia, ut dictum est: in fine adiungat: Passio Domini nostri Iesu Christi, & merita beatæ Mariæ semper Virginis, & quidquid boni feceris, & damni sustinueris, &c. Cum hac intentione, applicandi pęnitenti merita passionis Christi, Beatæ Mariæ, & Sanctorum; ac etiam per illa verba (Quidquid boni feceris, &c.) intentionem habeat iniungere in pęnitentiam, omnia alia bona, à pęnitente liberè facienda: quod est dicere, quidquid boni moralis tua spontè, & liberè feceris, (& mali sustinueris,) idest quidquid mali afflictionis, tentationis, & miseriæ, à Deo inflicti, patienter sustinueris, sint tibi iniuncta pro Sacramentali pęnitentia. Dixi (Cum hac intentione) nam si aliquis Confessor ignarus, nesciens verborum significationem, illi simpliciter recitaret, sicut ceteras orationes, quæ dici solent ad bene esse, nihil de prædictis operarentur. Verum si diceret dictam orationem secundum intentionem Ecclesiæ ordinantes illam, nil aliud intelligendo, sufficeret. Optime autem foret, illam intelligere, & de ea pęnitentem instruere. Et denique pęnitentem consulere debet, quando premitur magna sarcina pęnarum soluendarum, ut vltrà prædicta, conetur lucrari Indulgentias, quantum fieri potest; eo quod omnes prędictæ satisfactiones non sufficiant, ad liberandum eum à debito Purgatorij.

45 Quæritur octauo, an Sacerdos possit commutare pęnitentiam, uel diminuere ab alio impositam? Respondet Syluester, Verbo, Confessio, 1. quæstio. 27. post quosdam Canonistas, quòd sic, nisi suus Confessor eam sibi reseruasset, & peccatum pro quo fuit imposita, non erat superiori reseruatum; Nauar. cap. 26. numero 22. subiungit, si causa rationabilis aderit. Ra mundus addit aliud, quòd tunc fieri potest, quando alter cognouerit causam, propter quam pęnitentia imposita fuit: & hoc modo sequeretur, ut pęnitens iterum confiteretur: & si res ita se haberet, ad quid hæc discussio deseruiret. Ideò respondeamus, cum Soto, distinct. 20. quæst. 2. articu. 3. magis completiuè ad dubium. Si mutans pęnitentiam est superior, tunc simpliciter illam mutare potest. Si autem est æqualis, tunc si peccatum, pro quo imposita fuit non erat superiori reseruatum, & causa rationabilis interuenit; puta, quia pęnitens illam implere non

8. Dubium. Syluest. Nauar.

Scot.

ualet,

valet, ut senex ieiunia, pauper eleemosynas, & similia, uel non potest sine magna difficultate, uel periculo animæ, & corporis, vel quia fuit iniusta vltra merita peccatorum, vel simile, tunc non solum æqualis, sed etiam inferior illam mutare, & diminuere potest, iuxta Glos. receptam in Can. Tempora pęnitudinis, 16. q. 7. quam sequitur Nauar quo suprà, absque eo vt peccatum, pro quo imposita fuit, reiteretur, vt Nauarrus confirmat: nisi quando pœnitentia fuit excessiua, non enim error sciri posset, sine explicatione peccati: Et hæc omnia intellige, quando Confessor, qui eam imposuit, haberi facilè non potest. Si verò nihil horum adest, sed pœnitentia fuit iusta, potest commodè fieri, & alter Sacerdos non potest illam permutare, quia par in parem non habet imperium, & primus est Iudex absolutus, & potest pœnitentem de iustitia obligare. Ad hoc facit Can. Placuit, de pœn. dist. 6.

46 *9. Dubium de satisfactione facta in peccato mortali an valeat. Scotus. Gabriel.* Quæritur nonò, an Satisfactio facta in peccato mortali, ualeat, & si non valet, an sit reiteranda? In hoc sunt opiniones. Scotus in 4. dist. 15. q. 1. quem sequitur Gabriel. & Nauar. cap. 3. num. 5. aiunt, si Satisfactio fiat in charitate, est meritoria simul, & satisfactoria: Si autem fiat in peccato, siue sit voluntariè assumpta, siue à Sacerdote imposita, est quidem satisfactoria, ita, ut per eam euacuetur pœna in purgatorio debita, licet non sit meritoria. Et si dicatur, est opus mortuum extra charitatem factum, ergò non satisfactorium, dicit, quòd non sequitur, quomodocunque enim fiat, satisfactorium est, licet non placans, neque reconcilians, idest non acceptum, quo ad meritum essentiale. Et si replicetur, non est placans, ergo neque satisfactorium, dicit, quòd non sequitur: nam sufficit Deo, quòd quis soluat pœnam debitam, pro punitione peccati commissi: & ego dico, quòd non sufficit, & consequentia tenet; & *Refutatio.* ideò periculosa opinio est: quod ipsemet aduertens, dicit, sine præiudicio, per quod datur intelligi, quod de hac assertione non erat securus. Ideo ponitur altera opinio quæ in alterum extremum claudicat, scilicet Panormitani, in cap. Quod quidem, de Pœnit. & remiss. & Archid. in cap. de Pœnitentia, dist. in 3. *Altera opinio Panor.* asserentes, quod talis pœnitentia est iteranda tanquam inualida. Vnde Supplem. cum aliquibus, trepidantes, ne satisfactiones iniunctæ fiant in peccato mortali, & homo non remaneat obligatus, sub pœna lethalis culpæ ad iterū satisfaciendum, & Sacramentum integrandum, consulunt, vt à Sacerdote imponatur quædam pęnitentia Sacramentalis breuis, & statim facienda, deinde imponantur quędam alia opera conditionaliter, quæ si fortè non fiant in gratia, satis est fecisse primam paruam, ut Sacramentum non remaneat diminutum, & pœnitens non teneatur sub mortali alteram adimplere. Ex quo vsu venit; quòd aliqui Confessores faciunt, scilicet imponunt pro Sacramentali pęnitentia unum Pater noster, & Aue Maria, quę dicantur donec pœnitentem absoluunt; deinde dicunt, fac hoc, vel illud. Qui modus dandi pœnitentias, *Refutatio.* est valde reprehensibilis: eo quod decipiunt pœnitentes, & relinquunt eos *Alia opinio.* onerosos debitis. Alia opinio dicit. Si satisfactio fiat per opera, quę relinquunt effectum in satisfaciente: puta per ieiunium, quod relinquit macerationem in corpore: per eleemosynam, quæ relinquit damnum, idest diminutionem in bonis, & similia: siue talia sponte fiant, siue per impositionem à Sacerdote; recuperata gratia per nouam contritionem, sortiuntur effectum: nam cum incipit pęnitere, & charitatem habere, dicta opera virtute effectus relicti in pęnitente, incipiunt valere, ut satisfactoria; sicut accidit in baptismo, ficte accepto, & pœnitentia informi: secus autem de orationes, & similibus, quæ nihil relinquunt, dicunt isti. Hæc opinio refutatur hoc modo; Accidere potest, ut ho- *Refutatio.* mo tam diu moretur ad pœnitendum, ut dum charitas redit, iam effectus ieiunij per multas refectiones sit transactus; & lassitudo peregrinationis, per quietem

quietem sit restituta, & simile; quo fit ut non inueniatur in pœnitente ille effectus relictus;quo opus uiuificari possit,& incipere esse satisfactorium.

Præterea, si opus adueniente charitate uiuificatur, aut hoc erit ratione effectus relicti tantum; & ex hoc non sequeretur, quod omnes pœnitentiæ etiam spontè factæ in peccato mortali antequam conteratur, postea reuiuiscerent, contra doctrinam D. Thom. in tertia p. q.98. ubi probat, quod opera facta in peccato mortali, adeo sunt mortua, ut nunquam reuiuiscant, & est communis sententia. Vnde Glos.

Viuere non possunt, quæ mortua tota fuere.
Illa reuiuiscunt, quæ mortificata fuere.

Aut hoc erit ratione Sacramenti tantum: scilicet,quia Satisfactio illa iniuncta fuit à Sacerdote,uirtute Clauium:& hoc non, quia sequeretur,quod etiam oratio hoc haberet: hoc enim modo non est maior ratio de uno, quàm de alio: sed de oratione ipsi negant. Aut hoc erit ratione utriusque: & hoc neque; nam quod ieiunium relinquat corpus macilentum, hoc non fit inquantum est opus morale, de genere bonorum, aut Sacramentale; sed inquantum est opus naturale; dum enim subtrahitur cibus quotidianus, corpus macrescit: & ita de similibus iudicatur: nam hoc idem patiuntur, qui hæc eadem opera faciunt sine tali intentione. Vnde Caietanus, in opusculo de satisfactione, quæst.1. aliter respondet ad dubium; dicit enim Primò, omne opus morale uoluntariè assumptum, si fit extra charitatem, sicut est sine merito, ita est sine satisfactionis fructu. Hinc Paulus 1. Corinth. 13. Si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, charitatem autem non habuero; nihil mihi prodest. Ait Secundò. Omnis pęnitentia Sacramentalis à Sacerdote imposita, si in peccato fit, ualet quo ad Ecclesiam militantem, no autem quo ad triumphantem, idest satisfaciat Sacerdoti, & Ecclesiæ, cui se obligauit; illam acceptando, per cuius adimpletionem euitatur nouum peccatum mortale; non autem satisfacit Deo, ad alleuiandum pęnam in purgatorio debitam; eo quòd Deus illam non acceptat: & ideo adhuc remanet obligatus, ac si illam non fecisset. Tertiò omnis satisfactio Sacramentalis, siue sit eleemosina, uel ieiunium, siue sit oratio, facta in peccato mortali, recuperata charitate, per nouam pęnitentiam, incipit ualere quo ad Ecclesiam triumphantem: nam cum omne opus Sacramentale,sicut est Baptismus, Confessio & Extrema Vnctio, quatenus est opus Dei recedente fictione, per superuenientem charitatem sortitur suum proprium effectum; ita satisfactio Sacramentalis, cum sit pars Sacramenti,uim habet ex Clauibus, ut si fortè per actualem culpam fuerit informis, recedente illa fictione, sortietur suum effectum, scilicet ut ualeat pro solutione pęnæ, quo ad Deum. Istud tertium assertum Caietani non placet:satisfactio nanque non est Sacramentum, neque pars Sacramenti essentialis;sed integralis, ut suprà dictum est; sine qua potest esse Sacramentum,& ideo non operatur ad modum Sacramenti: itaque ex ui Sacramenti nil aliud habet, nisi quod magis operatur, idest magis satisfactoria est, ceteris paribus,quam illa,quæ spontè assumitur. Vnde,quantumcunque recedat fictio,nunquam uiuificatur;quia non operatur ad modum Sacramenti,scilicet, ex opere operato,sed operãtis;qui cũ sit in peccato mortali,nihil sibi prodest. Relinquitur ergo, ut dicamus, imponẽdo finem huic qõni, cum Richardo, & Paludano, in 4.dist.15.& Soto,in 4.dist.19.q.1.art.5.s.si satisfactio est uoluntariè accepta extra Sacramentum, facta in Charitate, erit meritoria, simul,& satisfactoria:si autem facta fuerit in peccato mortali,quomodocunque fit,nullũ

Caietanus. *Refutatio.* *Richardus.* *Paludanus.* *Sotus.*

effectum spiritualem sortietur: quia, ut dictum est, *Viuere non possunt, quæ mortua nata fuere*: Si verò est Sacramentalis, facta in charitate, erit non solum meritoria, & satisfactoria, quo ad Ecclesiam militantem, sed etiam triumphantem: Si denique fit in peccato mortali, erit quidem satisfactoria, quo ad Ecclesiam militantem, non autem quo ad triumphantem: sed adhuc tenebitur illam in Purgatorio explere, uel hic per alia opera, uel sponté accepta, uel à Sacerdote de nouo imponenda, non tamen ad idem in specie, quod ergò operatur, quo ad Ecclesiam militantem, operatur solum, ut non teneatur nouo peccato mortali, per eius omissionem.

Quę opinio ultima confirmatur per Concil. Trident. Sess. 14. cap. 8. cuius uerba sunt hæc: Neque uerò ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exoluimus, ut non sit per Christum Iesum: nam qui ex nobis nihil possumus, eo cooperante qui nos confortat, omnia possumus, ita non habet homo, unde glorietur; sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo uiuimus, mouemur, & sumus, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo uim habent, ab illo offeruntur patri, & per illum acceptantur à patre. Restat igitur dicendum, ut Confessores dum pœnitentiam temporaneam imponunt, moneant pœnitentes, ut in gratia expleant, & si forte antequam finierint illam, in aliquod mortale lapsi fuerint, prius conterantur deinde reliquum exequantur, si uelint illius fructum sentire. Et hactenus de Satisfactione.

Consilium pœnitentibus.

De

De Ministro huius Sacramenti.

DIctum est suprà de Pœnitentia in communi, quotuplex sit, & de eius partibus in specie; reliquum est videre de eius ministro, qui necessario concurrit ad eius integritatem.

Pro quo est aduertendum, quòd usus clauium in Ecclesia metaphoricè dicitur, sicut enim, per claues materiales tollitur impedimentum, ut homo possit ingredi ianuam, & per eas ponitur, vt ingredi non possit, ita hæc facultas, quæ est in Ecclesia, absoluendo aufert impedimentum ingrediendi in cælum, quod est peccatum mortale, per quam ablationem dicitur aperire, & non auferendo dicitur claudere, quod fit negando absolutionem. Itaque usus talis facultatis principaliter est ad aperiendū, & ex consequenti ad claudendum; aperiendo. n. per absolutionem, s. Sacramentalem, primò tollit culpam, quando pœnitens accedit attritus, & sine obice, ut suprà dictum est; uel dum contritus accedit, eum absolutum ostendit, cùm hoc, s. quòd quantum est ex se absoluendo, illam tolleret, si adesset. Secundo tollit pœnam æternam, commutando eam in temporalem, in purgatorio soluendam, uel hic per opera uenialia, uel indulgentias, ut dictum est. Tertio minuit hanc pœnam temporalem in parte, ex ui absolutionis Sacramentalis, per quam aliquid de pœna relaxatur. Claudendo autem, primò retinet culpam, eam non auferendo per negationē absolutionis, ut dixi. Secundò, eum obligat, illam imponendo, de quibus satis suprà. Ex quo sequitur, quòd Clauis est facultas ligandi, & soluendi peccata, & eius pęnas in Ecclesia in Sacramento Pœnitentiæ. Quæ clauis est una in substantia, duo autem in effectu, ut Richar. est enim facultas discernendi, & iudicandi, per hoc, quod dicitur, discernendi, uocatur Clauis scientiæ, per hoc, quod dicitur, iudicandi uocatur Clauis potentiæ. 47 *Clauis Ecclesiæ quid sit.*

Verum Richar. per Clauem scientię, intelligit scientiam, & doctrinam, quam Sacerdos habere debet, ut. s. sciat benè discernere inter lepram, & lepram, ne erret in iudicando; quod est falsum: sequeretur enim ꝙ tantum docti hanc facultatem haberēt. Quam consequentiam, Magister in 4. dist. 19. non habet pro inconuenienti, immò affirmat, indoctos illam non habere, sed in hoc non tenetur. Per clauem igitur scientię intelligitur iudicium discretionis, & cognitionis peccatorum, sine quo sententiam ferre non potest, per iudicium enim Confessor cognoscit, si pœnitens dignus est, ut recipiatur in gremium Ecclesię, & capax absolutionis; aut indigus, ut ab eo excludatur; per cognitionem autem peccatorum fit, ut tale iudicium fiat rectum. Hinc habetur necessitas confessionis auricularis, nisi enim peccator referat sua peccata coram Sacerdote, quomodo Sacerdos iudicare poterit, sit ne dignus absolutione, an non, secundum potestatem sibi datam à Christo, Ioan. 20 vt dicemus, s. quorum remiseritis peccata, &c. Vndè Clauis scientiæ non est habitus scientificus, ut Philosophi appellant, & Richar. tenet; sed potestas cogendi pœnitentem, ad confitendum sua peccata. Itaque hæc Clauis scientiæ ordinatur ad Clauē potentię, ut uidetis, debet enim Iudex secundum allegata, & approbata iudicare; debet ergò pręcedere scientia, idest cognitio causæ, ut rectè feratur sententia. *Clauis scientiæ quid sit.* *Necessitas cōfitendi.* *Clauis potentiæ.*

Secundò est aduertendum, ꝙ hæc potestas iudicandi est triplex, s. per modū auctoritatis, principalis, & independentis, & hoc modo inuenitur in solo Deo trino, & uno, ipse. n. solus principaliter remittit peccata. Secundo per modū Excellentię, & hoc modo inuenitur in Christo Dño, inquantum hō est, primus, 48 *Potestas absoluendi triplex.*

æternus Sacerdos. Tertiò per modum ministerij, & hoc modo inuenitur in Ecclesia. i. Sacerdotibus Nouæ Legis, ut cũ Christus corporali præsentia nobiscũ continuè esse non posset, dictã potestatẽ contulit Apostolis, & eorũ successoribus, ut eisdem rectoribus Ecclesia gubernaretur. Et valde conueniens fuit hãc potestatem ministerialem hoibus relinquere; nam cũ casus hominis per hominem reparatus sit, i. per hominem redemptio facta sit, conueniens utique erat, vt talis redemptionis fructus per ministerium humanum nobis applicaretur.

Potestas ordinis.

Hæc aũt potesta ministerialis est duplex, s. Ordinis, & Iurisdictionis. Potestas ordinis est facultas quædam spiritualis operatione Spiritussancti concessa Sacerdoti, qua, potest peccata remittere & retinere, eo modo quo dictum est supra: quæ data fuit Ecclesię Ioannis 20. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remissa sunt; & quorum retinueritis, retenta sunt. Quod nũc faciunt Episcopi, dum ordinant Sacerdotes, imponendo manus super caput, dicunt: Accipite S.S. &c. Quæ potestas in quo actu propriè, & formaliter, uel radicaliter traditur, in Sacramento ordinis dictum est. Hic autem unum solum aduertendum est, scilicet, quòd nisi Episcopus, ordinando Sacerdotem, dicat, accipe Spiritum sanctum, &c. cum impositione manus super caput; & si posset quidem consecrare, non tamen posset absoluere, & ligare. Itaque qui non est Sacerdos ritè ordinatus, non potest absoluere Sacramentaliter.

49 *Sacerdos solus est minister pœnitentiæ.*

Ex his colligitur hæc Conclusio: Solus Sacerdos est minister Sacramenti pœnitentiæ, cui necessario facienda est Confessio Sacramentalis: quod sic potest deduci. Sacramentum pœnitentiæ est iudicium Clauium; quo peccator admittitur in Ecclesia, & ei aperitur cælum per absolutionem, uel clauditur per ipsius negationem, hoc autem iudicium solis Apostolis, & eorum successoribus qui sunt Sacerdotes traditum est. Ioan. 20. ut dictum est, ergò illi soli sunt veri ministri illius Sacramenti. Hinc sequitur secunda Conclusio. Qui confitetur laico, uel Leuitæ, non adimpleret præceptum Dei, & Ecclesiæ obligantis ad cõfitendum iis, qui potestatem habent conferendi hoc Sacramentum. Sed quantũ confessio facta laico ualeret, inferius dicetur.

Dubium de vero ministro pœnitentiæ.

Postquam definitum est, uerum ministrum huius Sacramenti esse Sacerdotem ritè ordinatum, queritur an hoc intelligatur de quocunque Sacerdote. Dicitur, quòd non: nam in cap. Omnis utriusque sexus præcipitur, confitendũ esse proprio Sacerdoti. Pro cuius rei intelligentia est aduertendum, quòd quamuis quilibet Sacerdos acquirat potestatem ligandi, & soluendi in ordine Sacerdotali, ut dictum est: non tamen illam exercere potest in quemlibet, modo suo: vsus. n. huius potestatis requirit iurisdictionem in passium, super quem illam exercere habeat: & ideò dixi suprà; hanc facultatem esse duplicem. s. potestatis, & iurisdictionis. Pro quo etiam notandum est, quòd Iurisdictio est duplex: Vna

Nota. Duplex iurisdictio.

exercetur in foro exteriori ad ligandum, & soluendum, per censuras, & indulgentias: Altera exercetur in foro exteriori ad soluendum, & ligandum in foro Pœnitentię Sacramenti. Et de prima iam satis locuti sumus in tertia parte Summæ Coronæ Confessorũ. De secũda est sermo hic. Sed ubi in sacra scriptura, & quando, & quibus, data sit hęc potestas iurisdictionis, non adeo clarum est. Armachanus in lib. 11. dicit, ꝙ Christus Marci 3. dũ in mõte instituit Apostolos, eis contulit omnem Ecclesiasticam potestatem, scilicet consecrandi, sacramẽta administrandi, & soluendi, & ligandi: cum hęc omnia sint functiones Apostolicę, sine quibus non fierent Apost. Sed quia hęc opinio cõfundit auctoritates Euãgelicas, ideo illã relinquo. Turecremata lib. 2. Sũmæ, c. 77. dicit, ꝙ Christus Matthęi 16. promisit plenariã potestatem Petro, s. ordinis, & iurisdictionis, non tamen tunc dedit; postea Ioannis vltimo, ibi, Pasce oues meas, dedit ei plenariam potestatem iurisdictionis, in utroque foro, & per eum deriuata fuit ad alios

Apo-

Apostolos, deinde ad reliquos Prælatos Ecclesiæ. Sotus, in 4. dist. 20. q. 1. art. 2. contendit, Christum Matthæi, 16. non solum promisisse, sed dedisse tunc potestatem, quamuis non clarè constet, sed quidquid sit de collatione in tali loco unum clarum est ex hoc, scilicet quod Christus ueraciter dederit claues potestatis ordinis, & iurisdictionis Ecclesiæ: nam, dum Deus mentiri non poterit, credendum est tanquam de fide, ut quod promisit, iam dederit, quod Ioan. ultimo apertius patet. Sed quod hanc potestatem plenariam soli Petro dederit, & per Petrum ad Apost. sit deriuata, ut ait Turecremata, nō consonat Scripturis, quamuis enim ibi Petrus sit factus caput Ecclesiæ, & uicarius Christi, cuius auctoritas deriuaret in Ecclesia ad eos, qui in eius persona succedunt, & cum hoc sit factus præses aliorum Apostolorum: tamen ceteris Apostolis fuit data eadem potestas, personaliter tamen; idest non successura ad alios, uidelicet Episcopos, & prælatos, sed per auctoritatem Petri: Episcopi enim, etsi dicantur successores Apostolorum, ut habetur in Can. Quorum uices, d. 68 illam tamen auctoritatem habent per Romanum Pontificem. Sed Apostoli omnem potestatem acceperunt à Christo immediatè, cum fuerint ab ipso immediatè ordinati Episcopi totius orbis, quod ipsis Apostolis fuit conueniens, immò necessarium; quia per totum orbē diuidi debebant, quam ueritatem probat Paulus ad Galatas 1. qui fuit à Christo Domino immediatè Apostolus creatus, post Collegium factum per aliquod tempus, & Matthias, qui successit in locum Iudæ, non fuit à Petro ordinatum, & in Apostolum substitutus, sed per sortem diuinitus à Christo electus, & Spiritusancto imbutus, & auctoritate Apostolica ut ceteri uestitus.

Hinc habemus, quantum spectat ad nostrum intentum, tanquam ueritatem Catholicam (nam de reliquo non est nostrum disputare) quod hęc potestas iurisdictionis, non est tradita omnibus Sacerdotibus in suis ordinibus, sed tantū Prælatis Ecclesiæ, Petro quidem primum, & eius successoribus, legitimè intrātibus, tanquam capiti Ecclesiæ, ut Christi Vicario, à quo in totam Ecclesiam postea deriuatur, ut habetur Matth. 16. scilicet: Et ibi dabo claues Regni cælorum. & secundò ceteris Prælatis & curatis, unicuique in sua Dięcesi, circa subditos suos. Quę iurisdictio consistit in hoc scilicet habere potestatem in subditos suos, quod est habere materiam, cui applicanda est actio agentis, idest potestas ordinis. *Potestas iurisdictionis, quibus data sit.*

Hæc aut potestas iurisdictionis, conueniens erat, ut non daretur cunctis Sacerdotibus, nam cum officium pastorale; quo funguntur Prælati, sit uigilare super gregem, pro eius salute, cuius salutis notitia, & iudicium, per Confessionem Sacramentalem sumitur, non decebat, ut unicuique fidelium liberum esset quemcunque Sacerdotem eligere pro suo patre, nunc unum, nunc alium, sed ut unusquisque alligatus esset suo proprio Prælato, & pastori, qui eum cognoscere deberet. Nam cum supremus pastor, & caput totius gregis, & familiæ Christianæ, non ualeat aspicere totam Ecclesiam, instituit unicuique Ecclesiæ suos Episcopos, & Episcopus cum totam suam Dioecesim, cum sit populosa, aspicere non possit, instituit Parochos, & ubi non sunt Parochiæ proponit quosdam alios, à se delegatos.

Ex dictis sequitur, ut dum Canon, Oīs utriusque sexus, suprà recitatus, dicit vnusquisque confiteatur suo proprio sacerdoti, tripliciter intelligi possit proprius sacerdos, ut ait Richardus, d. 17. & Hostiens. primò, strictè; & hoc modo intelligitur Papa in toto orbe, Episcopus, & Archiepiscopus in sua Dioecesi, Curatus in sua parochia, & eorum Vicarii generales, & denique Archipresbyter exemptus, aut Cathedralis Ecclesiæ, cap. officium, de officio Archipresbyteri, illi namque accipiunt curam animarum annexam beneficio. Sed an *Proprius Sacerdos tripliciter dicitur.*

Archiepiscopus intelligatur etiam in Ecclesijs Suffraganeorum. Sylu. Verbo Confessor, 2.§.2.ait, quòd sic, tempore tamen uisitationis tantum.

Secundò, proprius Sacerdos accipitur largè, & hoc modo intelliguntur delegati, idest ij, qui à prædictis Curatis potestatem audiendi confessiones accipiunt: qui Curati delegare possunt: Verum Parochus, & Archipresbyter Cathedralis Ecclesiæ delegare non possunt, nisi fuerint exempti. Tertiò, intelliguntur subdelegati, idest, qui sunt à iure concessi, uel permissi: quod accidit, dum conceditur priuilegium alicui de eligendo Confessorem, quem uult, uel datur licentia delegato, ut possit subdelegare. Hęc potestas delegandi, nil aliud est, quàm, submittere materiam, idest subditos suos, super quos habet iurisdictionem, tali, uel tali Sacerdoti, qui suam potestatem in ordine susceptam, super illos exercere ualeat: quod pertinet ad officium Clauis: sicut enim clauis materialis non potest aperire, aut claudere, nisi unam ianuam; ita hæc clauis non potest exerceri, nisi super subditos determinatos, ut dixi, præterquam in mortis articulo, in quo casu quilibet simplex Sacerdos legitimus, ex iuris dispositione, potest audire confessionem cuiuslibet, & eum ab omnibus reseruatis absoluere; etiam si fuerint de illis, qui reseruantur in cœna Domini: quia Summus Pontifex in tali casu tantum, facit omnes sacerdotes suos delegatos; ne animæ pereant inopia proprii Sacerdotis. Dico (proprii Sacerdotis.) nam simplex sacerdos, tunc hoc officiũ exercere ualet, quando deest proprius Sacerdos de prędictis: uel quando deest, qui à reseruatis eum absoluere ualet, uel angustia temporis ad eum accessus non permittitur. Itaquę Sacerdos absoluens pęnitentem, super quem nullam de prædictis iurisdictionem habet, nihil facit, & pęnitens tenetur talem confessionem reiterare. Ex hoc etiam sequitur, qui absoluit sibi subiectum à casibus sibi reseruatis, uel à iure, uel à suo superiori, est in eodem errore: qua enim ratione non potest absoluere non subditum, eadem non potest absoluere subditum in quibus est ligatus: nam cum potestas sua sit limitata, & circa subditos, & circa subditorum peccata, ultrà id se extendere non ualet: quia subditus circa casus à superiore reseruatos non est sibi subditus. Eadem ratione non potest absoluere excommunicatum à peccatis, cuius excommunicationem tollere non ualet, quia per eam Ecclesia facit Excommunicatum inhabilem ad tale Sacramentum. Et quia talis iurisdictio est de iure diuino, eo quod à Christo instituta, ut suprà uidistis, ideo est necessaria in absoluente; & nulla contraria consuetudine præscribi potest, c. Si Episcopus, de Pęnit. & remiss. in Sexto.

51 *Qui sint impediti ab hac potestate.* Hanc auctoritatem, & iurisdictionem, habent impeditam omnes Hæretici, Schismati, Degradati, Suspensi, & Excõmunicati nominatim, uel propter manifestam manuum iniectionem in Clericum, ita, ut non possit tergiuersatione cælari; uel denique propter actum notorium, siue fuerint ordinarii, siue delegati: quia Ecclesia potest eius usum impedire; nam per hæc impedimenta tollitur facultas exercendi clauem in subditos, subtrahendo materiam, ne possint in illam. Verum occulta excommunicatio, & peccatum mortale, non impedit iurisdictionem, & eius effectum: & de peccato mortali clarum est: minister.n. huius Sacramenti, cum non sit auctor gratiæ, sed Christus Sacramentorum institutor, sequitur, ut eius malatia nõ impediat effectũ Sacramenti, qua propter minister huius Sacramenti carens gratia, dum confert Sacramentum, peccat quidem mortaliter, sed sacramentum tenet; quia bonitas ministri non est de essentia Sacramenti, ut etiam ait August. super Matt. c. 3. Ipse est, qui baptizat, s. Christus. Sed de excommunicatione occulta, D. T. & alii sui temporanei, tenent, quod impedit vsum iurisdictionis. Verum eorum sententia fuit uera ante Cõcilium Constan. & Lateran. ubi determinatum fuit, in hoc casu non habere

bere locum. Sed quid dicendum in mortis articulo de istis impeditis, ubi quilibet simplex Sacerdos potest hoc officium exercere? Nauar. c. 26. num. 16. dicit, neminem excludi in tali casu. Sed Doctores communiter dicunt, excludi Hæreticos, & Schismaticos, in pœnam eorum.

Quæritur Primò. An proprius Sacerdos possit audire suum subditum ubique, idest extra terminos suæ Diœcesis, & territorij? Respondet Hostiēsis, quòd sic: quem sequitur Syluest. Verbo, Confessor, 1. §. 12. quia in c. Omnis, de pœnit. & remiss. non fit mentio de loco: Pœnitentia quoque est de iurisdictione uoluntaria: quæ cum fieri possit sine strepitu iudicii, nullius territorium læditur. Arg. de officio legati, ca. vltimo, quod intelligunt, quo ad confessorem ordinarium, qui est proprius Sacerdos primo modo dictus: quo uerò ad extraordinarios, vt sunt mendicantes, & clerici delegati, non possunt audire cōfessiones extrà territorium, & ibi absoluere, per Clementinam, Dudum, de Sepulturis, §. Extra ciuitates, & diœceses, vt notat Cardin. Sotus, dist. 18. q. 4. art. 2. contendit, hoc ultimum non esse uerum; nam Clementina illas pares fecit confessores extraordinarios, & ordinarios curatos: sed illa uerba intelliguntur, quo ad fideles alterius Diœcesis, quamuis eiusdem prouinciæ, ut ex uerbis Clem. colligi potest, & Glo. etiam notat; & sic tene. 1. Dubium.

Quæritur Secundo, An pœnitens faciens aliquo magnum Iubilæum uel accipiens aliquod priuilegium, uirtute alicuius grani benedicti, uel ingressus alicuius Confraternitatis, ut est SS. Rosarii, Nominis Dei, uel Corrigiæ S. August. aut cordæ S. Francisci, & simile, in quibus inter cetera datur facultas, ut possit sibi eligere Confessorem secularem, uel regularem quem uoluerit, dummodò sit approbatus ab Ordinario, per hoc possit eligere vnum de prædictis, extra Diœcesim, & territorium suum? Respondeo, quod potest eligere Confessorem extra suum territorium; dummodò ille sit approbatus ab Ordinario loci ubi manet; aliàs uerba Iubilæi, uel priuilegii nihil operarentur, nam sine tali expressione, uel priuilegio, vnicuique licitum est confiteri cuique seculari, siue regulari de approbatis ab Episcopo diœcesis sui territorii; Itaque talis facultas ad quid deseruiret, si non extenderetur ad alios? 2. Dubium.

Quæritur Tertiò, An dentur alii casus, in quibus pœnitens confiteri possit alteri, quam proprio Sacerdoti, ut dictum est? Respondetur, quod sic. Primò quando mutat domicilium, uel saltem habitationem pro illo tempore, quo uoluerit confiteri: ut accidit Scholaribus, Mercatoribus, conductoribus domorum, Mercenarijs, seruitoribus, laboratoribus, & similibus: dummodo hoc non faciant in fraudem, scilicet vt proprium Sacerdotem fugiant sine iusta causa; sed intentione remanendi illic, ait Syluester, Verbo, Confessor, §. 10. post Innocentium. 3. Dubium.

Sed hinc quæritur. An qui commisit aliquod peccatum reseruatum Ordinario loci, ubi manebat, mutando postea domicilium in aliam diœcesim uel parochiam ubi tale peccatum non est reseruatum, possit ibi absolui, & econtra, si commiserit peccatum, ubi non reseruatur; postea mutando locum, ubi illud reseruatur ab Ordinario loci, possit illud retineri? Respondetur, si peccatum est reseruatum Summo Pontifici, quocunque se transferat, semper remanet reseruatum: quia nullus inferior potest super illud superioris: nisi aliquo iure particulari aliquibus concedatur, ut est uidere in S. Concilio Trident. Si autem reseruatum ordinario loci est: tunc pœnitens sic se habere debet sicut locus ubi inuenitur, dum confitetur, itaquè si peccatum erat reseruatum, ubi commissum est, & ubi confitetur postea, non est reseruatum; potest benè absolui sine licentia superioris: si uerò ubi commissum est non erat reseruatum, & postea ubi confitetur, reseruari solet, non potest absolui sine superio-

ris licentia: quia in hoc non attenditur locus, vbi perpetratur; sed ubi fit iudicium absolutionis.

Fallit hæc Regula in casu illo, ubi annexa est excommunicatio ab homine: tunc enim tenetur adire excommunicatorem, vt ab eo absoluatur. Verbi gratia, Episcopus fulminauit sententiam excommunicationis latæ sententiæ contra quemcumque qui furaretur in sua Diœcesi, Petrus commisit furtũ in sua Diœcesi, quamuis postea mutet domicilium; non potest absolui ab alio ordinario, nisi ab excommunicatore, propter furtum commissum, ratione cuius sortitum est forum illius; & ita in similibus, ut ait Gottifre. Raimun. D. Thom. & habetur extra de Raptoribus, c. 1 Dixi (excommunicatio ab homine) nam si excommunicatio adiuncta delicto erit à iure, dic, ut suprà: quia illam absoluere potest omnis loci ordinarius.

Secundò quando est vagabundus, & nullibi habet domicilium, nec ciuitatem permanentem: tunc potest confiteri, ubi pro tempore fuerit.

Tertiò, tempore periculi mortis, & proprius sacerdos haberi non potest: tũc potest uocare quemcunque, ut suprà.

Nota de peregrinantib. Quartò quando est in peregrinatione. Pro qua re nota, quod peregrini, & viatores, qui nullibi moram faciunt, nec mansionem eligunt, si discesserunt cum licentia sui prælati, possunt ubique Sacramenta recipere; quia dando licentiam peregrinandi, intelligitur quoque dare licentiam pro animæ prouisione: nisi peregrinationem eligeret in fraudem, & præiudicium sui, & superioris, eum fugiendo, tempore quo deberet prouidere alicui casui; dico hoc, quia si discessio esset solum ob verecundiam aliquorum peccatorum, uel simile, nil refert, dummodò licentiam habeat: Vnde qui habet talem intentionem, tenetur in specie confitendi licentiam petere, quo se contulerit, etiam de reseruatis, si reseruatum habet: nisi locus ad quem accedere vult, habeat pœnitentiarios Papæ, qui possunt absoluere ab omnibus reseruatis: ut accidit Romæ, in Sancta Maria de Loreto, & similibus. Sed hic dubitatur, si peterit licentiã simpliciter de confitendo, & obtinuerit, an intelligatur etiam de reseruatis? Aliqui dicunt, quod sic, sed melius dicitur, quod non: ut ait Syluest. Verbo, Confessor. 1 §. 11. Et si dum peregrinatur aduenerit tempus generalis communionis, & ipse habet casum reseruatum, de quo non petijt licentiam, quid agendum? Dico, quod potest confiteri vbicunq; fuerit, omnia peccata, & confessor potest eum absoluere à non reseruatis, à quibus potest, iniungendo ei, ut cum primum potuerit, se præsentet suo Prælato pro reseruatorum absolutione; & ita communicari potest. Nisi casus reseruatus esset excommunicatio maior: quia tunc nihil facere potest.

Quintò, quando proprius Sacerdos est indiscretus, idest ita ignarus, ut nesciat pœnitentem resoluere à casibus intricatis, & difficilibus, sed in hoc casu tenetur petere licentiam ab eo, uel à suo superiore, si adire potest, qua non obtenta, faciat ac si non haberet copiam confessoris, secundum saniorem opinionem; Exemplum, quidam in Villa, vel Oppido paruo incidit in multos intricatos errores, de quibus, faciens sibi conscientiam, uellet extricari; Parochus suus non ualet eum resoluere, propter ignorantiam, petit licentiam adeundi peritum Confessorem, Confessor non vult eum licentiare; nec ille potest adire Ciuitatem ad superiorem, potest sine nouo peccato expectare, donec occasio, & commoditas aduenerit; Et si urget præceptum de communicando, melius est, ut confiteatur, vt potest suo Parocho, cum intentione, ut de intricatis, & difficilibus, in quibus suus Parochus nequit eum resoluere, iudicium petat, loco, & tempore, à sapiente, cui parere proponat.

Sextò,

Sextò, quando est indiscretus. i. solicitator ad malum, puta solicitat puellam; & si eam licentiare ad alium confessorem non vult, tunc sine nouo peccato à confessione abstinere potest, donec copiam Confessoris habeat.

Septimò, quando suus Parochus est reuelator confessionum, & in hoc casu, si timetur de reuelatione totius confessionis, fac ut suprà dictum est de puella; si autem timetur de aliquo peccato particulari, tunc confiteatur omnia alia præter illud, cum intentione illud postea confitendi, dum commoditas aduenerit alterius Confessoris, cui securè, sine periculo animæ, personę, vel famę, tam ipsius pœnitentis, quàm Confessoris, vel alterius, confiteri poterit, de quibus casibus satis suprà locuti sumus, circa integritatem Confessionis. Hoc autem non liceret pœnitenti, si moueretur ex quadam erubescentia peccatorum suorum, vel ne remaneret in mala opinione apud Confessorem, uel simile, & ex parte Confessoris nihil timeretur; non enim illæ sunt causæ sufficientes fugiendi Confessorem. Verum quàm malè agunt Confessores tales, negando licentiam suis parochianis; nisi certò scirent, illos malitiosè, & fraudulenter, licentiam petere; vbi autem hoc nescitur, supponi debet, illos bono fine petere, & multò peius si auaritiæ stimulo, Parochi mouentur; & pessimè, si puellas persequuntur, aduertendo, quòd de omnibus malis, quæ inde sequentur, reddituri sunt rationem.

Quæritur vlteriùs, an proprius Sacerdos teneatur credere pęnitenti: se confessum fuisse alteri, vt eum communicare possit? Respondet D.Th. Quodlib. 1. quod sic, alias iniustè ageret, ad hoc facit Extrauagans Benedicti XI. Inter cunctas, De priuilegijs. Quod limita secundum prædicta, nisi Sacerdos proprius de suo subdito aliquid probabiliter suspicaretur, aut sciret illum esse in aliquo errore manifesto; tunc enim non debet eum ad Eucharistiam admittere, nisi fidem ostendat, se legitimè confessum fuisse. Dixi (Errore manifesto) nam si esset occultus, & ille simul cum alijs se præsentaret ad Communionem, non debet eum prodere, si aliter eum reijcere non valet. 4. Dubium.

Item quæritur. An liceat confiteri Sacerdoti alieno, sub spe, quòd proprius Sacerdos ratum habebit? Dico, si ratihabitio intelligitur de futuro: puta pœnitens confitetur Sacerdoti non habenti iurisdictionem super se, credens, quòd postea suus Curatus, cum sciuerit, ratum habebit, Confessio est nulla siue Curato placuerit, siue non, post factum. Si autem ratihabitio intelligatur de præterito, uel præsenti, puta, Prælatus scit, Sacerdotes ad inuicem confiteri, absque speciali licentia, & consentit, dissimulando; tunc uidetur licere: hoc enim modo non tantum est ratihabitio, sed consensus tacitus, & interpretatiuus: vt inter Fratres Minores obseruatur: sed talis abusus, tanquam malus à presbyteris secularibus sublatus est: ideo dicendum, quòd ratihabitio nullo pacto valet. 5. Dubium de ratihabitione.

Quæritur denique vt promisi, an homo possit cōfiteri laico? Hic duo sunt videnda: unū est, an detur casus, in quo homo tenetur laico confiteri. Alterū est, an utile foret, quoties hoc fieret? Quantum ad primum, aliqui dñt, de quorum numero est D.Th. in 4. q. sic, huius ratio est: sicut. n. Baptismus habet duplicem ministrū, s. Sacerdotem, tpe ordinario; & quemlibet laicū tpe necessitatis mortis in defectu Sacerdotis: ita & Pœnitentiæ Sacramentum: vnde concludit, q in periculo mortis homo pōt confiteri laico, etiam de mortalibus: non tñ à laico absolutionem petere: quia in tali casu absoluit summus Sacerdos: & si postea periculum euaderet, adhuc tenetur confiteri Sacerdoti; quia confessio illa non est Sacramentalis; nec implet præceptum, ut dictum est, etiam si laicus absolueret. Sed hæc ratio non cogit; nam Baptismus est Sacramentum necessitatis simpliciter, & ideo conueniens fuit, habere talem ministrum in casu necessitatis, 6. Dubiū de cōfessione facta laico. D. Thom.

sitatis, propter infantes, quibus, ob carentiam vsus rationis, nulla alia uia salutis remanet; quàm per ipsum; quia adultis in tali casu sufficeret illum habere in voto; quod dicitur baptismus flaminis.

Sed Sacramentum Pœnitentię confertur solum adultis; qui cum sola contritione, & confessione in uoto, in tali casu saluari possunt. Itaque nullo pacto necessaria est.

Scotus. Quantum ad secundum. Scotus in 4. distinctione 17. quæst. 1. & distinct. 14. q. 2. dicit. melius esse tales confessiones laico non fieri: & quandoque esse detrimentum salutis.

Auctor. Nos autem sequendo mediam uiam magis rationabilem, respondemus ambabus intentionibus. Et primo dico, Consilium esse, & non præceptum confiteri Laico. Secundò, quamuis sit de consilio, non tamen facienda est laico extra casum necessitatis, idest mortis imminentis, quando copia Sacerdotis haberi non posset, & hoc credo uoluisse dicere Scotum, scilicet melius est, tales confessiones laico non fieri, quia extra talem casum, fructum habet nullum, sed in casu prædicto vtilis esse posset, nam ob illam verecundiam, quam habebit, dicendo peccata sua socio propter Deum, non erit sine fructu. Accedit alia ratio potior; nam euenire posset, ut homo in tali casu sit tantum attritus, & proferendo peccata cordis ore suo, accendatur deuotio, & crescat dolor de offensa Dei, & ita efficeretur contritus, quod sæpè nautis naufragantibus accidit. Et hoc credo voluisse dicere D. Thom. scilicet, intelligendo de debito congruitatis, & non necessitatis. Et per illud verbum (summus Sacerdos absoluit) non intelligit, quòd Deus supplet, quod laicus facere non ualet, idest quòd Deus conferat gratiam Sacramentalem, eo quòd laicus non potest absoluere; ex quo sequeretur, si accederet attritus, per hoc fieret contritus, quia talis confessio nullam habet imaginem Sacramenti, & consequenter ex opere operato, nulla speranda est gratia; sed vult dicere, si pœnitens accedit contritus ad talem confessionem, ex carentia Sacerdotis, Deus acceptat talem bonam uoluntatem.

Tertiò dico, quòd neque cum hoc liceret apud quemlibet infirmum nautã, aut uilem hominem confiteri peccata enormia, & scelera grauia, esset enim periculum remanendi infamatum apud illum in casu, quo euaderent periculum, & sic esset maioris detrimenti, ait Sotus, & Nauar. cap. 21. num. 41.

Dubium de sigillo laicorum. Quæritur hic; an Laicus audiens tales confessiones, teneatur peccata cęlare sub sigillo confessionis, cum non sit Sacramentalis Confessio? Dico, ut dixi in materia de sigillo confessionis, quòd tenetur illa cælare maiori vinculo, quam si sub secreti, uel quouis alio modo, seu vinculo committerentur, non tamen sub tam arcto, quantum Sacerdos.

Dubiũ si laicus absoluerret confitentẽ, qua pœna puniatur. Quæritur ulterius. Si Laicus absolueret, quam pęnam incurreret? Dicunt aliqui, pœnam irregularitatis. Sed Syluester, Verbo, Confessori, §. 1. ait, quòd isti non benè dicunt, nemo enim iudicari debet irregularis, nisi ubi expressum est in iure, ut benè notatur in cap. Is, qui, De Sent. excom. in 6. Nauar. quo suprà, ait, q̃ tam pęnitens, quàm absoluens, hoc attentans, aut petens, peccat grauiter, sed de irregularitate non meminit. Paludanus, & Scotus, quos sequuntur aliqui, dicunt, esse satis expressum in iure, in cap. si quis, de clerico non ordinato. vbi dicitur: Si quis baptizauerit, aut aliquod diuinum officium exercuerit, non ordinatus, propter temeritatem abiiciatur de Ecclesia, & nunquam ordinetur, ubi per illa uerba (aut aliquod diuinum officium exercuerit) intelligunt, comprehendi alia Sacramenta: nam si de baptizante sollemniter hoc dicit, multo magis de absoluente Sacramentaliter hoc intelliget, ait Sotus, in 4. dist. 18. q. 4. artic. 1.

De

De requisitis ad huius officij ministerium.

COnfessor quattuor Conditiones habere debet, scilicet potestatem, scientiam, prudentiam, & uitę bonitatem. 55

Conditiones Confessorum.

. Quantũ ad Primam dictum est satis suprà, debet habere potestatẽ ordinis, & iurisdictionis; & quomodo. Et hæc conditio est necessaria simpliciter. Itaque ut sciat, quantũ se extendat sua potestas, habere tenetur trãsumptũ Bullæ, quæ quotannis legitur in S. Petro in Cęna Domini, sub pęna culpæ lethalis, ut ibi præcipitur, & omnes illos casus scire: debet etiam scire omnes casus, qbus in corpore iuris Can. annexa est Excommunicatio: & denique casus, quos sibi reseruant Episcopi, in qualibet Dięcesi, ubi hoc officium exercent.

Quantum ad secundum, ait D. Tho. non opus est, ut sit insignis Theologus, aut doctus Canonista: sed mediocriter scientificus, uersatus in libris, qui loquũtur de casibus conscientiæ; uel saltem sciat differentiam inter peccatum mortale, & ueniale: tam ex genere, idest ex propria natura; quam ex causa, & hoc per omnes species peccatorum: qui enim cogitaret omnes motus Superbiæ, & Luxuriæ, vel Iræ, & similiũ, esse peccata mortalia, quomodo posset dignè officiũ hoc exercere? ita etiam dico de eo, qui putaret furtum in omni casu esse mortale, & similia. Debet scire, quæ circunstantiæ sint necessariò confitendæ, in quibus casibus sit facienda restitutio: quæ differentia sit inter Excommunicationẽ maiorem, & minorem, & quomodo hæ incurrantur: quæ omnia sciri non possunt sine libris, & studio. Vel saltem sciat dubitare, ut peritos consulat. Vnde oportet legere, & relegere, ut dubitare sciat. Et hæc Conditio est necessaria ex suppositione: nam talis error in huiusmodi fieri posset per ignorantiam, ut Cõfessio, aut redderetur nulla, aut sine fructu. Et si audiuit Confessiones clericorum, debet scire, in quibus casibus incurritur pœna suspensionis, & irregularitatis. Verum, ut ait Nauar. c. 4. nu. 1. hæc scientia in Confessore debet esse diuersa, secundum diuersitatem locorum, plus uel minus: nam in Villis, & Oppidulis, ubi habitant simplices idiotę, & mulieres, satis est scire prędicta communia: in Ciuitatibus autẽ, & insignibus Oppidis, sicut ibi sunt gentes multarum conditionum, ita, & multa, & diuersa Confessor scire tenetur, & multo maiora in locis, ubi sunt Mercatores, Milites, & Nobiles, & diuersorum generum negotiatores, & maximè his temporibus. Itaque qui se ingerit huic officio, siue ex obediẽtia, siue spontè, & prædictorum nescius est, in magno periculo animæ suæ uersatur, nec illa distinctio D. Antonini aliquid excusationis habet: qui enim ad hoc inhabilis est, dum ab alio inducitur, debet suam inhabilitatem patefacere. Et multo magis peccant, qui tales inhabiles ad Confessiones audiendas eligunt & confirmant, ac Prælati Religiosorum, qui tales exponunt, & approbant, contra Constitutiones Clementis V. in Clemen. Dudũ, de sepulturis, & Benedicti XI. in Extrau. Inter cunctas. Quibus non obseruantibus, merito per Sacrum Conc. Trident. prouisum est, ut est uidere Sess. 23. cap. 15. In tribus tamen casibus possent hi tales excusari, ut ait D. Anton. & non aliter. Primò, quando pœnitens sufficienter scit se confiteri. Secundò, quando exponitur ad audiendum assuetos confiteri, qui non habent nisi uenialia. Tertiò in periculo mortis, ubi non adesset alius peritus.

Quantum

Quantum ad tertiam conditionem dicitur, quod Sacerdos cum magna prudentia hoc officium exercere debet s. interrogando peccata carnalia, & maximè in casu mulierũ, in examinando peccata auaritiæ negotiatores audiendo, maximè eos qui defectus negotiorum tegere solent, in eruendo peccata hominum ignorantiũ, in animando uerecundos, qui peccata cælare solent, in consolãdo desperatos, in arguendo nimis confidentes, in corrigendo nimis habituatos, in prouidendo recidiuantibus, in taxando pœnitentias, ut dictũ est suprà, in ordinando restitutiones fieri sine penitentis infamia, & damno creditoris, in allectãdo pigros, & denique in consolando afflictos, quæ conditio est ualdè utilis.

Quantũ ad quartam conditionem, bonitas Confessoris primo quo ad se, esse debet, ut dum exercet hoc officium, sit sine conscientia peccati mortalis, alias quoties illud exercet, peccat mortaliter. quo ad alios, ut sit bonæ uitæ; ut pęnitentes eius exemplis ædificentur, & suis uerbis magis præstent fidẽ, qui enim malè uiuit, quomodo poterit alios corrigere, quando opus est, & ædificare possit, saltem quantum ad exteriora, ne pœnitentes scandalizentur. Quæ conditio est ad bene esse, non enim impedit effectum Sacramenti, in pœnitente benè dispositio, malitia Sacerdotis.

Expedito de ministro, quantum opus erat, Consequenter tractare expediret de materia Sacramenti huius, circa quam ministri potestas exercetur, scilicet de peccatis in genere, & specie. Deo eorum differentijs, & circunstantijs De casibus, in quibus restitutio facienda est. De censuris, & pœnis, & denique de defectibus, quibus impeditur effectus Sacramenti, ut per eorum cognitionem, confessoris scientia, incrementum sumeret. Verum, quia de omnibus istis in summa Coronę Confessorum in prima, & secunda parte locuti sumus, ideò, ne idem repetere uideamur, illuc uos remitto.

DE

De Effectibus Pœnitentiæ.

De quacunque re, teste Philosopho, duplex est consideratio. Vna quo ad essentiam, altera quo ad annexa. Expeditis de dicto pœnitentię sacramento quæ ad eius essentiam pertinent, tam in communi, quam in particulari; superest nunc videre de eius effectibus.

Quæritur primò in vniuersum. An pœnitentia omnia peccata remittat? Respondet ad hoc D. Thom. 3. p. q. 86. art. 1. dicens: Si aliquod peccatum per pœnitentiam remitti non possit, id ex duorũ altero contingere potest, scilicet vel ex parte pœnitentiæ, uel ex parte pœnitentis. Ex parte pœnitentiæ, idest quod pœnitentia quodcunque peccatum licet graue remittere non valeat, erroneũ est dicere. Primò, quia derogat misericordiæ Dei, quæ infinita est. De qua Iohelis 2. dicitur: Quia benignus, & misericors est, & patiens, & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia, & Ecclesia dicit: Deus, cuius misericordiæ nõ est numerus. Secundò derogat uirtuti passionis Christi, cuius uirtute pœnitentia operatur; quæ, cum sit infinita, non est peccatum tam graue, quod per pœnitentiam deleri non possit. Ex parte pœnitentis, idest quia de peccato deleri non potest, dicitur, solum peccata Dœmonum, & hominum damnatorum sunt irremissibilia, non autem viatorum, nam per legem Dei ordinariam, statutum est, neminem saluari, nisi volentem. Dicente Augustino: Qui fecit te sine te, non saluabit te sine te. Sed quia affectus eorum ita confirmatus est in malo, ut non possint sibi displicere peccata, quantum ad culpam, licet quantũ ad pœnam displiceant, quam patiuntur, idest nollent illam pati, ideo saluari non possunt. Sed quomodo stare possit libertas liberi arbitrij, cum impossibilitate patiendi, opus est, ut de libero arbitrio aliqua dicamus, pro quo est aduertendum. 54 *Per pœnitentiam omnia peccata mortalia remittuntur.*

De ratione liberi arbitrij est eligere. Electio autem habet opinionem ad opposita, & diuersa, ex hoc enim quòd possumus eligere unum, altero reiecto, liberum arbitrium habere dicimus. Et quia electio sequitur cognitionem; non enim aliquod per voluntatem eligimus; nisi illud per intellectum cognoscamus, hinc sequitur, vt ait Philos. quę carent cognitione, non habent electionem, & consequenter, liberum arbitrium, sed eorum actiones sunt determinatæ ad vnum, vt uidetur in Elementis, terra enim naturaliter aliud nescit, nisi ferri deorsum, ignis sursum, & similia. Et quia ad cognitionem sequitur iudicium, & consilium, per quod iudicatur, quid sit eligendum, & quid fugiendum: hinc est, quod animalia ratione carentia, quamuis cognitionem habeant; quia tamen consiliũ, & iudicium non habent, per quæ eligerent, ideo eorum electio est determinata ad vnum. Itaque ex instinctu naturę sibi à Deo indito, eligunt bonum, & fugiunt malum, non quòd aliquo iudicio illud cognoscant, puta. Ouis fugit lupum, tanquam inimicum, quem nunquam vidit; quis eam hoc docuit? natura, & ita de similibus. Itaque sic eligunt, vt oppositum facere non possint: unde dicuntur quidem habere arbitrium, idest electionem, sed non liberam, ratione iam dicta. Omne autem, quod habet intellectum, & rationem; per quę multa, & diuersa apprehendit, habet arbitrium cum libertate, inquantum per uim appetitiuam, idest uoluntatem, potest eligere illa multa, & diuersa, apprehensa per intellectum, & rationem. Verum ista diuersitas tripliciter considerari potest, primò quoad obiecta: pro quo aduertendũ est, quod uis ista appetitiua habet duo obiecta; unum dicitur finis vltimus, & ad hoc naturaliter tendit, nec potest illud non appetere: nam unicuique rei naturaliter conuenit unus finis, 55 *Liberum arbitrium quid sit.*

quem

quem naturaliter appetit, inquantum potentia est; quia natura semper tẽdit ad unum tanquam sui perfectiuum. Alterum obiectum dicitur medium ad finem, sed quia ad unum, & eundem finem, plura & diuersa media ordinari possunt, hæc uis appetitiua naturæ intellectualis, & rationalis, potest ad diuersa tendere, eligendo diuersa media pro consecutione sui finis, & in hoc stat ratio liberi arbitrij veruntamen diuersæ naturæ intellectuales diuersimodè se habent circa electionem mediorum ad finem.

56 *Quõ volũtas Dei sit libera & immutabilis.*

Deus optimus maximus naturaliter vult suam bonitatem tanquam propriũ finem, nec circa illam actum nolitionis habere potest, sed quia ad eius bonitatem communicandam, diuersi modi, & ordines eorum ordinari possunt, eius uoluntas non sic fertur ad unum ordinem effectuum, quin possit ad alium ferri, & hoc modo competit Deo libertas arbitrij. Vnde dicitur: quidquid Deus agit ad extrà, liberè agit, & cũ hoc stat, quòd eius voluntas sit immutabilis, iuxta illud Malechiæ 3. Ego Dñs, & nõ mutor. Quõ autem stant hęc duo simul in Deo, scilicet libertas cum immutabilitate? audite, Deus benedictus in illo istanti suæ æternitatis quando proposuit hunc mũdum in tempore creare; ut cõicaret suã bonitatem creaturis; poterat hoc nõ proponere; Itaq; liberè proposuit, poterat etiam alio modo suam bonitatem ostendere, quam nunc ostendit; poterat item dum hunc mundum sic producere decreuit, aliter decernere: nouas species producendo, uel plures, uel simpliciter perfectiores, quam sunt, & similia; nam omnia erant in sua libera potestate: poterat etiam hominem postquam casurum pręuidit, aliter reparare; determinando alium modum, quam per mortem Christi; sed postquam decreuit sic facere omnia, quæ fecit, non poterat mutari à sua æterna uoluntate, quia non habet causam mutabilitatis: omnis namq; uoluntas, quæ mutatur, duplicem causam habet suæ mutabilitatis; vnam ab intrinseco, alteram ab extrinseco. Causa ab intrinseco, uel est defectus cognitionis, per quam decipitur in sua electione, unde quandoque non vult, quòd prius volebat, quia tunc scit, quod prius nesciebat, ob quod mutat uoluntatem. Vel est defectus appetitus ipsius uoluntatis, qui quandoque aliqua passione, vel habitu est ita dispositus, quod vult aliquid quod postea, quando est aliter dispositus, non vult illud. Alteram causam habet ab extrinseco, quæ ualet immutare voluntatem, vt nunc uelit unum, deinde aliud. Deus autem non habet causam mutabilitatis ab intrinseco, quia non decipitur in eligendo, sua enim infinita scientia omnia nouit; nec potest pœnitere de effectu post facto; quia sua infinita præscientia, & præuidentia, omnia sunt ei præsentia. vnde in illo istanti suæ æternitatis, quando voluit mundum, Angelos, & hominem producere, pręuidit casus eorum, & tot defectus euenturos. Et si quandoque legitur Deum pœnituisse fecisse hominem, hoc intelligitur, more humano, quo ad effectus; inquantum Deus, sic se habet cum homine in puniendo eum, ac si pęniteret eum fecisse, posset enim eum annihilare, si non placeret hominem, uel mundum sic esse. Nec etiam mouetur aliqua passione, vel habitu; quia huiusmodi passiones in Deum cadere non possunt. Nec potest mutari ab extrinseco, non enim datur aliquod agens extrinsecum potens eum cogere, et suadere, eum corrumpere, vel quomodolibet immutare. Itaque quod semel ab æterno placuit, illud semper vult, & sic stat libertas cum immutabilitate, & cum hac immutabilitate mouet omnia suis temporibus, vt placuit, & decreuit ab æterno sic mouere, iuxta illud Poetæ. *Stabilisque manens, dat cuncta moueri*. Et quamuis potuisset facere res simpliciter meliores, quam sunt, tamen Deus voluit dare vnicuique rei naturali optimam dispositionem, non simpliciter, sed in ordine ad suum proprium finem. Hinc varietas, & pulchritudo vniuersi. Dicente Poeta, *E per tal variar natura è bella*. Per quam varietatem ostenditur infinita bonitas

Vnde habeat volũtas ut sit mutabilis.

Deus quõ dicatur pœnitere.

tas

tas Dei creaturis communicata, per varios gradus entium. Ex supradictis intelligi potest illa communis propositio de Deo, scilicet, Deus multa potest de potentia absoluta, quæ non potest de potentia ordinaria, inquantum non mutat sua æterna decreta.

Similiter Angelus, & Homo habent finem sibi naturaliter præstitutum, scilicet beatitudinem. unde naturaliter appetunt illam, nec possunt uelle miseriam, ait Aug. lib. 8. de Trin. idest non possunt habere actum positiuum contrarium. Et quia ad beatitudinem possunt diuersa media ordinari, pro ea consequenda; potest Angelus, & homo suo arbitrio, liberè ad diuersa ferri circa electionem mediorum ad finem prædictum. diuersimodè tamen Angelus ab Homine. Angelus nunquam primo circa ea, quæ ad ordinem naturæ pertinent, immobiliter se habet: quia mutatio est actus entis in potentia, ut ait Aristot. 3. Phys. Sed Angelus circa ea quę naturaliter scit, habet notitiam semper in actu, per species sibi naturaliter congenitas, idest per similitudines rerum in suo intellectu complantatas, in quibus simul cognoscit principia, & conclusiones absque discursu tā actu, quam potentia, idest nullo modo discursum admittit, propriè loquendo. Itaque circa naturalium cognitionem decipi non potest. vnde dicitur, quòd intellectus eius immobiliter se habet circa omnia, quę naturaliter cognoscit, idest quòd semel tenuit in suo intellectu, semper tenet, sine mutatione: nā si mutaretur in se, esset à causa intrinseca, scilicet, ignorantia cognitionis, vel passione animi, ut dictum est: & hoc non quia in naturalibus nō decipitur; nec in eo passio locum habet. Et quia uoluntas proportionatur intellectui, ideo sicut intellectus Angeli immobiliter se habet circa ea quæ naturaliter cognoscit (vt dictum est) ita & eius voluntas immobiliter adhęret his, quę ad ordinem naturæ pertinent, unde circa hæc naturalia non habet liberum arbitrium, non enim habet ab intrinseco causam mutabilitatis, sicut diximus. Circa verò supernaturalia, Angeli sunt in potentia; non enim habent innatam cognitionem eorum, & consequenter, circa ea, quæ supernaturaliter uolunt, sunt in potentia, respectu motus in ea, scilicet media ad finem supernaturalem. vnde ante electionem, Angeli habent liberum arbitrium flexibile, idest sunt in potentia respectu uniuersalium, siue per conuersionem; siue per auersionē. sed postquam semel perfectè, & iudicialiter elegerint alteram partem, eorum liberum arbitrium redditur inflexibile, non simpliciter, ita ut nullo modo possint uelle oppositum, sed intelligitur secundum suam naturam; idest ita se determinant, ut immobiliter adhærent; quia quod aduenit alicui, aduenit per modum suæ naturæ, sed natura eorum est, immobiliter adhærere: ergo quod semel pleno iudicio, & completè voluerunt, semper illud volunt, eadem libertate, qua prius, & tamen immobiliter, ratione iam dicta. Vnde sicut Angeli boni post eorum conuersionem non possunt amplius peccare; quia gratia perficit naturam: ita Angeli mali post eorum auersionem non possunt amplius pœnitere, quantum est ex se. Dico, (quantum est ex se) quia tā Angelus, siue bonus, siue malus quam homo habent causam extrinsecam mutabilitatis, scilicet gratiam Dei, qua possent mutari de malo in bonum, quæ gratia negatur illis post perfectam & iudiciariam primam electionē: quia tunc finitur in eis status viæ, idest eligendi meritoriè, vel demeritoriè, quod. n. in homine facit mors, in Angelo fecit casus. Et quamuis nunc diuersa velint, & eligant per liberum arbitrium, tamen quidquid est, quod uolunt, illud in ordine ad primam electionem, in qua perseuerant, uolunt, & ideo non solum non pęnitent, sed semper peccant. voluntate obstinata in malo perseuerante. Homo autem aliter se habet: nam circa cognitionem principiorum primorum, quam naturaliter actu habet, immobiliter eis adhęret, quia non decipitur in illis: unde propter eorum euiden

Quomodo est libertas arbitrij in Angelo.

Libertas arbitrij i homine.

tiam,

quę in futuro seculo, ut habetur Matth. 12. dicitur, secundum Aug. lib. 6. de verbis Domini, illud intelligitur de finali impœnitentia: cum enim homo discedit ab hoc seculo obstinatus in malo, & impœnitens, non habet locum remissionis: sic enim statutum est à Deo, vt sine pœnitentia peccatũ remitti non possit, ut dicetur; neque post mortem est amplius tempus pœnitendi, rationibus supradictis. Cui sententiæ fauet illud Ecclesiast. cap. 2. Vbique ceciderit lignum, ibi erit, siue ad Austrum, siue ad Aquilonem. *Peccatum in SS. non esse remissibile quomodo intelligitur.*

Et quia dictum est ex Dei statuto, sine pœnitentia peccatum mortale remitti non posse; huius occasione quæritur, an detur aliquis alius modus, quo remitti possit? Et videtur, quòd sic: Baptismus enim in adultis delet originale simul & actuale præteritum. Pręterea, peccata oblita post diligens conscientiæ examen, delentur sine pęnitentia. Tertiò, martyrium sufficit ad deletionem peccatorum, dum aliquis rapitur ita violenter, ut non possit cogitare de offensa pręterita Deo facta. Fauent et huic assertioni testimonia sacrę scripturæ. Marci ultimo. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Et prima Epistola Petri c. 4. dicitur: Charitas operit multitudinem peccatorum. Et Paulus ad Rom. 8. ait: Spe salui facti sumus; ergò Fides, Spes, & Charitas, sufficiunt. De eleemosyna quoque dicitur Lucę 11. Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis, & Ecclesiast. 3. Eleemosyna extinguit peccatum. Et Daniel. 4. Peccata tua eleemosynis redime. *Dubium an sine pænitētia peccatum remitti posset.*

Pro dilucidatione huius quęsiti, breuiter aduerte; aut hic loquimur de potentia Dei absoluta, aut ordinaria. Quantum ad potentiam Dei absolutam, Deus non est alicui regulæ subiectus, quia non habet causam extrinsecam mouentem, aut cogentem eum. Et quamuis quidquid vult, omnia possit, non tamen quidquid potest, omnia uult: non enim omnia expediunt, aut placent. Ideò statuit quasdam leges, quas mutare non sinit, ratione, qua suprà, de libero arbitrio Dei. & has leges vocamus potentiam Dei ordinariam, secundum quam ponimus has Conclusiones. *Potentia Dei absoluta.* 58

Post lapsus hominis, pœnitentia virtus semper fuit necessaria; ita ut Deus sine illa peccata dimittere non potuerit, sic enim statuit, quod mutare non potest, ut in præcedenti quæstione probatum est. Et confirmatur testimonijs utriusque Testamenti. Ait enim Zacharias c. 1. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Et Ezechiel c. 14. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, &c. uita viuet. Christus quoque ait: Pęnitentiam agite, appropinquauit enim in vos Regnum Dei. Et Lucę 5. Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam, quasi ad salutem necessariam. *Potentia Dei ordinaria. 1. Conclusio.*

Post institutionem Sacramenti Pœnitentiæ, Deus non potest de lege cõmuni, peccata actualia mortualia, post baptismum commissa sine pęnitentiæ Sacramento remittere, vel in re, uel saltem in voto. Et quamuis uirtus sua non sit Sacramentis alligata, ut fecit Magdalenæ Lucę 7. remittendo illi peccata absque Sacramento, quia tunc non erat in obligatione, tamen illi non remisit sine Pœnitentia virtute. *2. Conclusio.*

De veritate harum Conclusionum non est ambigendum: nam vltrà auctoritates Sanctorum Patrum, extat confirmatio sacri Concilij Tridentini, Sess. sio. 14. cap. 1.

Ad obiectiones in contrarium dicitur, ꝙ Baptismus ex prima eius institutione ordinatur ad originale, quod cum non contrahatur propria voluntate, non exigit pęnitentiam. Secundariò, ꝙ omnia alia peccata actualia in adultis cõdonat, non ita intelligendum est, ut in eo nullum actũ pœnitentiæ requirat; quãuis non sit necessaria, vera, & perfecta contritio, sed requiritur in baptizando aliqua saltem attritio, quæ sufficiat ad tollendum obicem. Sed an ista pœni- *Ad obiecta.*

tentia debeat esse actualis in baptizando, D. Tho. tertia parte, quæst. 86. art. 2. ad primum argum. dicit, quòd sic: Caietanus autem ait ibi, quòd sufficit virtualis; quod non placet Soto. Ad secundam, de peccatis oblitis, dicitur. Qui est verè pœnitens, & fecit diligentem inquisitionem, ut omnia ad mentem reuocaret, & nequit aliquorum meminisse, excusatur, donec durat obliuio. Vnde de talibus non est necessarius actus pœnitentiæ, aliàs homo teneretur ad impossibile: & quamuis dolere in genere de oblitis, & ignoratis, ait Gabriel, in 4. distin. 14 quæst. 1. artic. 2. & Sotus distinct. 15. quæst. 1. art. 2. sit optimum consilium; tamen, cum de illis nullam habeamus notitiam ad hoc non obligamur: quorum enim homo memor non est, quomodo ea detestari potest? Deus tamen illa condonat per alios actus Charitatis, aiunt ipsi. Ego autem melius dicerem. Qui perfectè pœnitet, impossibile est, vt non habeat mentem ad alia, quæ facere potuisset, quorum memor non est, uel illa ignorat; cui associatur propositum illa confitendi, si ad mentem venirent: & tunc cum pœnitentia virtualiter extendatur ad abolita, Deus illa remittit; quia Deus exigit ab homine, quod potest. Dixi, (Si fecit diligentem inquisitionem) qui enim non pœnitet de aliquo peccato, vel quia non fecit diligentem indaginem, ut illud ad memoriam reduceret, vel propter ignorantiam crassam, non excusatur.

Ad tertiam de Martyrio. Scotus in 4. dist. 14. quæst. 1. artic. 4. ibi (Ex his ad solutionem quæstionis) dicit, quando aliquis raperetur ad martyrium subito sustinendum, vbi fortè non esset cogitatio de aliquo peccato mortali prius commisso, Deus remitteret illi peccata per illum actum dilectionis in eum, sine pœnitentia actuali, idest sine cogitatione actuali peccatorum, licet in illo motu uirtualem pœnitentiam habere posset, idest dolere in genere de offensa Dei. Martyrium enim est actus charitatis, iuxta illud Ioannis 15. Maiorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Et Matth. 10. Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo. Quod etiam ratione probatur: Qui facit illud, quod simpliciter est necessarium, non excluditur à Regno cælorum, sed possibile est aliquem existentem in peccato mortali necessitari ad insistendum ex toto corde circa actus arctissimi Martyrij, vbi tractatur, de terrore mortis, amissione vitæ propriȩ propter Christum, sustinendo dolores, qui actus distrahunt hominem à cognitione circa peccata commissa, nisi in genere, quod sufficit. Et si instares, ex lege ordinaria Dei, statutum est, ut nulli remittatur peccatum, nisi per pœnitentiam actualem: nam sicut peccatum auertit à fine, qui est Deus, & conuertit ad creaturas, irrationabile est, ut non deleatur, nisi per motum contrarium, scilicet auertendo se à creatura, & conuertendo se ad creatorem: quod fit per pœnitentiam actualem. Respondetur, quòd hoc intelligitur regulariter: sed quòd tale priuilegium martyrio ascribatur, aduenit ex eo, quòd homo offerendo se in sacrificium, animam suam pro Christo ponit eum actu confitendo. Et confirmatur ut ait Sotus in 4. distinctio. 15. quęstio 1. artic secundo. Martyrium supplet vicem baptismi: Ecclesia enim ponit tria baptismata, scilicet fluminis, quod est aquæ, flaminis, quod est pęnitētiæ, virtutis, & sanguinis, quod est martyrij, & quodlibet ex illis sufficit, non obstante præcepto uniuersali, & ordinario de baptismo aquæ. ergo pari ratione supplere pōt vicem pœnitentiæ, quia tam necessarius est baptismus ad deletionem originalis, quam pœnitentia ad deletionem actualis. Ad quartam, de Fide, Spe, & Charitate, dicitur, quòd hæc ita sunt pœnitentiæ remedia, ut sine ipsa non sint sufficientia: quāuis enim sint pęnitentiæ fundamēta, tamen Fides, & Spes sine Charitate sunt informes: Charitas

uitas autem sine detestatione peccatorum, legitima non est, ergò sine pœnitentia ista non sufficiunt. Ad quintam instantiam de eleemosyna, dicitur: Eleemosynam extinguere peccata, ponitur dupliciter: primò, quia multum conducit ad conuertendum peccatorem ad Deum, tum, quia præparat cor eius ad pęnitentiam, tum etiam propter orationes pauperum, impetrantium etiam pro ipso, dummodò obicem non ponat. Et hoc modo intelligitur illud Danielis. Eleemosynis peccata tua redime: per quæ uerba monebat Regem, ut per opera misericordiæ moueretur ad pœnitentiam, ut postea per ipsam auerteretur ab eo pęna futura imminens. Secundò, quia sunt remedia per modum satisfactionis pro pęna, post culpam remissam. Et hoc modo intelligitur illud Ecclesiast. Eleemosyna extinguit peccatum. 59

Cum pœnitentiæ data sit tanta uirtus, vt remittat omnia peccata mortalia quantumcunque grauia, & enormia: Quęritur, an adæquatur baptismo, in hoc scilicet, ut una cum culpa remittat etiam & pœnam; an remissa culpa remaneat reatus pœnę? Respondet D. Thom. tertia parte, quęstio. 86. artic. 4. In peccato mortali sunt duo. Vnum dicitur auersio ab incommutabili bono, scilicet Deo, inquantum peccando relinquit regulas Diuinas; & huic auersioni respondet pœna damni; idest homo deuiando à uoluntate Dei, efficitur inimicus eius; propter quod meretur, ut amplius non uideat eius faciem. Et hæc pœna dicitur esse infinita, tum ratione boni, quod amittitur, idest amicitia Dei, quæ est bonum infinitum, tum etiam ratione durationis, quia durat hæc inimicitia infinito tempore, si auersio perseuerat usque ad mortem. 60

Aliud, quod est in peccato dicitur conuersio inordinata ad bonum commutabile; inquantum homo, propter aliquod commodum temporale, uel delectationem sensualem, ad quæ inordinatè conuertitur, illa contra legem Dei eligendo, non curat Deum offendere. Huic conuersioni respondet pœna sensus; quæ consistit in pati aliquam pœnam sensitiuam; ut detur locus iustitiæ Dei, idest ut qui uoluntati suæ indulsit, plusquam debuit, iustum est ut patiatur aliquid contra suam uoluntatem. Hæc autem pœna, quantum est de se, est finita intensiuè, & extensiuè, ait Sotus, & benè: tum, quia bonum commutabile, cui respondet, est finitum: tum etiam, quòd omnis actio humana est finita: redditur tamen infinita in duratione, scilicet, vt æterno tempore crucietur in tormentis, non quidem ex parte actus, quia finitus est, ut dixi, nec affectionis, ut aliqui dicunt, scilicet, quòd si æterno tempore uiueret, æterno tempore peccaret: quia hoc non est uniuersaliter uerum, ut demonstratiuè cōcluderet, sed ex parte culpæ, quę æterno tempore manet, scilicet ut cum per auersionem factus est inimicus, semper manet inimicus, si non conuertitur iterum: & consequenter semper manet obligatus ad pęnam: nec finitur, quia stante inimicitia, pęna illa, quam patitur, non erit satisfactio, sed satispassio, nam ratio satisfactionis fundatur in amicitia eius cui satisfit, ideo finitur: sed satispassio minimè. 61 *Pęna inferni quare dicatur infinita in duratione.*

Hęc autem pęna neque est infinita intensiuè, idest quo ad acerbitatem, sed secundum qualitatem delicti, sprout peccatum est magis, uel minus graue, ita pęna, quæ pro tali peccato exigitur, erit magis, uel minus acerba, puta maior pęna respondet homicidio, quam furto, & ita de similibus.

Iuxta illud Deuteron. 26. Secundum mensuram delicti, erit & plagarum modus. Culpa uerò est omnibus peccatis æqualis, quia, cum consistat in priuatione, idest negatione Visionis Diuinæ, non suscipit magis & minus. Itaque dico, si per motum contrarium conuertitur iterum ad Deum per pœnitentiam: culpa, quæ auersioni respondebat, tollitur per gratiam iustificantem,

Z 2 idest,

idest homo per reconciliationem mediante gratia gratum faciente, efficitur amicus Dei: & consequenter pœna sensus, quam æternaliter soluere tenebatur, efficitur temporalis, ad hunc sensum scilicet, ablata culpa per gratiam, & recuperata amicitia Dei, pœna illa definit esse æterna, & tunc remanet in suo esse naturali finita, quæ cum soluatur in gratia pro satisfactione acceptatur à iustitia Diuina.

Sed contra hæc arguitur. Conuersio ad bonum commutabile, ut dictum est, ideo inordinata, & consequenter respondet ei pœna sensus, est, quia fit cum auersione à Deo: itaque, si homo conuerteretur ad creaturas, sine auersione à Deo, non peccaret, ut accidit in multis actionibus humanis, in quibus amantur creaturæ sine contemptu Dei, qui amor, & affectio ad creaturas, cum non præponatur dilectioni Diuinæ, ordinatus erit: sed in peccatore ablata auersione à Deo culpa illi correspondére, per gratiam iustificantem, non remanet amplius inordinatio conuersionis ad creaturas; & consequenter nulla pœna sensui remunere debet, illi respondens. Præterea, per remissionem culpę, peccator efficitur amicus Dei: ergo non debet remanere amplius exactio pœnæ per cruciatus: quòd enim amicus ab amico crucietur, crudelitatem arguit: quæ in Deo non est ponenda. Hac ratione moti hæretici, negauerunt necessitatem Purgatorij. Et ideò aduertite responsiones. Ad primam dicitur, quòd quamuis ablata illa auersione, quæ facta erat per elongationem à Deo, conuersio inordinata ad creaturas facta, per motum contrarium, non remaneat in peccatore conuerso, quo ad culpam: remanet adhuc tamen dicta inordinatio, quo ad pœnæ solutionem, ut iustitiæ satisfiat: qua satisfactione facta, dicta inordinatio per iustitiam reordinatur. Ad secundam respondetur, quòd quamuis per pœnitentiam homo reconcilietur Deo, & recuperet amicitiam: tamen quia adhuc remanet iustitia læsa, per quam læsionem remanet debitor, donec satisfaciat. Nec est contra legem amicitiæ debitum prius contractum, petere: & propterea reconciliatus cum Deo, tenetur soluere pœnas ad iustum, non quidem inuito eo, in inferno: sed uel spontè in hac uita per opera pęnalia: uel in purgatorio reseruata: quod purgatorium ideo factum est, in quo animę non patiuntur violenter, sed patienter: Hæc namque differentia est inter satisfactionem factam amico, & solutionem factam inimico, amicus enim amico spontè satisfacit, & patienter sustinet pœnam, ut per eam amicus reintegretur: sed inimicus inuitus trahitur, & cogitur, atque castigatur, sine misericordia, & id fit in Inferno, vbi nulla est pietas, neque vllum refrigerium, ut patet in Epulone: sed in purgatorio exigitur debitum cum pietate, refrigerio, & charitate, ubi uidetur magna differentia, & ideò instantiæ non procedunt.

Negantes purgatorium, unde moti sint.

Purgatorij necessitas.

De hac pœna temporali, quę remanet in iustificato soluenda: partim condonatur ipsa in contritione, secundum quantitatem doloris, plus, uel minus, immo, tanta posset esse contritio, & dolor tantus & tam intensus de peccatis, vt tota pęna donaretur. Partim etiam ea remittitur per Sacramentum pęnitẽtiæ mediante absolutione, ex ui Sacramenti, partim per sumptionem Eucharistiæ, & administrationem aliorum Sacramentorum; quæ ultra certum gradum gratię quam conferunt, habent quoque certum gradum satisfactionis, ex opere operato. Reliquum, quod remanet, per pęnitentias iniunctas, vel per opera supererogationis remittitur, uel per Indulgentias relaxatur: & quando hęc non fiunt, uel non sufficienter fiunt, quod superest, in purgatorio purgatur.

Et licet peccatum mortale, ex parte inordinatæ conuersionis ad dicta tẽporalia cõmoda afficiat aĩum quadam mala qualitate, & dispositione, ex quibus liberum

tum arbitrium nostrum magis debilitatur, & quod peius est, si peccatum frequentatur, relinquit habitum quendam inclinantem ad malum, & quandoque intantum crescit, ut etiam corpus immutet, & maximè, si est peccatum carnalitatis, per quod ita uitiatur, ut appetat quædam dictu abominabilia, uel peccatum Iræ, per quod nascuntur in homine quidam languores, grauedo, & furor, quæ omnia reliquiæ peccatorum uocantur, tamen per remissionem culpę, ista non auferuntur, anima enim affecta, & in malo habituata, quamuis per gratiam iustificantem facta sit iusta, non tamen statim potest prædictum habitum, seu inclinationem ad malum relinquere, nisi per frequentatos actus oppositos. Fateor benè, dictas reliquias debilitari, ut non possint tantum, per gratiæ frænum. Verum, quia in huiusmodi, quinque concomitantur hominem usque ad mortem, ideò ad expurgationem eorum fuit institutum Sacramentum Extremæ Vnctionis: de quo suo loco dicetur.

Et quia per peccatum mortale simul cum gratia amittuntur omnes uirtutes infusæ, tam Theologales, quàm aliæ, quæ à Deo infunduntur, præter fidem, & spem, quę non amittuntur penitus, nisi in Scismaticis, & Hęreticis, sed mortificantur, eo quod remanent informes.

Quæritur, an per pœnitentiam omnes restituantur? Dicitur, quod siue per solam contritionem, siue per Sacramentum pœnitentiæ, si recuperatur gratia, recuperantur etiam & uirtutes omnes possibiles restitui. Dico (possibiles restitui) propter uirtutem uirginitatis, & innocentiæ, quę restitui non possunt. De uirtutibus autem acquisitis hic non est sermo; quia illæ non ammittuntur per peccatum, sed per contrarios actus, & desuetudinem. *Per pœnitentiam recuperantur uirtutes, sed non omnes.*

Sed difficultas est an homo recuperet æqualem gradum gratię, & uirtutis à quo cecidit, an maiorem, uel minorem? Quæ difficultas oritur ex uarietate opinionum; & rei incertitudinem. Henricus enim Gandauensis, Quodlib. 5. q. 23. ait, Omnes uerè pœnitentes siue à maiori, siue à minori gradu gratiæ ceciderint; siue quoque cum æquali, uel inæquali contritione resurgant, omnes resurgunt in ęquali gradu gratię. Mouetur in hoc ratione: gratia donatur à solo Deo, sine nostris operibus, Deus autem non est acceptator personarum: ergo non datur causa, cur magis uni, quam alteri donet. Et si ex parte nostri requiratur aliquid, ad gratiam recipiendam, illud est tantum non resistere donationi Diuinę, & non adhærere peccato, quod cum sit negatio tantum, non recipit magis, & minus. Itaque, neque ex parte nostri datur causa, cui plus uni quam alteri tribuet: Pro huius rei intelligentia, aduerte, quod in Sacramentis duplex gratia confertur una uocatur ex opere operato, & hęc datur æqualiter omnibus suscipientibus Sacramentum in re, & non aliis, respondet enim cuilibet Sacramento in re suscepto, quidam certus gradus gratiæ ita à Deo institutus. Altera dicitur gratis ex opere operantis, & illa respondet motui, & deuotioni suscipientis, unde prout homo accedit ad Sacramentum magis, uel minus dispositus, plus, uel minus suscipit de gratia; Itaque falsa est hæc opinio, nam sequeretur, quòd tantum de gratia susciperet, qui magnam, & feruentem contritionem haberet, quantum qui paruam, & remissam, quod est absurdum, quamuis ipse concedat. Ratio quoque ipsius est peior: nam falsissimum est dicere, quod ex parte nostra non requiratur aliquis motus, & actus conuersionis positiuus, nisi non resistere. Requiritur enim necessariò ex parte nostra motus liberi arbitrii excitati, auxilio tamen speciali, & actus uirtutis pœnitentiæ, quibus disponimur ad gratiam, ut supra in materia de contritione probatum est; immò, hæc est doctrina ita Chatolica, ut oppo-

62 Dubium difficile, an per pœnitentiam homo resurgat ad æqualem gradum gratiæ à quo cecidit. Henricus.

Refutatio.

situm dicere, esset hæresis condemnata in S.Concil.Trid.Sess.6.Canone 4. Altera est opinio Ocham,& Maironis apud Gabrielem, in 4.distinct.14. quæst.3. artic.3. dicentium, quod homo semper resurgit ad maiorem gratiam, & gloriã, à qua cecidit, nam per contritionem recuperat omnem illam per peccatum amissam, & aliam, quæ contritionis quantitati respondet. Quantum ad gradum gloriæ, inferius dicetur, sed quantum ad gratiam, hæc opinio non tenetur à multis, ut tunc probabitur. Adest etiam contra hęc dicta auctoritas D.Hieronymi, dicentis: Quicunque dignitatem diuini gradus non custodierit, cõtenti fiant animam saluare, reuerti enim ad pristinum gradum difficile est: & ratio huius difficultatis est, quia non semper homo resurgit cum magno contritionis feruore, ut attingat ad gradum à quo cecidit. Tertia opinio est D.T. in tertia parte, quæst.86.artic.2.& omnium Thomistarum, Alexand.de Ales, 4. parte, quęst.50.membro 5 Scoti, in 4.dist.22.quęst.unica, artic.2. Bonauen. 2. parte, dist.14.& aliorum, dicentium, quod gratia, quę p pœnitentiam recuperatur, restituitur secundum quantitatem contritionis. Vnde accidit, quod homo quandoque surgit cum maiori gratia, quandoque cum minori, uel ęquali, à qua cecidit, prout contritio erit magis, uel minus intensa, aut remissa. ratio nem reddit D. Thom. Formæ, quę possunt recipere magis, & minus, intenduntur, & remittuntur secundum diuersitatem dispositionis subiecti: sed motus liberi arbitrii, auxilio Diuino excitati, est ultima dispositio ad gratiam, ut supra dictum est, ergò secundum quod pœnitens habebit intensiorem, uel remissiorem motum; idest maiori, uel minori conatu se conuertet, maiorem, vel minorem gradum gratię recipiet; loquendo de illa, quę confertur ex opere operantis.

Dubium an homo resurgat ad tantã gloriã à quã ta cecidit.

Sed dubium est de gloria: an pœnitens resurgat ad tantum gradum glorię; quantum respondebat meritis a quibus cecidit, per peccatum mortale? Pro huius rei meliori intelligentia; est aduertendum; quod opera moralia, de genere bonorum, siue sint præceptoria, siue supererogationis, si fuerint facta in peccato mortali, non sunt meritoria vitæ æternæ: Vnde uocantur mortua. Hinc est, quod Paulus 1.Corinth.cap. 13. dicit. Si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum: Et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Et quamuis homo post dicta opera facta in peccato, resurgat per subsequentem pœnitentiam; non per hoc dicta opera uiuificantur, ut sint digna aliquo pręmio spirituali, quia cum non habuerint principium uitæ dum nata sunt, non est cur uiuere possint, quia cum transacta sint, quamuis homo pœnituerit, dicta opera non possunt iterum à principio uitæ procedere: ut per illud uitam habeant, unde Glo. ad hoc propositum, ait.

Quæ opera in peccato facta reuiuiscũt per subsequentem pœnitẽtiam.

Viuere non possunt, quæ mortua nata fuere: Hęc regulariter dicuntur à D.Th. & alijs Doctoribus. Dixi (Regulariter) nã in aliquo casu, dicerem sine pręiuditio, sed cum Ecclesię censura, aliquod opus bonũ in peccato mortali factũ post uerã pęnitentiã uiuificari, & acceptari ad uitam æternam, per nouam tamen complacentiam, acceptationẽ, & oblationem, uidelicet, opus supererogationis cuius effectus permanet ante, & post pęnitentiam, uel electum in peccato mortali, & postea executum in gratia, per illã nouam acceptationem habebit suũ meritum. Dixi (Opus supererogationis) nam si esset opus præceptorum, puta audiuit Missam die Dominico in peccato mortali, licet satisfecerit præcepto de audienda Missa, non tamen illi profuit fructus Missæ, nec per subsequentem pœnitentiam redire potest, rationibus prædictis, nisi reiteretur, & tunc erit nouum opus. Dixi (Cuius effectus permanet) nam si esset ieiunium, uel eleemosyna facta in peccato mortali, quantumcunque post pœnitentiam

tentiam de nouo acceptetur, uiuificari non potest, illa enim noua complacentia, & acceptatio, nihil operatur circa id, quod nullo modo est, nec in se, nec in sua causa: oportet igitur, ut aliquo modo permaneat: verbi gratia, aliquis erexit cappellam, instituit anniuersarium perpetuum, uel simile quid fecit in peccato mortali; si in hoc statu decessit de vita, nihil pro anima hæc sibi prosunt: si autē antequam decesserit, pęnituit, & de operibus factis nihil meminerit, iam remanent hæc opera mortua, quo ad fructus æternæ gloriæ, rationibus iam dictis; si uerò post pœnitentiam, meminerit de talibus operibus, & de illis quandam complacentiam habet se illa fecisse, ac de nouo offert illa Deo, quodam affectu charitatis: tunc acceptantur, ac si de nouo instituerētur: quia cum habeant principium uitæ, scilicet affectum charitatis, super effectu permanenti, scilicet opere iam manente, & durante, non est, cur non viuificentur. Et multo magis viuificantur opera, quæ fuerunt electa, & mandata in peccato mortali; & postea executa sunt dum mandans erat in gratia: dummodò aderit illa noua complacentia ex charitate, se illa mandasse; puta mandata in testamento, dum erat in peccato mortali, ut tot Missæ dicerentur, uel aliud bonum fieret: deinde confessus est, & gratiam recuperauit: complacendo sibi in illo opere bono, de nouo confirmauit legatum mente interius, aliàs minimè.

Si autem prædicta opera fuerint facta in gratia, & charitate, erunt accepta ad præmium æternum: uerumtamen per subsequens peccatum mortale mortificarentur, idest impedirentur, ne haberent præmium æternum sibi correspondens. Quod si homo iterum à peccato resurgeret, prædicta opera iam mortificata, ut dixi, viuificarentur, ut prius; unde glossa ait: Illa reuiuiscunt, quæ mortificata fuere. Rationem assignat D. Thom quo supra, artic. 5. opera namque dicta sunt in acceptatione diuina, non solum dum fiunt, sed etiam postquam desinunt esse facta. Vnde quantum est de se, semper habent vim perducendi in uitam æternam; etiam postquam per subsequens peccatum fuerūt mortificata; uerum si qui illa fecit, tunc non perducatur per dicta opera in vitam æternam, hoc prouenit in impedimento superuenientis peccati per quod ipse se indignum fecit; quod impedimentum, si per pœnitentiam tollatur, dicta opera redeunt ad pristinam dignitatem, scilicet, sequuntur suum effectū. Scotus distinct. supradicta, idem affirmat, exemplo Iuristarum, scilicet, Opera in charitate facta; esse ita in acceptatione, diuina, ut habeant ius, & actionem simul, in uitam ex lege sic stabilita, quæ opera si per peccatum subsequens mortificentur, non per hoc tollitur ius, quod respondet dictis meritis ad uitam æternam, sed tantum negatur actio, quæ sibi competit, propter impedimentum, idest inimicitiam contractam, ita quòd si perpetuò fuerit inimicus, idest decesserit in peccato, perpetuò cessat actio dicta, ut præmium assequi non possit. Si uerò per reconciliationem recuperata fuerit amicitia Dei, per impedimentum sublatum non redit nouum ius, sed per illudmet antiquum competit actio in vitam æternam.

Instantibus, ad dubium dicunt Thomistæ, quòd ista opera meritoria per pœnitentiam redeunt, quo ad efficaciam meriti, non autem quo ad quantitatem meriti, quæ illi correspondebat, antequam mortificarentur. Sed quomodo redeunt? dicunt, secundum quantitatem gratiæ, quæ recuperatur. Vnde, qui cecidit à magna gratia, & multis meritis, si resurget in minori gratiæ gradu, sibi respondebunt minora præmia, prout erit gratia. Itaque ad tot gradus gloriæ resurget, quot gradus gratiæ acquiret, plus, uel minus, correspondentes gradibus contritionis, ut suprà diximus. *Opinio Thomistarum.*

Contra hanc opinionem instatur: Si res ita se haberet, sequeretur, quod di- *Instantia.*

cta opera non resurgerent propriè,& uerè,contra communem opinionem,parum enim aut nihil refert,quod resurgant, si non resurgunt ad præmia, quæ sibi correspondebant, antequàm mortificarentur, nam uiuificari opera prius mortificata, nil aliud est, quam iterum ad gloriam acceptari à qua ceciderat, sed hoc modo non dicentur propriè acceptari, quia non ad tantam. Respondent fautores istius opinionis; Aliud est loqui de opere meritorio, & aliud de quantitate operis meritorij, dicta opera reuiuiscunt ad præmium æternæ vitæ, itaque homini resurgenti à peccato, debetur gloria, primo ex vi præsentium operum, & gratiæ de nouo acquisitæ, secundo ex vi præteritorum operum, vnde illud reuiuiscere non operatur aliud, nisi quod ex duplici ratione debetur gloria, scilicet ex meritis prioribus, & posterioribus, ut dixi, sed ex vi priorum operum mortificatorum non debetur quantitas gloriæ essentialis, quia dicta opera non reuiuiscunt ad tantam quantitatem semper, nisi quando per nouam pœnitentiam recuperatur tanta gratia, quantam perdiderat per peccatum mortale. Verùm, ait D. Thom. quo suprà, artic. 5. in responsione ad 3. arg. per dicta opera præterita habebit maius gaudium: secundum quantitatem dictorum operum: quod pertinet ad præmium aecidentale. Et totam hanc opinionem fundat super hoc, scilicet quòd quantitas gloriæ datur secundum quantitatem gratiæ; quæ recuperatur in resurgente, & inuenitur in eo, dum è vita decedit. Si hoc esset verum, sequeretur magnum absurdum: vt patere potest in hoc casu. Quidam homo sanctæ vitæ, per annos quinquaginta in religione multa & magna opera meritoria fecerat: & alter in tota vita sua in multis peccatis steterat, si fortè ambo delinquentes, postea resurgerent in æquali gradu gratiæ, & charitatis, per æqualem contritionem, & ita è vita decederent, æqualem etiam gradum gloriæ sortirentur. Vnde, de illa sanctissima vita præterita illius religiosi viri, nulla haberetur ratio, nisi quo ad gaudium accidentale: quæ res non benè sonat in auribus audientium. Hoc argumentum mouit Sotum, vt non sequeretur opinionem Thomistarum in hoc: immò non pôt suaderi, hanc esse opinionem D. Tho. Vnde aliter dicit, in 4. dist. 16. q. 4. art. 2. ad mentem D. Tho. s. quod homini resurgenti à peccato confertur gratia correspondens contritioni, & vltra istam, nouus gradus gratiæ, ratione meritorum mortificatorum, quæ nunc viuificantur, quia contritio non solum est dispositio ad nouam gratiam, sed etiam ad viuificationem operum mortificatorum. Et ne incideret in opinionem Occham, suprà recitatam, & reprobatam, subiungit, quod homo non semper recuperat omnem gratiam, à qua cecidit, sed secundum proportionem, scilicet, si per contritionem datur vnus, vel duo gradus gratiæ, tantundem etiam de antiqua deperdita recuperat: si autem contritio est summa, quæ haberi potest, per auxilium diuinum, ultra gratiam illi correspondentem, recuperat omnem gratiam deperditam. Itaque si contritio deficit ab illa summa, per medietatem, medietatem gratiæ deperditæ recuperat: si fuerit quarta pars, restituetur ei quarta pars proportionaliter gratiæ deperditæ. Ex quo colligitur, quod pœnitens resurgens, semper resurgit ad gradum maiorem gratiæ, quàm sit quantitas contritionis; & secundum quantitatem gratiæ antiquæ, quæ recuperatur, reuiuiscunt opera mortificata; & consequenter resurgit ad tantam gloriam respectu illarum. Sed contra, si res ita se habet, argumentum neque est solutum; hoc enim modo, non semper homo resurgit ad totam gloriam, à qua cecidit; quia non semper omnia opera mortificata reuiuiscunt per pœnitentiam, scilicet, quando non restituitur tota gratia à qua cecidit. Ad hoc respondet Sotus, quòd hoc non est sic intelligendum, ut cuilibet operi meritorio correspondeat sua

Responsio.

Replicat.

Sotus.

Replicat.

gratia,

gratia, ita ut tot sint gratiæ, quot sunt opera meritoria, ex quo sequatur, quòd tot opera uiuificentur, quot gratiæ recuperantur; sed dicitur quod homo est gratus Deo pro toto illo statu meritorium; & secundum quòd merita multiplicantur, ita eadem gratia augetur, & intenditur: vnde homo resurgens per pœnitentiam, ultra gratiam quæ contritioni debetur, recuperat aliam antiquam, à qua cecidit, non in eo augmento, & gradu intenso, ut prius erat, sed proportionabiliter secundum quantitatem nouæ gratiæ contritioni correspondenti, vt dictum est. Itaque per illam gratiam, omnia merita mortificata reuiuiscunt; non tamen ad eundem gradum gloriæ, ut prius erant, sed ad æqualem gratiæ recuperatæ, ut non discederet à fundamento Thomistarum, scilicèt, quod gloria correspondet gratiæ, itaque fatetur, hominem non resurgere ad tot gradus gloriæ, à quibus cecidit, & sic argumentum, à quo motus erat, adhuc remanet in parte. Hæc opinio Thomistarum reddit hominem valde attentum, iuxta monitum Pauli, dicentis: Qui stat, uideat ne cadat, quia cadendo, multa deperdit; & qui sæpe cadit, ut hodie uniuersitati Christianorum accidit, quomodo se habebit, si non resurget ad summam gratiam, omnia opera bona præterita erunt amissa, quo ad gloriam essentialem, secundum istos.

Ideò ponitur alia opinio Scoti in quarto, distinctione vigesimasecunda, quæstio. vnica, articulo secundo. Gabrielis, & Francisci de Maironis, in quarto, distinctione trigesimatertia, quæstione secunda, dicentium, pœnitentem resurgere in maiori merito gloriæ, à qua cecidit; recuperat enim omnia merita operum mortificatorum per viuificationem illorum, & ultrà, acquirit de nouo aliquod aliud, per nouam contritionem; quia ex multitudine meritorum datur maior gloria: sed ille habuit actum contritionis meritorium, ergo meritum meritis accumulando, crescit gloria. Contra, tunc sequeretur, ait pars aduersa, quòd homo peccator reportaret commodum de lapsu suo; quia secundum hanc opinionem resurgens habet plura merita in acceptatione diuina, quam habuit, quando cecidit; & per consequens ordinatur ad maiorem gloriam. Secundò sequeretur, quòd aliquis habebit minus de gratia, & plus de gloria; quia stare potest, ut resurgat in minori gradu gratiæ, à qua cecidit, & resurget per se ad omnes gradus gloriæ, ad quas prius ordinabatur: quod non videtur conueniens: nam quantitas gloriæ correspondere debet quantitati gratiæ quæ donatur: gratia enim est ratio acceptandi ad gloriam, secundum fundamentum Thomistarum, ergò maior gratia erit ratio acceptandi ad maiorem gloriam: aliàs sequeretur, quòd duorum hominum, unus habebit minorem gratiam quam alter, & maiorem gloriam, & alter maiorem gratiam, & minorem gloriam. Ad primum respondet Scotus, quo supra, quòd nullum commodum de lapsu reportat, immò magnum incommodum; quia peccauit, & in toto tempore, quo mansit in peccato, potuisset fecisse aliqua opera meritoria, quod tempus amissum est, & si fecit, fuerunt mortua. Quod intellige regulariter, crederem enim aliquem iustum, qui esset in gratia remissa, & mediocri Charitatensi, laberetur, resurgerent cum maiori conatu ad perfectissimum gradum gratiæ, quem non acquisiuisset, in sua iustitia; ideo dicitur, quandoque Deum permittere iustos errare, ut feruentius resurgant, ut legitur in Vitis Patrum, & ego in aliquibus expertus sum. Ad secundum conceditur sequela. Ad rationem, quæ est fundamentum Thomistarum, negatur, quòd gloria semper respondeat quantitati gratiæ, nam gloria respondet meritis, quæ uiuificantur; gratia verò dispositioni resurgentis à peccato. Ad rationem rationis, scilicèt, quòd gratia est ratio acceptandi ad gloriam, &c. dicitur. Etsi per gratiam homo acceptetur ad gloriam, inquan-

Opinio Scoti. Gabrielis, & Fràcisci Maironis.

Instantia.

Responsio.

inquantum effectus gratus, & amicus, diligitur, & per dilectionem efficitur dignus gloria, non tamen oportet, ut quantitas gratiæ sit semper necessaria ratio acceptandi ad quantitatem gloriæ. Sed contra replicatur, gratia, dilectio, & acceptatio ad gloriam paria sunt, ad tantam enim gloriam acceptatur homo, quantum diligitur à Deo, & tantum diligitur, quantum illi gratus est: Vnde non potest benè intelligi, ut homo sit acceptus, ut decem, & non gratus ut decem. Dico, quòd qui minus habet de gratia potest plus diligi, ideo non sequitur, quia per se gratia, & charitas non sunt idem. Sed contra saltem sequeretur contra auctores huius opinionis; qui tenent gratiam, & charitatem esse idem. Franciscus de Maironis, quo suprà, non potens euadere hanc instantiam, dicit, quòd secundum hanc uiam, oportet dicere, ut gloria detur, primò secundum proportionem gratiæ contritioni respondentis, & tunc ille, qui resurgit ad maiorem gloriam, pro multis meritoriis operibus uiuificatis, quam est gratia, quæ respondet contritioni, dabitur secundo de gratia respondente illis operibus non hic (ne incidat in opinionem Ocham) sed in patria & sic

Refutatio. saluabitur, quòd gratia, dilectio, & acceptatio sunt paria. Hæc responsio est potius fuga; nam gratia, quæ datur in patria, est gratia consummata, quæ est idem quòd gloria.

Opinio Auctoris. Ideo aliter dicerem, vt huic quæstioni finem imponam, scilicet, quòd opera in charitate facta, prout sunt meritoria uitæ æternæ, aliter acceptantur à Deo, dum fiunt de nouo, & aliter dum viuificantur per pœnitentiam, quando fuerunt mortificata: nam dum fiunt de nouo, acceptantur ad gloriam, & cum hoc ordinantur ad certum gradum gloriæ, non solum secundum quantitatem operis facti, sed etiam secundum quantitatem deuotionis, & affectus facientis, ex maiori uel minori charitate factis: ut patet de illa vetula Euangelica, à Christo commendata, eo quòd miserat duos denarios in Gazofilatium Domini, cum magno affectu charitatis. Et tunc uerum est dicere, cum D. Thom. gratia, dilectio, & acceptatio ad gloriam essentialem, sunt paria. Deus enim ad tantum gradum gloriæ ordinat illa opera meritoria, quanta est dilectio circa operantem, & tantum diligit, quantum dat gratiam, siue gratia sit idem, quòd charitas, siue non: & tantum gratiam donat, siue sit prima, siue sit augmentum, quanta est affectio, deuotio, & bonus motus operantis, seu pœnitentis ad Deum se conuenientis. Itaque à primo ad ultimum procedendo, sequitur, quòd tanta datur de gloria in paradiso, quanta datur de gratia in hoc mundo, si in illa moritur. Sed de operibus mortificatis, quæ per pœnitentiam uiuificantur, non est ita; nam dicta opera non acceptantur de nouo per pœnitentiã resurgentis; ut habeatur ratio ordinationis ad tantum gradum gloriæ, secundum quantitatem gratiæ, quę resurgenti donatur; quia dicta opera semper fuerunt accepta, quo ad ius, etiam stante peccato, non solum respectu essentiæ gloriæ, sed etiam respectu quantitatis, & gradus gloriæ, quod forsan non aduerterunt Thomistæ, licet quo ad executionem nõ erant accepta, eo quod per peccatum erat impedita, ut non daretur actio. quo ablato per nouam pœnitentiam, redditur actio, non per nouum ius, idest, quod de nouo acceptentur (quia hoc modo, sequerentur quantitatem gratiæ) sed per antiquum, ut dictum est suprà; per quod ius postea actio datur, non solum quo ad essentiam gloriæ, sed etiam quo ad quantitatem, ad quam prius fuerunt ad acceptandum, fiebant uirtute gratiæ, per quam homo operabatur tunc; aliàs sequerentur inconuenientia prius dicta, licet homo non resurgat cum tanta gratia, à quanta cecidit, peccando; quia gratia in qua resurgit, est gratia de nouo producta, respondens contritioni præsenti, & nouæ: gratia autem à qua cecidit, est omninò amissa, itaque falsum est, quod recuperetur. Et si queris, quæ gra-

tia

tia antiqua amittitur irrecuperabiliter, & merita per illam non amittuntur? Respondet Scotus quod gratia illa fuit tantum donum Dei, merita uerò erant aliquo modo opera hominis, & ideò sunt semper salua in acceptatione diuina, sed gratia non. Vel dicamus, quod gratia ita opponitur peccato, ut pęnitus extingatur, & nihil eius remaneat, ut possit uiuificari, seu annihiletur, & ideò non potest redire, sed loco eius datur alia noua correspondens nouę contritioni, sed merita remanent, quo ad ius, ut dixi, ideo reuiuiscunt, & quia non fuerunt præmiata in uia, remanet, ut præmientur in cęlo, quod est ualde consonum iustitiæ Dei, & sacræ scripturę, quæ dicit: Reddet unicuique secundum opera sua, & ideò hæc opera reuiuificata, non opus est, ut præmientur ad mensuram gratiæ de nouo acquisitæ, sed antiquę amissæ: quod si aduertissent patroni alterius opinionis, aliter dixissent. Est etiam hæc opinio multum commendans misericordiam Dei; estque magis remota à contradictione, & inconuenientibus, quæ insurgunt contra alias opiniones; & ideò magis amplectenda, quæ tamen sit absolutè uera, Deus Optimus maximus scit, qui est Dominus, & largitor gratiæ, & gloriæ.

Consequenter hic quæritur, cum dictum sit, per pœnitentiam redire uirtutes, & merita, an econtra, per nouum peccatum, redeant peccata semel dimissa? Et uidetur quod sic, dicitur enim Ezech. 18. Si auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius quas fecerat, non recordabuntur. Prætere, Matt. 16. dicitur de illo seruo cui dominus dimiserat debitum, postea propter immanitatem in conseruum, fuit de nouo attrictus, ad reddendum debitum. Tertiò in secunda Iacobi dicitur, qui offendit in uno, reus factus est omnium. Ad hoc respondet D. Thom. tertia parte, quęstio. 88. artic. 1. quod in peccato sunt duo, ut dictum est suprà, Auersio à Deo, & Conuersio ad creaturas. Auersioni respondet culpa, idest priuatio uisionis Diuinæ, quę est pœna damni, & macula animæ: quæ si consideretur in se, & absolutè, quia est communis omnibus peccatis, dicitur redire, ad hunc sensum, scilicet, per quodlibet mortale homo auertendo se à Deo, amittit gratiam, & efficitur inimicus, maculatus. Et ita intelligitur illud Iacobi 2. Qui offendit in uno reus factus est omnium. Si autem consideretur, inquantum causatur à conuersione; tunc non redit eadem numero, quia recipit diuersitatem per comparationem ad diuersas conuersiones, ita, ut alterius peccata sit alia, & alia macula, & alia auersio, sed redit secundum quid, inquantum per ingratitudinem, nouum peccatum aggrauatur. Conuersioni respondet pœna sensus, & secundum hoc nullo modo peccata redeunt, quæ fuerunt prima remissa: nam cum sint diuersa, & quandoque contraria, sequeretur, quod homo per peccatū prodigalitatis reduceretur in peccatum auaritię prius remissum, & similium, quod est impossibile, ait ipse. Sed hoc non est necessarium: quia hic nō quęritur, si redit quo ad habitum, sed quo ad pœnam. Contra prædicta sic instatur: Ita se habet Deus ad puniendum, sicut ad pręmiandum. Sed bona mortificata redeunt, ut præmientur: ergo mala remissa redire debent, ut puniātur. Respondet Scotus, quo suprà: quod Deus non ita se habet ad puniendum mala, sicut se habet ad præmiandum bona; Primò propter superabundantiam misericordiæ Diuinę, quæ acceptat bona semper ad remunerandum, si ex parte recipientis non erit impedimentum: sed mala ita extinguit, remittendo ea, ut non remaneant amplius in ordine ad uindictam, & punitionem. Secundò, propter ęqualitatem iustitiæ diuinę, quę non diiudicat bis, iuxta illud quod habetur de pœnitent. distinct. 4. Diuina Clementia dimissa peccata in ultionem redire non patitur, quod intelligitur hoc modo: Peccatum remittitur, commutando pœnam æternam in temporalem; qua soluta, nihil debiti remanet,

69 *Dubium an peccata semel dimissa, in recidiuante, redeant.*

D. Thom.

Instantia.

Scotus.

net, & consequenter remisso peccato in se, & in pœna sua soluta, siue in se, siue in ęquiualenti, nihil iuris exigendum remanet pro illo, quamuis homo de nouo mortaliter peccet. Sed bona meritoria, cum adhuc non sint pręmiata, nec in aliquod bonum temporale commutata (quia Deus, uia ordinaria non pręmiat in uia) si per nouum peccatum impediuntur, non per hoc ammittunt ius, quod habent ad pręmium, & ideo sublato impedimēto remanent pręmianda. Concludendo igitur, dicamus, peccata semel dimissa, non redire simpliciter in recidiuante, sed secundum quid, ut dictum est, tanquam circumstantiam aggrauans, uel propter ingratitudinem; quia quanto aliquis recipit ab alio beneficium, tanto magis tenetur illi, lege gratitudinis. Secundo propter nouas obligationes, ad quas tenetur, per nouas promissiones in contritione factas: alias illa contritio non fuisset uera, & propterea deficiendo postea, grauius peccat.

Ad argumenta prima.

Ad primum principale dicitur; quod per iustitias, ibi intelligimus opera meritoria, quę per nouum peccatū traduntur obliuioni, idest mortificantur, ut dictum est. Ad secundum dicitur, quod per illa uerba, mittite eum in pœnas exteriores, intelligitur pęna dāni, q̄ sequitur auersionem, quę redit, inquantum per nouum peccatum factus est reus, & inimicus, quod est commune omnibus peccatis, ut dictum est. Et per illa uerba: Donec reddat uniuersum debitum, intelligitur pœna ęterna, quę nunquam finitur, propter culpam, non tamen sequitur, quod illa augeatur, & intendatur, propter peccata pręterita semel dimissa, nisi quantum ad illam circunstantiam ingratitudinis & nouę promissionis, ut dictum est.

Finis Sexti Capituli.

SVMMARIA SEQVENTIS CAP. VII.

Extremæ Unctionis Sacramentum est remedium, quo recuperamus integram animę, & corporis valetudinem.

Cur detur in fine vitæ hominis.

2 *Unctiones veteris legis fuerunt figura unctionum, quæ fiunt in nouo testamento.*

Quare hoc Sacramentum dicatur, Vnctio Extrema.

3 *Vnde constet, Extremam Vnctionem esse Sacramentum.*

4 *Sacramentum Extremę Vnctionis Christus instituit; & à Iacobo Apostolo fuit Ecclesiæ promulgatum.*

5 *Solus Sacerdos regulariter est minister huius Sacramenti.*

6 *Forma Sacramenti Extremæ Vnctionis.*

7 *Oleum Oliuarum purum ab Episcopo consecratum, est materia Sacramenti Extremæ Vnctionis.*

8 *Cui administrandum sit Sacramentum Extremæ Vnctionis, & quando.*

9 *Quæ partes corporis debeant inungi.*

10 *Christianus de hac vita discessurus, quattuor indiget.*

11 *Quos effectus operetur Sacramentum Extremæ Vnctionis.*


12 *Hoc Sacramentum potest reiterari.*

13 *Omnia Sacramenta esse reiterabilia, quomodo sit intelligendum, & quæ verè possint reiterari.*

14 *De generali confessione peccatorum, quæ aliàs confessa, & remissa fuerunt.*

DE SACRAMENTO EXTREMAE VNCTIONIS.

Cap. VII.



Ictum est suprà, quòd Sacramentum Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis sunt necessaria cuilibet particulari Christiano, per accidens.i.ratione peccati commissi. Expedito de Pœnitentiæ Sacramento, ut est remedium contra mortalem culpam; nunc dicendum de Extrema Vnctione, vt est remedium, quo integram animæ, & corporis ualetudinem recuperamus; estque consummatiuum totius vitæ Christianæ, & ideo datur in fine uitę hominis, unde dicitur, Vnctio Extrema. Dicitur Vnctio; quia in Vnctione perficitur. Pro quo nota, ꝙ in Veteri Testamento quattuor genera rerum vngebantur. Primò ungebantur vasa Sanctuarij, ut habetur Exodi 30. Secundò ungebantur Pontifices, & Sacerdotes, vt Exodi 29 Tertiò, Reges, ut primo Regum c.10. vbi Samuel unxit Saulem. Quartò, Prophetæ, ut 3. Regum 19. vbi Elias vnxit Elisęum, quæ omnia fuerunt typus eorum, quæ fiunt in Nouo Testamento, ut dicitur capit.1. de Sacra Vnctione. Primum uerificatur dum fideles vnguntur tanquam vasa continentia spirituales gratias, ut ait Apost. ad Romanos 9. Vt ostenderet diuitias glorię suæ in vasa.

1 *Vnctio Extrema vnde dicatur.*

Nota.

2

Secundò, & tertiò dum vnguntur tanquam Pontifices, & Reges. Vnde Apocal.1. Fecit nos Deo nostro Reges, & Sacerdotes, & prima Petri, cap.2. Vos estis genus electum, Regale Sacerdotium.

Nota. Quattuor vicibus vnguntur fideles.

Quartò, tanquam Prophetæ, quia fides nostra non tantum est de præteritis, sed etiam de futuris, prout est articulus de Iuditio uniuersali. Dicitur, Extrema, pro quo nota, quòd quattuor vicibus vnguntur fideles; primo in Baptismo, vbi dum sunt Cathecumini vnguntur inter scapulas oleo benedicto, & post lauacrum, Chrismate in capite. Secundò, in Confirmatione, dũ Episcopus Chrismate ungit in fronte. Tertiò, in Ordine Sacerdotali, dum Episcopus ungit Sacerdotes in manibus. Quarto, & vltimò, in hoc Sacramento, dum Presbyter oleo Sancto vngit infirmum in partibus vbi sensus vigent, ut infrà dicetur. ideò dicitur Vnctio Extrema, quia in fine aliarum datur; non quòd iste ordo sit essentialis, respectu aliarum unctionum, præter Baptismum; potest enim aliquis suscipere hoc Sacramentum ante Confirmationem, & ordinem sacrum: sed uia ordinaria est vltimum; quia in fine vitæ datur. Hac etiam ratione dicitur Extrema; quia datur extremè laborantibus, ut dicetur.

3 *Probatur esse Sacramentũ Extrema Vnctio.*

Quod autem hoc sit Sacramentum, inde constat: dictum est suprà, Sacramentum est signum sensibile, significans intus, quod foris ostendit: ita fit in hoc Sacramento; nam forma debet exprimere spiritualem effectum, quæ operatur intus, determinando materiam ad significandum illum specialem effectum, ad quem ordinatur, ut in Baptismo, cum dicitur, ego te Baptizo, forma illa significat ablutionem corporalem significantem animæ mundationem; ita hic; cum dicimus, per istam Vnctionem, indulgeat tibi Deus, &c. determinatur, per talia verba, illam vnctionem significare talem effectum particularem, nem-

pè ualetudinem animæ, & corporis, ad quæ specialiter ordinatur, ut Iacobus Apostol. insinuat, & melius infrà dicetur, dicendo: oratio fidei alleuiabit eum, & si in peccatis sit, dimittentur ei; & quia hæc ueritas Catholica est, non est hic immorandum.

De Institutione huius Sacramenti.

Erat olim quæstio inter Doctores, quis instituerit hoc Sacramentum, ex eo, quia non inuenitur expresśè in Euangelio, quando Christus illud instituit: sed tantum apparet, Ecclesiæ præceptum esse a Iacobo Apostolo in sua Epistola Canonica, c. 5. dicente ipso: Infirmatur quis ex vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit dimittentur ei. Sed circa hoc non est solicitandum; tum, quia ut in principio probauimus, nemo potest Sacramenta instituere, nisi solus Christus, tum etiam quia hæc quæstio definita est per Sacrum Concil. Trident. Sess. 14. in doctrina de Sacramento Extremæ Vnctionis, cap. 1. scilicet, quòd Christus Marci 6. hoc Sacramentum instituit: sed à Iacobo Apostolo fuit Ecclesię promulgatum, & commendatum per prædicta uerba, quibus uerbis per traditionem Apostolicam Ecclesia didicit, quomodo sit ministrandum; unde in his est ualde insistendum. Pro quo nota, quòd ex uerbis prædictis, quattuor esse de integritate huius Sacramenti colligitur, secundum quattuor genera causarum, scilicet efficientem, formalem, materialem, & finalem.

Quis instituerit hoc Sacramentum.

De causa efficienti.

Causa efficiens est Sacerdos ritè ordinatus: quod colligitur ex illis uerbis indicat presbyteros Ecclesiæ: nec per presbyteros intelligendi sunt seniores populi, ut Hæretici dixerunt, sed Sacerdotes, ut Sacrum Concilium declarat, itaque nec Diaconus hoc Sacramentum ministrare potest.

Sed quęritur hic, an quilibet simplex Sacerdos hoc Sacramentum ministrare queat, sicut & Baptismum, an hoc competat solis Curatis, ut de pœnitentia dictum est? Ad hoc dicitur, quòd regulariter, solis Curatis hoc Sacramentum ministrare competit, cæteris autem de licentia Curati, uel Parochi: Si autem quis sine Curati licentia hoc attentauerit, si est Presbyter secularis, peccauit mortaliter, si autem est Religiosus: ipso facto erit excommunicatus, per Clementinam primam, de priuilegijs, etiam si casus necessitatis occurreret, tamen Sacramentum tenet. Dico (In casu necessitatis) in quo non obstat ratio de Baptismo, quia baptismus est Sacramentum simpliciter necessarium, & ideo cuilibet in casu necessitatis illud ministrare licet, etiam laico.

Quis ministrare possit hoc Sacramentum.

Dixi (Sacramentum teneret) quia in illo concurrunt omnia, quę sunt de essentia Sacramenti, ut dicetur. Nec obstat ratio de Sacramento pœnitentię, quia in illo requiritur iurisdictio, unde absolutio nisi fiat ab habente iurisdictionem super pœnitentem, siue ordinariam, siue delegatam, Sacramentum non tenet. Nec sufficeret certa opinio ratihabitionis futuræ, ad hoc ut licitum sit Religioso,

gioso, hoc Sacramentum administrare, ut Sotus dist. 23. q. 3. artic. 1. pro Religiosis contendit; quia non est, unde hæc præsumptio sumi possit, cum expresse sit prohibitum.

De causa Formali.

6 Forma huius Sacramenti est hæc. Per istam unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid p visu, aures, nares, &c. quæ uerba, etsi non sint à Iacobo ita expressè dicta, in dicta Epistola, tamen credendum est, ita Apostolos accepisse à Christo, & Ecclesiæ tradisse, ut colligitur ex illis uerbis orent super eum, scilicet infirmum, deprecando ei salutem: & ideo D. Thom. & alij aiunt, formam debere esse deprecatiuam. Et si dicatur quasdam Ecclesias uti forma indicatiua; dicendo: ungo te oleo sanctificato, &c. quam uocant formam Ambrosianam, dicendum, quòd illa uerba non uariant substantiam formæ, secundum Richard. in 4. dist. 23. Ioannem Bachonum dist. 24. & Claudum Guilliadum super Epistolas Canonicas, sicut non uariatur substantia formæ Baptismi, dum à Græcis dicitur; baptizetur seruus Christi, &c. Et ad rationem Diui Tho. in 4. dist. 23. dici potest, quod illa indicatio apud Deum, est per affectus deprecatio: sicut legitur apud Augustinum, Christum resuscitasse Lazarum ad preces Sororum, & tamen in Euangelio non legitur, nisi quòd Marta, & Maria dixerunt, ecce quem amas infirmatur. Itaque illa insinuatio fuit per affectus deprecatio: ita dico in proposito. Siquidem aliqua alia uerba inueniuntur mutata, idem tñ dicunt in substantia, ut de forma Baptismi dictum est. Et quamuis hoc Sacramentum pluribus unctionibus percipiatur, unicum tamen Sacramentum ex omnibus resultat, sicut unica Eucharistia ex duabus consecrationibus, & diuersis materijs integratur. Præterquam, quòd, si consecratio uini non sequeretur, adhuc remaneret panis consecratus, nec una dependet ab alia, ut suprà diximus, sed in hoc Sacramento, si deficit una quinque sensuum unctio, non erit Sacramentum, ut dicetur.

De causa Materiali.

7 Materia ex qua conficitur hoc Sacramentum, est oleum oliuarum purum, ab Episcopo consecratum, ut colligitur ex illis uerbis Iacobi: (vngentes cum oleo) Dixi (Oliuarum) nam appellatione olei simpliciter, intelligitur oliuarum: alij autem liquores, ut est oleum nucum, lini, amigdalarum, & huiusmodi, impropriè dicuntur olea; & ideò non sunt materia debita: sicut de Baptismo diximus, quòd debet esse aqua elemétalis, & non rosata, uel alio quodam artificio distillata. Vnde Paludanus ait, q Papa non potest facere, ut conficiatur ex alio oleo; quia non potest essentialia Sacramentorum mutare; licet hoc possit circa Sacramentalia, puta ordinare, ut Cathecumini, & Sacerdotes ungantur oleo nucum.

Dixi (purum) ad differentiam Crismatis in quo miscetur balsamum, ut in Sacramento Confirmationis diximus. Sed numquid oleum rosatium, aut uiolatum

tum, aut alio liquore mistum, esset materia debita? Dico, ut de aqua Baptismali suprà dixi; scilicet si id, quod oleo miscetur, non est tale, uel tantum, ut speciem olei mutare possit; remanet materia debita: si autem forma olei per talem mistionem mutaretur, non remaneret materia apta. Quod uerò additur aliud oleum oliuarum, totum erit benedictum, ut in aqua lustrali accidit: quod intellige, quando id, quod miscetur, erit tantę quantitatis, ut fieri possit identificato adinuicem, idest ut partes minimæ se tangant omnes; quia uirtus spiritualis intentionalis, quæ in oleo, benedictione acquiritur, per contactum attingit omnes partes olei non benedicti; unde totum benedictum efficitur. Vbi autem indentificatio fieri non potest, puta ponendo lenticulam olei benedicti in magna lagenâ olei nō benedicti, non esset possibile, ut totum per omnes partes misceri possit, & consequenter non esset totum bendictum; unde ex illo nō conficeretur sacramentum, aliàs totum mare benedici posset, cum in illud misceretur amphora aquæ benedictæ. Si fortè oleum benedictum esset paucum posset aliud paucum de non benedicto apponi; deinde facta mistione ubi totum effectum esset benedictum, posset apponi aliud, & postea aliud, donec efficeretur magna quantitas, & sic totum esset benedictum. Vt ita intelligendi sunt textus, & gloss. in capitu. Quod in dubijs: de consecrat. Ecclesiæ, uel altaris. Dixi (Ab Episcopo benedictum) si, enim Sacerdos uteretur oleo non benedicto, peccaret mortaliter, ratione præcepti Ecclesiæ, ut habetur capit. 1. de sacra unctione. Sed nunquid esset Sacramentum, aliqui ambigunt, eo quod non habetur expressum; uerum Sotus distinct. 23. quæst. 1. artic. 4. post D. Tho. in quarto, eadem distinct. Franciscus de Mairone: eadem distinctione quæst. 1. Siluester uerbo; unctio extrema, §. 3. Nauar. dicunt, quòd ab Episcopo benedici debet, aliàs non sufficeret. Quod confirmatur per Sacrum Concil. Trid. Sess. 21. cap. 2. Materia circa quam, seu subiectum circa quod unctio fieri debet, est duplex, scilicet remotum, & proximum. Remotum est corpus Christiani infirmitate aggrauatum, ad mortem naturalem; quod colligitur ex illis uerbis, infirmatur quis in uobis. Dixi (Christiani) qui enim non habet Baptismum, non est capax cuiusque Sacramenti, sed solum baptizatus; etiam si non sit confirmatus. Et si Pœnitentiæ Sacramentum quæsiuit, & aliquo impedimento præoccupatus, confiteri non potuit, ungi ualet. Dixi (infirmitatem) nam si homini sano ministraretur, non esset Sacramentum; ideo Iacobus dixit, infirmatur quis. Dixi (aggrauatum ad mortem) non enim sufficit, ut sit infirmus simpliciter; sed in graui infirmitate laboret, ut de eius salute probabiliter dubitetur, & sit morti propinquus, ut habetur in Concil. Florentino ubi dicitur, quòd hoc Sacramentum dari non debet, nisi infirmo, de cuius morte timetur, aliàs non esset subiectum huius Sacramenti aptum, quod etiam usu uniuersalis Ecclesiæ probatur, & ex eius effectibus ueritas hæc aperitur, ut infrà dicetur. Itaque non cuicunque infirmo, sed morti propinquo tradendum est; nec tamen expectandum est tempus agoniæ, quando infirmus sensus amisit, & omni salute destitutus est. Et hoc conuenienter ratione utriusque effectus, ad quos ordinatur. Primus effectus est recreatio Spiritus, & corroboratio animi ad futuram gloriam spe conformata, ex deuotionis affectu; quod fieri non ualet, nisi infirmus sensus habeat, & quod super eum operatur, intelligat. Secundus est sanitatis recuperatio, de qua timetur, unde non debet expectari desperatio sanitatis; non enim hoc Sacramentum operatur per modū miraculi, sed ad adiuuandas causas naturales, quæ de se non sufficiunt, ergò conueniens est, ut adsit aliqua spes salutis corporalis, quæ facilius recuperari possit, & uirtute Sacramenti, & affectu deuotionis infirmi, illam petentis, unde infirmus magis iuuatur, ex opere operantis, quòd esse non

Subiectum quod ungi debet. 7

Quando infirmus ungi debeat.

potest in agonizantibus. Nec ratio aliquorum est Christiana, dicentium, ideo hoc Sacramentum differtur, ne infirmus, dum se uidet ungi, cogitando quòd de eius salute dubitatur, timore mortis, infirmitas magis grauaretur, & efficeretur certum, quod sub dubio adhuc est: dico, hanc rationem procedere ex ignorantia effectus Sacramenti: Et quod peius est, quandoque dilatio in tantum protenditur, ut infirmus moriatur sine hoc Sacramento; propter quod, multis auxilijs, & bonis spiritualibus infirmus fraudatur: quamuis simpliciter necessarium non sit.

Ignorantia Sacerdotum circa ministrationem.

Extrema Unctio nō datur damnatis ad mortem.

Dixi (Ad mortem naturalem) quæ ex aliqua infirmitate prouenire potest, uel uulnere mortali, aut alia corporis dissolutione: non enim ministrandum est patienti quodcunque mortis periculum, ut sunt damnati à iustitia ad mortem, prælium ingressuri, loca periculosa ingressuri, naufragium passuri, & similes, ut imaginari potest per illud uerbum Iacobi, infirmatur quis, nam applicatio huius sacramenti fieri debet per modum curationis, ut ex eius institutionis fine apparet: & ideo in summa exhiberi non debet, nisi illis, quis ad recipiendam sanitatem, & uitam, de cuius amissione timetur, indigent aliquo corporali, & naturali remedio. Ex hac ratione iudicari potest, qui sunt illi, periculum mortis patientes, quibus hoc Sacramentum ministrari debeat.

Extrema unctio nō datur amentibus.

Et quia hoc Sacramentum ordinatur etiam ad curanda uenialia, & mortalium reliquas; ideo amentibus furiosi, & stupidis à natiuitate, qui peccare nesciunt, & animi deuotionem, ut supra, habere non ualent, non est ministrandum: secus si habuerunt lucida interualla, aut per infirmitatem insaniuerunt, & illud ante petierunt, aut desiderauerunt expresse, uel tacitè, uel saltem petijssent si aduertissent: quia stantibus illis, potest eis ministrari, si absque irreuerentia Sacramenti fieri poterit: non tamen ministrandum est talibus si in peccato mortali notorio insaniuerint; quia tales hac medicina curari non ualent. Similiter nec pueris, uel puellis, qui non sunt doli capaces, sed tunc eius ministrari potest, quando inceperint communicari: quia iam post uiaticum exhibetur. Denique ungendum est corpus uiuum, & non mortuum; itaque si casu accidit, ut inter ungendum moriatur, desistendum est, & non ultra procedendum, & si dubitatur an sit mortuus penitus, potest ungi conditionaliter, ait Nau. quo suprà.

9 *Partes, quæ ungi debeant*

Subiectum propinquum, idest partes, quę propriè, & necessariò ungi debent, tanquam de essentia Sacramenti, sunt quinque organa sensus, scilicet duo oculi propter uisum, quę aures propter auditum, nares propter olfactum: os, propter gustum, & loquelam, & duæ manus propter tactum; quia in his locis uigent eorum uirtutes: & quamuis tactus sit dispersus per totum corpus, tamen in manibus magis uiget: ideo medici in his partibus pulsum tangunt. Sed in multis Ecclesijs mos est ungere quoque pedes, propter uirtutē executiuam, & renes propter uirtutem concupitiuam, quæ duæ partes non sunt ita necessariç tanquam de essentia, ut quinq; primæ: ita quòd si forte dimittatur, adhuc Sacramentum est perfectum, aliàs ubi ista non sunt in usu, non perficeret Sacramentum. Et certè unctio in renibus in mulieribus propter pudorem non est facienda, immò si facienda necessarium esset, potius fieri deberet in vmbillico, quia in fœminis talis uirtus concupitiua in vmbillico uiget, iuxta illud Iob. ca. 40. potestas uiri in lumbis eius, ita appetentia mulieris in vmbilico est. Neque obstat decretum Cōcil. Florentini, ubi omnes septem partes connumerantur, quia intentio Patrum ibi non est, omnes illas tradere tāquam de essentia; nam si ita esset, ubiq; sic obseruaretur, quod est falsum, sed eorū intentio fuit approbare ipsum ritum ubi uiget, & fortè peccatum esse, sine ratione illas partes relinquere, sed si relinqueretur al qua illarum quinque sensuum, non

non solum esset peccatum mortale, uerum etiam, non diceretur Sacramentum ministrasse. Sed hic quæritur, si aliquæ istarum partium deficiunt, puta infirmus est cæcus, uel surdus etiam à natiuitate, unde per illas non potuit peccare, nihilominus vngendæ sunt, quia etsi per illa organa exterius non peccauerint, peccare tamen potuerunt per internas potentias. Et si sint manibus trunci, aut claudi, sunt tamen ungendi in partibus proximis, quibus illa membra respondent. Fundamentum potissimum prædictorum est mos Ecclesię vniuersalis, qui vbique sic obseruatur. Verum D. Thom. & Franciscus de Mairone, in 4. distinctione prædicta, rationem congruentię sic assignant. Hoc Sacramentum datur per modum spiritualis medicamenti, ergo ex medicamenti corporalis similitudine, eius forma ducenda est. In corporalibus autem, licet totum corpus infirmi langueat, tamen medicamentum non applicatur, nisi illi loco, vbi radix infirmitatis est, puta ubi est vulnus, uel dolor. Radix autem peccatorum, quę animam aggrauant, est triplex, scilicet, potentia cognoscitiua, appetitiua, & executiua, horum principalior est cognoscitiua, quia appetitiua ab illa mouetur, & executiua ab appetitiua excitatur, sed cognoscitiua à sensibus mendicat, quia teste Arist. 3. de Anima. Omnis nostra cognitio ortum habet à sensu: ergò quantum ad essentiam Sacramenti attinet, quinque organa sensus sunt vngenda, reliqua duo, ad melius esse.

De causa efficienti.

Finis, teste Arist. 2. Phys. est duplex, scilicet gratia cuius, & finis cui, quantū ad primum, est aduertendum, quòd sicut qui in hoc mundo peregrinantur per aliqua loca periculosa, quattuor rebus potissimum indigent. Primò ab oneribus alleuiari, vt iter facere facilè possint. Secundò secum confortantia habere debent, ut in uia recreari queant, ne in itinere deficiant. Tertiò ut timore inimicorum muniti, & ita armati incedant. Quartò, ut sint associati. Ita in proposito, Christianus in hac uita peregrinatur, non habens Ciuitatem permanentē, sed futuram inquirit: dum autem de hac uita ad Cęlestem patriam discessurus est, quattuor rebus præcipuè indiget, primò, ut peccatorum animam aggrauantium sarcina alleuietur, illam per Confessionem exonerando. Secundò ut confortetur, Communionis viaticum accipiendo, ut fecit Elias, qui ambulauit in fortitudine cibi illius, qui fuit Eucharistię typus, vsque ad montem Dei. Tertiò vt contra hostes inuisibiles, & inimicos humanæ naturæ armetur ungendo singula membra, ut dixi, sacra vnctione, qua anima disponitur, ut securius incedat & roboretur, ut uirilius luctetur cum hoste maligno in puncto mortis, tanquā fortis athleta, ut faciebant antiquitus, dum luctabantur, ungebantur. Quartò ut orationibus Sacerdotum in commendatione animæ, eius anima commendetur Christo, ut Sanctis Angelis, & animabus iustis associetur. 10 *Christianus discessurus è vita, quatuor indiget.*

Quantum ad secundum. i. effectus, quos operatur circa dignè suscipientem, est etiam aduertendum, quod effectus sunt in duplici differentia, quidam sunt propinqui, & quidam remoti, & propinquorum vnus est principalis, alter secundarius, & minus principalis, sicut enim Baptismus ad gratiam regenerationis, per quam originale deletur, & Eucharistia ad gratiam nutritionis spiritualis principaliter instituta sunt, deinde ad alios effectus, ut diximus suo loco, ita hoc sacramentum institutum est ad gratiam medicandi, sanandi, & abstergendi peccatorum reliquias, & uestigia, seu cicatrices in anima relictas post uerā con- 11 *Principalis effectus.*

mitionē quę est pronitas, & inclinatio ad malè operandum, & ineptitudo, languor, & debilitas ad benè operandum: quibus sanatis, animâ infirmi alleuiatur, & subleuatur, ut morbi incommoda, & labores leuius ferat, ac confirmatur, ut ad magnam diuinæ misericordiæ fiduciam habendam, contra dæmonis tentationes, quas in fine vitæ parat, facilius resistendo, excitetur. Quod autem eius principalis effectus sit hic, probat D. Thom. in 4. Sent. ex sufficienti diuisione, hoc modo: Cum hoc Sacramentum institutum sit ad remissionem peccatorum, ut ex Iacobi verbis habetur, & peccatū non remittantur, nisi, uel quo ad culpā, uel quo ad pœnam, uel quo ad reliquias relictas, ut dixi; hoc non remittit per se culpam mortalem, quia culpam mortalem remittere pertinet ad Sacramentum pœnitentiæ, & duo Sacramenta non ordinantur principaliter ad eundem effectum. Nec remittit originalem, quia hoc pertinet ad Baptismum. Nec venialem, ut multi volunt, nullum enim sacramentum ordinatur per se primo ad remissionem venialium: quod probatur: Omne Sacramentum est causa gratię per quam operatur suum præcipuum, & principalem effectum, sed ad remissionē culpæ uenialis non opus est infusione gratię, quia tale peccatum manet cum gratia; sed ad eam delendam sufficiunt sacramentalia; ergo ad deletionem venialium non opus est instituere particulare Sacramentum; vnde consequenter sequitur, hoc Sacramentum principaliter non ordinari ad illa. Præterea etsi peccata uenialia non sint materia necessaria pœnitentiæ, possunt tamen illi subijci, & per pœnitentiam deleri: & ideo non fuit necessarium ad eorum deletionem Vnctio extrema, ut dictum est. Neque hoc Sacramentum principaliter ordinatur ad deletionem pœnæ, nam in Sacramento pœnitentiæ, dum culpa remittitur, condonatur aliqua pars pęnæ uirtute Sacramenti, & secundum mensuram contritionis, reliqua in purgatorio deletur, non ergo hoc Sacramentum ordinatur ad illam. Relinquitur dicendum, vt ad reliquias peccatorum ordinetur, pro quibus aliud remedium non est institutum, nisi hoc Sacramentum quod ex eius forma perpendi potest, dicitur enim, Indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti, per uisum, auditum, &c. non dicit limitatè, quidquid uenialiter deliquisti, sed simpliciter, quod ad mortalia referri debet, sed hoc non intelligitur quo ad culpam, uel pœnam, ut dictum est, ergò intelligitur quo ad reliquias relictas. Qui effectus producitur in vltimo instanti prolationis formæ vltimæ vnctionis quinque sensuum, & ideò, ut supià dixi, nisi omnes illæ quinque partes vngantur, non erit dicendum Sacramentum, & consequenter gratiam Sacramentalem non conferret. Ex dictis iudicari potest, quam proficuum sit, hoc Sacramētum applicare, dum infirmus sensibus uiget, ut hos spirituales effectus sentire possit.

Effectus secundarius. Secundarius, & minus principalis effectus est, infirmum ab ægritudine liberare, quem effectum etsi semper non inducat, non est mirum, pertinet, enim ad quodcunque Sacramentum, secundarios effectus, quantum est ex sua natura, inducere, si talis dispositio manet: ita in hoc, & maximè quando infirmitas ex peccatis prouenit, ut remota causa, remoueatur effectus: quod si semper non fit, prouenit, uel quia non expedit saluti animæ infirmi, quod relinquitur iudicio Dei, qui sua infinita sapientia omnia præuidet: uel quia tanta esse potest infirmitas, ut illud iuuamen non sufficiat; non enim, ut dixi, operatur per modum miraculi, sed per modum medicaminis adiuuando naturalia: quod etiam accidit in aliquo alio Sacramento: in confirmatione namque, etsi detur gratia ad corroborandam fidem, ut eam confiteatur coram tyranno; tamen tanta potest esse timiditas hominis, ut illa gratia Confirmationis non sufficiat: uerum ceteris paribus magis resistit cum illa, quàm sine illa: ita dico in proposito: ceteris paribus facilius

facilius sanitatem recuperaret inunctus, quam si non ungeretur, ait Sotus in 4.dist.23.q.1.artic.2. Et si in primitiua Ecclesia multò plures per hoc Sacramẽtum sanabantur, quam modo, hoc fuit, diuina prouidentia factum, ut Gentiles, & Iudæi, tali beneficio allecti, promptius Religionem Christianam susciperent: ut etiam in Confirmatione ad corroborandam fidem, gratia Spiritus sancti uisibiliter accipiebant, ita ut promptè martyrium susciperent: quod credo, non ita feruenter his temporibus martyrium acciperent, si Ecclesia persecutionem pateretur;

Effectus remoti sunt gratiæ augmentum, remissio uenialium, & quandoque mortalium, de quibus conscientiam non habet, uel obicem non inuenit; circa quos effectus conuenit cum alijs Sacramentis: posset.n. accidere, ut infirmus præoccupatus graui morbo, nec confiteri, nec communicare posset, habens tamen contritionem, quam aliquo signo ostendere posset, inungi potest, & multo magis si Sacramenta petiit: & tunc si casu non est perfectè contritus, sed attritus ea attritione, quæ putatur contritio, ut declaraui in prima parte Summæ, tunc dico, uirtute Sacramenti, ex attrito fiet contritus, & consequenter ex ui Sacramenti peccata mortalia, dimittentur: & hoc modo intelligendum est, hoc Sacramentum dimittere mortalia, scilicet per accidens, & non per se, ut ait D.T. in 4. Senten. & post eum Nauar. c.22. nu.13. Vnde Iacobus loquutus fuit conditionaliter, scilicet (si in peccatis sit) idest quatenus opus est, ut dixi, remittentur ei: quia uia ordinaria, qui inungitur, supponitur, quod per confessionem, & communionem purgatus sit à mortalibus: sicut enim nõ medicatur mortuus, sed qui languet uiuus, ita non inungitur, qui mortuus est in peccatis per obstinationem, uel aliam imperfectionem culpabilem; sed q aliquo pacto per ea languet, ut dixi. Et quamuis hoc Sacramentum necessariũ non sit; quia supponit contritionem, & iam per alia Sacramenta gratiam habuisse: utile tamen satis est, ut uidistis circa eius effectus, nec quidem peccat, qui simpliciter illud negat pro se, uel suis; nisi illud refutet per contemptum, tam pro se, quam pro famulis, seruis, filijs, & aliis de eius potestate, quia tunc mortaliter peccat; & multo magis, qui male sentit de hoc Sacramento, cõtra Concilium Tri. quia incurrit excommunicationem: peccat etiam, qui illud suscipit in peccato mortali. Ritus ministrãdi hoc Sacramentũ, hic esse debet, primo ægrotus sua deuotione presbyterum uocare debet, quod insinuatur per illud uerbum (inducat) dicit etiam presbyteros in plurali ad denotandum, quòd plures esse deberent, non in ministrando, ut faciebant quidam, scilicet unus ungebat, & alter uerba dicebat; quia hoc modo non est Sacramentum; sed ut multorum orationibus abundantius adiuuetur, quod si fieri potest, sint saltẽ duo, curatus, scilicet, uel eius delegatus, & associans eũ adiuuans in orando, & nõ ministrando; unus enim debet ungere, & uerba proferre, debent etiam ambo simul concurrere, itaque si primum ungatur, deinde uerba proferuntur, uel econtra, nihil fiet; ut de forma baptismi diximus.

Effectus remoti.

Hoc Sacramẽtum necessarium non est, sed utile.

Ritus huius Sacramenti.

Vnctio, et uerba debent simul concurrere.

De iteratione huius Sacramenti.

Pro complemento huius Sacramenti quæritur, an sit iterabile? Dicunt aliqui, quòd non: ait enim Augustinus in libro contra Parmenianum, quòd omnibus Sacramentis debetur maxima reuerentia, & qui iterat idẽ Sacramentum, iniuriam facit Sacramento, ergò iteranda non sunt. Sed quia multa 11

iterari uidentur, hinc Magister dicit, Augustinum loqui de baptismo, Confirmatione, & Ordine, quæ imprimunt characterem; quæ autem characterem non imprimunt, iterabilia sunt.

Pro istorum intelligentia, notãdum est: Sacramenta esse iterabilia, stat duobus modis; uel respectu effectuum, quos producunt, uel respectu materiæ, circa quam exercentur. Respectu primi, nullum Sacramentum est iterabile, sicut enim applicato Sacramento Baptismi super puero, idest prolatis debitis uerbis cum applicatione materię super puero, in tali actu producitur efficax effectus Sacramenti, ita, ut non opus sit illud iterare (& si defectu alicuius partis essentialis, idem Sacramentum replicatur, illa replicatio, non dicetur iteratio, sed noua ministratio, quia primum non fuit Sacramentum) ita in sacramento pœnitentiæ, data uera absolutione super sufficienter contritio peccata, delentur itaque ita est uerè absolutus, ut non indigeat alia absolutione, ita etiam in extrema unctione dicendum est; facta ultima unctione. Et in Eucharistia prolatis uerbis consecrationis super debita materia, cum uera intentione, sufficienter, & indubiè producitur effectus consecrationis; idest ex pane fit Corpus, & ex uino fit Sanguinis Christi, ut nõ oporteat illam materiam reconsecrare, & qui bis formam consecrationis super eandem materiam diceret, in secunda nihil faceret, ac si bis Baptismum super eundem applicaret, & ita de reliquis dicendũ est; quia eadem est ratio in omnibus. Declaratur hoc in artibus mechanicis, uidemus enim, quod artifex ictum instrumenti iterat; quia per primum non sufficienter fecit effectum, quem intẽdit; ubi autem effectum intentum inducit, cessat operatio, puta trahens serram, si primo lignum scinderet, non iterum traheret, ubi scissum est, non amplius trahit. Similiter in naturalibus; agens non potens inducere effectum unica actione per plures alteratiuè inducit, ubi autem generans in instãti formam producit, non iterat actionem: ita est in proposito, Sacramenta enim in ultimo instanti prolationis formę producunt indubiè suũ effectum: itaque hoc modo, omnia Sacramenta nouæ legis eadem ratione sunt æqualiter initerabilia.

15 *Omnia Sacramenta esse iterabilia, quomodo intelligendum est.* Respectu materiæ circa quam, idest subiecti circa quod Sacramentum exercetur, dicitur, circa eandem materiam non iterabilia, circa autem diuersam, & uariam materiam omnia sunt iterabilia, quod probatur inductiuè, sicut enim Baptismus iterari non potest super eundem Baptizatum, sed super alium & alium non Baptizatum, ita Consecrationis forma super eandem materiam iterari non potest; super aliam, & aliam. Ita etiam dum uiuunt ambo coniuges, quia uinculo indissolubili coniuncti sunt, amplius matrimonium contrahere non ualent: sed altero illorum mortuo, qui superest, cum altera matrimonium iterare potest, quia mors uinculum dissoluit. Hoc idem probatur in Extrema Vnctione: cum enim sit medicina spiritualis, & corporalis, ut suprà dictum est, quoties aliquis de nouo infirmatur, toties medicari potest, & oratio super infirmum iterari, itaque sicut oratio iterari potest, ita etiam & unctio sacra: utrunque enim commemorat Iacobus: quia si morbus cohiberi non potest, cui medicina prohiberi debet, unde cum materia huius Sacramenti sit homo, non simpliciter, sed infirmatus ad mortem, ut dictum est, quoties homo infirmatur ad mortem, toties iniungi potest. Hinc fit, ut dum eadem infirmitas durat in eodem mortis statu, & periculo, semel unctus, amplius inungi non debet, ratione prędicta; si autem ab illo periculo mortis liberetur, melius se habens, & conualescens; si postea reincidat in simile periculum, & mortis statum: quamuis eadem infirmitas perseueret, & à lecto non leuetur, in illa melioratione, & conualescentia, potest iterum oleo sancto ungi: quia in alio, & alio mortis statu, & periculo, dicitur alia, & alia materia,

materia, circa quam exercetur Sacramentum: sicut in alio, & alio homine Baptismi Sacramentum iterari potest.

Si res ita se habet, scilicet omnia esse iterabilia, & initerabilia, cur ergo Magister, & omnes Theologi dicunt, quattuor esse iterabilia, & tria minimè? potius dicere deberent, omnia, ut sic, esse iterabilia, & omnia, vt sic, minimè. Præterea exemplum de Baptismo non videtur currere; nam Baptismus reiteratur alteri, & alteri homini, sed extrema vnctio eidem. Responsio ex dictis colligi potest, sed pro maiori intelligentia nota; quod omnium Sacramentorum Nouæ Legis subiectum est homo; sed eorum, quę secundum Doctores initerabilia dicuntur, subiectum est homo: simpliciter consideratus: puta subiectum Baptismi est homo sub simplici, & nudo esse consideratus, unde quomodocunque postea uarietur, ex quouis superueniente respectu, semper dicitur esse eadem materia Baptismi, circa quam. unde super illam iterari non potest, & quod dico de Baptismo, intelligendum est de Confirmatione, & Ordine: & ideo ista tria dicuntur à Doctoribus simpliciter initerabilia. Reliquorum Sacramentorum subiectum est homo non simpliciter consideratus, sed sub aliquo respectu, quo uariato materia circa quam dictorum Sacramentorum variari dicitur, & diuersa efficitur; quamuis idem homo maneat sub illis diuersis respectibus, puta sacramenti pœnitentiæ materia remota sunt peccata, & materia propinqua est homo in actu pœnitendi dum confitetur, itaque quoties idem homo de nouo peccat, & de nouo pœnitet, & confitetur, toties dicitur noua materia, & nouum subiectum Sacramenti Pœnitentiæ: quamuis sit idem homo simpliciter consideratus; & ideo quoties uariantur respectus, toties iterari potest. Idem etiam dicitur de extrema unctione, quamuis enim idem homo, sit qui pluries ungitur, tamen non ungitur, nisi sub diuersis respectibus, idest diuersis infirmitatibus periculosis, quæ diuersa pericula, eundem hominem esse faciunt diuersam materiam sacramenti, ut paulo suprà diximus. Ita quoque de matrimonio dici potest, homo enim est subiectum matrimonii non simpliciter consideratus, sed cum tali respectu, scilicet sub ratione, qua vinculum habet coniugale, mediante uoluntate contrahendi, quod vinculum durat, donec durant coniuges in uita; itaque si alter illorum moriatur, dissoluitur uinculum matrimonij, ut non remaneat amplius matrimonium: quo fit ut idem homo cum altera nouo vinculo copulari possit, & ita sub alio respectu dicitur aliud subiectum, super quo matrimonium iteratur. Quantum ad Eucharistiam, illa in se non est iterabilis, scilicet respectu formæ consecrationis super eandem materiam, secundum quam habet rationem Sacramenti; sed dicitur iterabilis respectu vsus, circa eundem hominem, secundum quem vsum non habet rationem Sacramenti. Ad dubium ergo dico, quòd Doctores intelligunt, quattuor hæc Sacramenta esse iterabilia, considerando hominem simpliciter, secundum quam considerationem potest pluries idem Sacramentum suscipere, & non sub diuersis respectibus, ut dixi, quibus durantibus, in identitate numerali, idem Sacramentum iterari non potest, sed dum multiplicantur; quia illis multiplicatis idem homo efficitur alia, & alia materia sacramenti.

Cum dicatur quattuor Sacramenta tantū iterabilia.

Potest assignari alia ratio, scilicet tria prædicta Sacramenta sunt initerabilia: quia habent effectum perpetuum, ratione characteris, quem imprimunt indelebiliter, & ideo si attendas ab baptismum delet originale, quo non redit, quocunque actu inordinato: sed si pœnetentia delet mortale, morta e tamen redit per nouum actum deordinatum, si attendas ad Confirmationem, dat robur, & confirmat fidem, quæ non amittitur, etiam per apostasiam, ita vt indigeat nouo Sacramento, sed tantum nouo actu credendi, virtute chara- *2. Ratio.*

ćteris, sed uinculum matrimonij amittitur per mortem alterius, potestas etiam in ordine non aufertur quocunque actu contrario, sed effectus Extremæ Vnctionis, scilicet sanitas animæ, & corporis amittitur per contrarios actus, ideo ista sunt iterabilia.

Plures instantia.

14 Sed dubium est de Sacramento Pœnitentiæ, quia vsu uenit in Ecclesia iterari super eandem materiam, dum pœnitens eadem peccata semel confessa, & remissa, iterum confitetur, ut facere solent qui generalem confessionem faciunt, repetendo præterita peccata, aliàs confessa, & dimissa, propter quod aliqui dicere uoluerunt, pœnitentiam quandoque habere efficaciam super eadem peccata legitimè, & sine aliquo defectu, semel confessa, & absoluta, ut in prima parte Summæ de iteratione confessionis locuti sumus, non amplius indigent pœnitentia, quia absolutio nullam efficaciam habet super illa, nam prima absolutio, uel habuit super peccata totam efficaciam, uel non. Si primum concedis, secunda absolutio nil operatur super eisdem. si negas, tu derogas dignitati, & efficaciæ sacramenti, quod est erroneum. Ad quid ergo ordinatur illa generalis confessio? Dico, quòd sit propter dubium, an præcedentes confessiones fuerint validæ, ob defectum iurisdictionis alicuius Confessarij, fortè non potentis absoluere ab aliqua excommunicatione incursa, vel casu reseruato, oblito, & ideo in magnis Iubilæis, ubi datur ampla facultas absoluendi, istæ generales Confessiones fieri solent. Extra hoc dubium, fiunt ad deletionem maioris pœnæ debitæ, ratione humilitatis, uel ad maiorem gloriam ratione meriti, quod non accidit in alijs Sacramentis.

Generalis cōfessio ad quid iuuet quando peccata aliàs confessa replicantur.

Et hęc de Sacramento Extremæ vnctionis sufficiant.

Finis Septimi Capituli.

SVM-

SVMMARIA SEQVENTIS CAP. VIII.

1 *ORdinis Sacramento filij spirituales in Dei Ecclesia procreantur.*
2 *Ordo unde dicatur; & quid sit ordo ecclesiasticus.*
3 *Ordines Ecclesiastici quot sint; & quid de ordine episcopali; & de prima tonsura.*
4 *Septem ordines an omnes sint Sacramenta.*
5 *Quid ad quoscunque ordines pertineat.*
6 *Pręcipuus inter septem ordines est ordo Sacerdotalis.*
7 *Clerica in secularibus quid denotent.*
8 *Omnis episcopus ritè factus, potest conferre omnes ordines etiam si esset hæreticus præcisus ab ecclesia, vel schismaticus, & quare.*
9 *Forma Sacramenti Ordinis.*
10 *Materia Sacramenti ordinis quæ sit: & de cuiusque ordinis materia.*
11 *An tangere materiam, quam tradit Episcopus in ordinando, sit de essentia ordinis.*
12 *Effectus Sacramenti ordinis quis sit.*
13 *Qui sint inhabiles ad ordines suscipiendos.*
14 *Fœmina non est capax alicuius ordinis, ut & multi alij ibid. enumerati.*
15 *An ordinatus in Subdiaconum ante usum rationis, teneatur obseruare castitatem.*
14 *Illegitimorum diuersitas, & quis cum eis dispensare possit.*
17 *Bigami sunt inhabiles ad ordines suscipiendos, & quid sit Bigamia, & quotuplex.*
18 *Quæ ætas requiratur in ordinandis.*
19 *Corpore vitiati prohibentur ordinari, & quare; & quid de unoquoque membro.*
20 *Qui sibi sponte virilia amputat, vel amputare facit, fit irregularis, & inhabilis ad sacros ordines suscipiendos.*
21 *De cooperantibus in mortem alicuius multa scitu digna: ac etiam de multiplici homicidio.*
22 *Neophiti, infames, &c. prohibentur ordinari.*
23 *Quidam casus cum eorum resolutionibus de intrantibus Religionem.*
24 *Tempora, in quibus possunt conferri ordines, & de ordine in hoc tenendo, ac de idoneitate suscipientium.*
25 *Ministrans in ordine non suscepto, incurrit irregularitatem; quod intelligitur de ordinibus sacris.*

DE SACRAMENTO ORDINIS.

Cap. VIII.

1 *Ordinum decentia in Ecclesia.*



Expeditis quinque Sacramentis, quæ ad uitam hominis spiritualem pertinent, quantum ad propriam cuiusque particularis Christiani personam: reliquum est uidere de alijs duobus, quę ad eundem pertinent, quantum ad communitatem, & totus Reipublicæ Christianæ commodum. Et primo de Sacramento Ordinis, quo filij spirituales in Dei Ecclesia procreantur. Decentissimum quidem fuit, esse ordines in Ecclesia; Deus namque cum sua opera spiritualia homini communicare uoluerit; quæ à nobis capi non ualent, ad similitudinem operum naturalium ea producere placuit, vt per hęc inferiora
6 nobis familiaria, ad superiorum cognitionem duceremur. Iuxta illud Pauli ad Rom. 1. Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Qua de re, sicut in illa supercælesti hyerarchia talis est ordo, ut mentes inferiores, per superiores, illuminentur, ita in hac Ecclesiastica hyerarchia, talis etiam ordo illi supercælesti conformis esse conuenit: ut ait Dionysius Areopagita.

2 *Ordo unde dicatur.*

Qui ordo consistit in quibusdam gradibus officiorum Ecclesiasticorum. Et meritò gradus isti, ordines dici debent: nam teste Cicerone, cum in Republica ciuili essent quidam ordines, quibus omnia benè disponebantur: unde illud Vulgatum. Rempublicam tunc se benè habere, cum vnusquisque suum seruauerit ordinem. Hinc patres sancti, per anthonomasiam gradus Ecclesiasticos, ordines uocare uoluerunt.

Ordo quid sit.

Est igitur, secundum Magistrum distinct. 25. ordo Ecclesiasticus, signaculum Ecclesiæ, idest Sacramentum, quo signaculum characteris imprimitur; per quod Sacramentum quædam spiritualis potestas traditur ordinato, ad sacrosanctum corpus Christi consecrandum, uel illi ministrandum. Dixi (Ministrandum) propter alios ordines, qui Sacerdotio deseruiunt: sicut enim in corpore naturali diuisa sunt officia membrorum, ut aliud sit officiũ oculi, aliud manus, & aliud pedis; ita in corpore mystico Ecclesiæ splendent diuersa officia, ut ait Paulus ad Corinth. 1. quæ omnia ordinantur ad ministrandum Sacræ Eucharistiæ.

Quot sint ordines in Ecclesia.

3 Ordines, ut Isidorus, scribendo ad Gotthifredum: & habetur distinct. 25. Canon. Perlectis, nouem esse, ait, iuxta numerum ordinum Angelorum: cuius opinionem sequuntur Maior, & Franciscus de Mairone; nam ultra illos, quos ponit Magister Sentent. distinct. qua supra, ponit Psalmi statum inter minores, & Episcopatum inter maiores. Sed dictus Magister quem sequuntur tota schola Theologorum dicunt esse septem: iuxta numerum

donorum

donorum Spiritus sancti. Hęc autem sunt Ostiarus, Lector, Exorcista, Accolitus, Subdiaconus, Diaconus, & Presbyter. Omnia ista aliquo modo in suis officiis respiciunt S. Eucharistiam. Sed Psalmi status nullam habitudinem ad S. Eucharistiam habet; sed est officium, quod etiam per laicos fieri potest. Nec ordo Episcopatus ad sacram Eucharistiam ordinatur, est enim officium, iurisdictionem habens super corpus Christi mysticum, & non super corpus & sanguinem proprium, propter quod Christus duodecim Apostolos ordinauit, quibus succedunt Episcopi: deinde alios septuaginta duos, quibus succedūt presbyteri. Itaque Episcopus est quidem ordo in Ecclesia, ut ait Nauar. imprimens etiam characterem, ut ait Francis. de Mairo. quod patet: dum Papa deponeret Episcopum, & postea eidem pęnam condonaret, & ab Episcopatum reintegrare uellet, non opus esset ipsum iterū consecrare: ueruntamen non est Sacramētum ordinis, ut ait Sotus, contra prędictos: sed est tantum ordo officii, & dignitatis, ut dictum est, suprà dignitatem presbyteri. Prima tonsura neque est ordo, sed est quędam emancipatio ad Diuinum cultum, & ad ordines præambulum, quod officium ordinatè, & ritè facere nequit.

Episcopatum esse ordinem quomodo intelligatur.

Prima tonsura non est ordo.

An omnes septem ordines sint Sacramenta.

SEd nunquid omnes septem prędicti ordines sint Sacramenta, & à Christo instituta, ita ut gratiam conferant, & characterem imprimant difficultas est, propter uariè circa hęc opinātes. Aliqui namque dicunt, solum Sacerdotium esse Sacramentum. Alii omnes tres sacros ordines, quattuor autem ordines minores esse Sacramentalia. Ceteri asserunt omnes septem ordines esse Sacramenta de quibus per ordinem breuiter dicemus.

Ordo Sacerdotalis, quod sit Sacramentum à Christo institutum, conferens gratiam, & imprimens characterem, nulli unquam dubium fuit: instituit enim illud Dominus in Cœna, Lucę 22. dum Apostolos ordinauit Sacerdotes; dicendo: Hoc facite in meam commemorationem. Reliqui ordines, quod non sint Sacramenta, probat Durandus, distinct. 24. quæst. 2. dicens: Quando plures actiones concurrunt ad eundem effectum, quarum una illum attingit, actio illa uerè dici debet Sacramentum, & reliquæ potius Sacramentalia; ut accidit in Catechismo, & Exorcismo respectu Baptismi; sed omnes alii ordines habitudinem habent ad sacram Eucharistiam quam non attingunt, sed disponunt ad illam; & solus ordo Sacerdotalis eam attingit, ergò ipse solus est Sacramentum. Secundò, per Sacramentum accipitur potestas simpliciter, uel suscipiendi, uel conferendi aliquem effectum: itaque sine illā potestate talem effectum, attentare, est nihil facere: puta, si sine Sacerdotio quis consecrare uellet, nihil faceret, sed in reliquis ordinibus non est ita: nam per Diaconatum, uerbi gratia, accipitur potestas legendi Euangelium, qui effectus fieri posset etiam per alium, qui talem ordinem non haberet; quamuis peccaret: & ita de reliquis dici potest; ergo non sunt Sacramenta. Tertiò Sacramenta nouę legis nemo alius instituere potest, nisi solus Christus, sed ceteri ordines, non legitur, quando fuerint instituti, nec fuerunt statim in usu in primitiua Ecclesia, sed successione temporis, ut etiam Magister affirmat. Quartò, liber Euangeliorum,

Durandus.

geliorum, & Epistolarum tempore Christi non erant in usu : & tamen est materia necessaria Sacramenti Subdiaconatus, & Diaconatus, ergò signum est, quod prædicta non fuerunt à Christo instituta ; & consequenter non possunt dici Sacramenta.

Qui tenent post Sacerdotium, solos Diaconatus, & Subdiaconatus ordines esse Sacramenta, de quorum numero est Sotus, in 4. dist. 24. quæst. 1. artic. 4. Respondent 3. & 4. argumentis: & primò, quo ad Diaconatum, dicunt, ipsum esse antiquissimum in Ecclesia, auctoritate Dionysij Areop. qui de illo meminit. Immò quod maius est, Paulus Epistola 1. ad Timotheum c. 3. ait: Diaconos similiter oportet esse pudicos, non bilingues, non vinolentos, non turpe lucrum sectantes, quod confirmatur: nam Actuum 6. legitur Apostolos septem Diaconos ordinasse; quorum primus fuit Stephanus, signum est, quod hic ordo à Christo fuerit institutus: & quamuis de Subdiaconatu non habeatur ita antiqua memoria expressa, sed in successu temporis, tamen sub nomine diaconorum intelligebantur. Vel dicendum, quod ab Apostolis non ordinabantur propter inopiam clericorum: unde diaconus utrumque officium tunc faciebat: eo maximè, quod tunc missa non ita sollemniter dicebatur. Vnde credendum est, à Christo fuisse institutũ, ut institutus fuit Diaconatus. Quod auctoritate Ecclesiæ confirmatur, quæ inter sacros ordines connumerat eum, & continentiæ, & officii recitationes: ut duo reliqui obligationem habet: quamuis Glo. in c.... dicat hoc in successione temporis ab Ecclesia ordinatum fuisse, quod non probat: & ideo ambo Dalmatica, & Manipulo utuntur. Ad quartum argumentum, de libro dicitur, quòd fortè Apostoli utebantur carta scripta, prout illis temporibus Missam dicebant. Reliqui autem ordines, dicunt isti, cum dicantur minores, & ad nihil supradictorum obligent: immò sine dispensatione matrimonia contrahere sinunt, non censentur esse Sacramenta, & cum exerceri possint in mortali peccato, sine obligatione noui peccati mortalis, quod supradictis ordinibus non licet, non conferunt gratiam, nec characterem imprimunt: & multo magis, quia conferri possunt à simplici Sacerdore, ex Papæ commissione, non sunt Sacramenta.

D. Tho. Bonauent. Io. Bacconus. Qui tenent, omnes ordines esse Sacramenta, ut D. Thom. in 4. dist. 24. quęst. 1. artic. 2. Bonauent. Io. Bacchonus eadem dist. & Syluest. Verbo, Ordo, 1. respondent. Et primo Magister dicit, quod quattuor ordines minores, tempore procedente Ecclesia instituit: sed quomodo Ecclesia hoc facere potuit? Respondet Franciscus de Mairone eadem dist. hoc factum fuit reuelatione Spiritus sancti, ut de forma baptismi in primatiua Ecclesia fecisse dicitur. Vnde ad argumentum, Ecclesia auctoritate propria, Sacramenta instituere nõ ualet: sed instinctu Spiritus sancti, & auctoritate diuina, potest, quod fuit singulare in hoc Sacramento D. Thom. quo suprà, & alii dicunt, quod in institutione ordinis sacerdotalis, omnes ordines à Christo instituti fuere; huius ratio est; quia omnes ordines sunt unum Sacramentum, diuisio namque ordinis in septem gradus, non est, sicut totius integralis in partes integrales, nec totius uniuersalis in partes particulares, sed est totius potestatiui in suas partes, cuius potestatis plenitudo residet in principali parte; sicut enim omnia officia unius Regni continentur plenariè in Regia potestate, & nihilominus singulæ potestates singulis officijs distribuuntur, cum suis iuribus, etiam perpetuis, si Rex uoluerit; & sicut anima intellectiua est plenitudo omnium potentiarum; ita in Sacerdotio est plenitudo totius Sacramenti ordinis: & cum hoc stat diuersitas ordinum, seu graduum ordinis ad diuersa officia deputatorum: unde non excluduntur à ratione Sacramenti, & consequenter omnes characterem imprimunt: Quod licet Sotus, quo suprà, neget; nos autem id confirmamus au-

ctoritate

toritate Ecclesiæ ita tenentis;ut in Sacro Conc.Trid.Seff.23.c.17. de refor. declaratur, & in Pontificali Romano nuper reformato, in marginibus exprimitur. Ad duas primas rationes Durandi respondetur. Quamuis alij ordines ad sacram Eucharistiam relati der proprios actus illam non attingant,non per hoc sequitur,quin sint Sacramenta;non enim sunt sicut Cathechismus,& Exorcismus,sed sunt quædam consecrationes,& dedicationes, per quas datur potestas ad quædam officia particularia,ut dictum est. Ad secundum dicitur, & si talia officia ab illis,qui non habent tales ordines,fieri possint, ut legere Euangelia, à non existente Diacono,tamen illa lectio non esset dignè lecta in Ecclesia,sollemniter,sine tali potestate,quæ datur ordine tali; per sacramentum enim ordinis in huiusmodi accipitur potestas quidem,non ad simpliciter legendum; q a hoc quisque facere potest,sed ad dignè,& ordinatè sollen niter legendum, cũ quadam idoneitate, sine quia incurritur pœna irregularitatis, & ita de ceteris ordinibus intelligendum est.

De officijs cuiusque Ordinis.

Officium Ostiarij.

RELIQVVM est nunc de eorum officiis dicere, ut Isidorus Hispalensis Episcopus ad Gothifredum scribendo ait,& habetur dist.25. Can. Perlectis, scilicet.

Ad Ostiarium pertinet claues Ecclesiæ,ut claudat,& aperiat templum Dei, & omnia, quæ sunt intus, & extra custodiat, fideles recipiat, & infideles & excommunicatos excludat: debet quoque campanam sonare, & librum prædicanti aperire. Et licet in Can. Episcop. De consecrat.distinct. 1.dicatur, neminem prohiberi debere Ecclesiam ingredi & uerbum Dei audire, usque ad offertorium: tamen hoc antiquitus erat in vsu, dum infideles ueniebant ad fidem: nunc autem non est permittendum, propter irrisionem. Videant ergo Clerici,quibus Ecclesiarum custodia traditur; quæ agere teneantur, ut sint zelosi de templi ueneratione, ne permittant eo immundos ingredi, & profana operari: discant à Domino, qui hoc officio usus est, quando flagello de funiculis facto ementes,& uendentes de templo eiecit.

Officium Lectoris.

Ad Lectorem pertinet lectiones pronunciare, legere, & canere, quæ in Matutinis leguntur; & quæ Prophetæ vaticinati sunt, populo denunciare, & prædicare, non iam vaticinando, sed legendo tantum: studere ergò debent, ut verba Dei, idest lectiones sacras distinctè, & apertè legant ad intelligentiam, & ædificationem populi, absque omni mendatio, & falsitate proferant; ne diuinarum lectionum veritas eorum incuria, ad instructionem audientium, corrumpatur. Hoc officium exercuit Iesus, dum in medio seniorum librum Esaiæ aperiens, distinctè ad intelligendum legit.

Officium Exorcistæ.

Ad Exorcistam pertinet,exorcismus memoriæ tenere, manusque super Energumenos,& Cathecumenos in exorcizando imponere,eos adiurando,& nomẽ Domini inuocando, vt Spiritus immundus exeat ab eis; debetque populo dicere, qui non communicat, det aliis locum. Aquam in ministerio fundere. Studere igitur debent, ut sicut à corporibus aliorum Dæmones expellunt, ita à mentibus, & corporibus suis omnem immunditiam, & nequitiam eijciant. Hoc officio usus est Iesus, quando saliua sua tetigit aures,& linguam surdi,& muti;& dicens,effeta,quod est adaperire:propter quod datur intelligi, spiritua-

spiritualiter debere aperire corda hominum, vt expulso Dęmone de corde suo, Spiritussanctus ingredi possit, & ibi habitare: Exorcista enim Græcè, Latinè dicitur adiurator, vel increpator.

Officium Accoliti. Ad Accolitum pertinet, luminaria præparare, & accendere in Ecclesia, cæreum portare, dum legitur Euangelium, & sacrificium offertur, ad demonstrandum signum lætitiæ. Vnde Accolitus Græcè, Cęroferarius Latinè dicitur, uinum, & aquam ad ministerium Sanguinis Christi ministrare, illaque Diacono præsentare. Studeant ergo susceptum officium dignè implere; non enim Deo placere poterunt, si lucem Deo manibus proferentes, operibus tenebrarum inseruiant.

Officium Subdiaconi. Ad Subdiaconum pertinet calicem, & patenam ad altare deferre, & Diacono tradere; eique ministrare, ideò Subdiaconus dicitur, eo quòd subiacet officio, & præcepto Diaconi. Ampullas, seu vrceolos cum uino, & aqua ei porrigere, manutergium, & peluim tenere, pro lauandis manibus, cum aqua ante altare: Diacono, vel Presbytero præbere, pallas altaris, & corporalia abluere, uerùm in alio uase lauari debent pallæ, & in alio corporalia: & in uasis ubi Corporalia, & pallæ lotę fuerint, nullum aliud linteamen lauari debet, & ipsa lotionis aqua in baptisterium mergi debet. Studeant itaque, ut ista uisibilia ministeria, quæ diximus, nitidè, & diligentissimè complentes, inuisibilia horum exemplo perficiant.

Ordo unde dicatur sacer. Hic est primus ordo, qui Sacer uocatur, ratione sacræ materię, circa quam eius officium exercetur. Cui pręcipitur lex continentiæ, quia propinquantes ad altare, & uasa corporis, & sanguinis Domini portantes, mundi esse debent: pro quibus dicitur, Mundamini, qui fertis uasa Domini. Itaque hucusque sunt liberi, ut possint pro arbitrio ad secularia uota transire. Quòd si hunc ordinem suscipere uelint, amplius non licebit à proposito resilere, sed Deo, cui seruire regnare est, perpetuò famulari, & castitatem illo adiuuante, seruare oportebit itaque Ecclesiæ ministerio semper esse mancipatos: proinde dum tempus est, cogitare debent, si castitatem seruare poterunt, aliàs melius est nubere, quam vri. Et qui alio mundano proposito hunc ordinem suscipit, ne miretur, si aduersatur sibi Deus, & in malum finem incidat. Hoc officio usus est Dominus, quando linteo se præcinxit, & mittens aquam in peluim, pedes discipulorum lauit. Io. cap. 13.

Officium Diaconi. Ad Diaconum pertinet, celebranti Sacerdoti assistere, in patena, & calice ministrare; unde Diaconus Græcè, Latinè minister sonat: pertinet etiam in altario disponere, mensam Domini componere, & uestire, crucem ferre; prædicere idest legere Euangelium, & quandoque Epistolam, deficiente Subdiacono: ad ipsum quoque pertinet officium precum, idest litanias dicere; nomina baptizandorum, mortuorum, & excommunicatorum recitare. Can. Legum, 2. q. 1. præmonere populum, ut aures ad Deum habeant in benedictione Episcopi, quando dicit, humiliate uos ad sanctam benedictionem, donare pacem, dum dicitur Agnus Dei: annunciare festiuitates, & ministrare Presbytero in omnibus Sacramentis, & quandoque baptizare ex commissione. Cogitandum est igitur magnoperè, ad quantum gradum in Ecclesia ascendat Diaconus. Sanè in veteri lege ex duodecim una tribus Leui electa est; quæ speciali deuotione tabernaculo Dei, eiusque sacrificiis deseruiret: quod enim à Moise. Num. 4. factum est: hoc in nouo testamento repręsentatur. Vnde & Leuita dicitur, & ideo super leui humero ei stola ponitur; quia quidquid laboris in hac vita toleratur à Diacono, quasi in leua portatur, vt intelligat, se accepisse iugum Domini suaue; quod ponitur in sinistra, ad significandum se subijci Domini timori ideò, antequam ordinetur, probari debet in vita, & moribus, ut ministrans

strans

ſtans altari, nullum crimen habeat. Si igitur alienus à carnalibus deſideriis, & terrenis concupiſcentijs, quæ militant aduerſus animam: ſit item nitidus, mundus, purus, & caſtus, ſicut decet miniſtrum Chriſti. Hoc officium exercuit Chriſtus, dum poſt cœnam, Sacramentum Corporis, & Sanguinis diſcipulis diſpenſauit, & quando Apoſtolos in horto à ſomno excitauit, vt orarent, dicens, vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.

Ac presbyterum pertinet Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini in Altario Dei conſecrare, Orationes dicere, & dona Dei benedicere, præeſſe, prædicare, & baptizare. Cum magno quippe timore ad tantum gradum aſcendendum eſt, vt dignè illud ſuſcipiatur, ac ſuſceptum laudabiliter exequatur. Et ideò dum ordinatur inunguntur ei manus, ut intelligat, ſe accepiſſe gratiam conſecrandi, & charitatem, vt illius operibus ad omnes ſe extendat. Accipit etiam calicem cum vino, & patenam cum hoſtia, ut ſciat ſe accepiſſe poteſtatem ſe offerendi hoſtias Deo placabiles. Accipit quoque ſtolam quæ ponitur ſuper vtrunque humerum, ſignificans, ſe debere eſſe munitum armis iuſtitiæ contra aduerſa, & proſpera. *Officium presbyteri.*

Qualis eſſe debeat presbyter, Paulus ad Timotheum ſcribens, oſtendit: ubi nomine Epiſcopi presbyterum alloquitur, eo quod tunc temporis omnes presbyteri Epiſcopi erant. Et Auguſtinus narrans, quas conditiones presbyter habere debeat, dicit. Sacerdos debet eſſe alienus à peccatis & ſegregatus, rector, & non raptor, ſpiculator, & non ſpeculator, diſpenſator, non diſſipator, pius in iudicio, iuſtus in conſilio, deuotus in Choro, ſtabilis in Eccleſia, ſobrius in cœna, prudens in lętitia, purus in conſcientia, aſſiduus in oratione, humilis in congregatione, patiens in aduerſitate, lenis in proſperitate, diues in uirtutibus, ſapiens in ſermone, uerax denique in prædicatione. Et ideo uocatur presbyter, quod eſt nomen Græcum, Latinè dicitur ſenior, non propter ætatē ſenilē; quia iam in vigeſimoquinto anno Eccleſia ordinari permittit; ſed quia ſenex, morum prudentia, & virtutibus ornatus, conuerſationis maturitate, alios in populo præcellere debet. Vnde Sapien. 4. dicitur: Senectus venerabilis eſt, non diuturna, nec annorum numero computata, cani enim ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis, uita immaculata. Vocatur etiam Sacerdos; quia ſacrum dat, vel quia eſt ſacer Dux: ſicut enim Rex à regendo, ita Sacerdos à ſacrando dicitur. Aduertant igitur, qui Sacerdotium petunt, quique eos ordinant, & multo magis qui eos approbant. Hoc autem officio uſus eſt Chriſtus Dominus, qui eſt Sacerdos, & hoſtia, dum in ara crucis pro nobis peccatoribus ſe ipſum obtulit immaculatum Deo.

Habemus ergo ſeptem ordines, cum ſuis officiis, & miniſteriis; inter quos præcipuus eſt ordo Sacerdotalis, ut dictum fuit ſupra. Omnes autem prædicti generali vocabulo clerici appellantur. Verum qui prima tonſura initiati ſunt, propriè clerici dicuntur; quia in ſortem Domini deſtinati ſunt: cleros enim Græce ſors dicitur. Omnium autem clericorum inſignè eſt, coronam ferrè, quam Petrus primum portauit, in ſignum ſpineæ coronæ Domini. Corona etiam ſignificat Regale decus: quia miniſtri Eccleſiæ Reges eſſe dicuntur. teſte Petro, Vos eſtis genus electum, Regale ſacerdotium; eo quòd alios regere debent. Hodie quippe in Clericis ſecularibus non eſt in uſu, quia totum caput non tondunt; ſed ſolum in Religioſis; debent tamen clericam ſaltem ferre, ideſt capitis raſuram, ſeu ſummitatem capitis raſam, ſignificando, quòd eorum mens ad Dominum libera monſtretur. Denotat etiam contemplationem: & ideò conuerſi non raduntur, ſed tonduntur, quia ipſi non contemplant. Panormitanus ait peccare mortaliter non ferentes tonſuram, ſeu clericam in capit. Si quis, De uita, & honeſt. clericor. ſed hoc non eſt ſimpliciter intelligendum, 6 *Clerica quid ſignificet.*

ligendum, secundum Syluest. sed, dum contemptus interuenit, existentes autem in dignitate benè peccant mortaliter, ipsam non ferentes.

De caussa efficiente Ordinum:

VT autem sciatur, quę sint de essentia Sacramenti Ordinis, examinabimus omnia, quę in illo accidunt, per quattuor genera causarum, vt nobis mos est, & primò quantum ad causam efficientem, quæritur. Quis ordines conferre possit? Dicitur, Omnis, & solus Episcopus ritè factus, omnes ordines, de iure, & de facto conferre potest. Can. Presbyteris, dist. 68.

Dico (Omnis) etiam, Si esset Hęreticus, pręcisus ab Ecclesia, vel Schismaticus, verè ordines confert: verum, tam conferens, quam suscipiens ordines, in tali casu peccaret mortaliter, nisi suscipiens hoc ignoraret. Quòd aut ordinatus ab huiusmodi verè ordines suscipit, habetur, Can. Sicut semel, distinct. 68. & Can. Quamuis, de Consecratione, dist. 4. Eadem enim ratio est de ordine, vt de Baptismo, non enim sua propria potestate hoc faciunt, sed Christi, cuius vicem gerunt.

Sed dubium est, si hoc idem facere possunt hi, qui ab eijsdem Hæreticis ordinati sunt. Dicitur, quòd sic; nam dum verè ab hęreticis ordinati sunt, verè ordines susceperunt: quia facere intendebant, quod facit Ecclesia: ita & ipsi dum idem faciunt, verè ordines conferunt. Quòd verò ita conferentes mortaliter peccent, clarum est, quia contra præceptum Ecclesiæ faciunt, eis hoc prohibendo: Quòd etiam ordines suscipientes peccent, probatur: nam qui se submittit ab eo ordinari, cui interdicta est ordinatio, eius criminis particeps efficitur, vnde sicut ordinantes pernitiosè conferunt, ita & ordinati pernitiosè suscipiunt: & consequenter gratiam Sacramentalem non suscipiunt, sed tantum characterem ordinis: virtute cuius post reconciliationem, ordines exercere ualebunt. Eadem ratio est de Episcopo Excommunicatio, suspenso, uel degradato: quia per has pœnas non amittunt potestatem; aliud est enim absolutè posse, aliud est ordinatè, & ritè posse aliquid facere. Et quid dicendum de Episcopo Simoniaco? Confert quidem ordines, sed peccat vt suprà: ordinatus autem si scienter consentit, incidit in pœnam suspensionis ab ordine, Can. Si quis, 1. q. 1. Si autem ignoranter, quia occultus erat, & ab Ecclesia toleratus, secundum aliquos Canonistas, non habet executionem ordinis, sed facilè cum eo dispensatur, propter verbum (Misericorditer) in dicto Can. positum. Si verò cogitur ab Episcopo simoniacè, ut ordinetur, non indiget dispensatione, secundum Glo. ibi. Quod intelligendum est, secundum D. Thom. & Syluest. Verbo, Ordo, 3. §. vltimo, quando simoniam incurrit per aliam causam quam per susceptionem ordinis: vnde si simonia esset in ordine, non tenetur, nec debet obedire etiam si excommunicaretur. Dico etiam (Omnis) nisi renunciauerit Episcopatui, & quo ad locum, & quo ad dignitatem: tunc enim non potest conferre ordines, nisi minores tantum. Extrà de ordin. ab Episcopo qui renunciauit Episcop. cap. 1. Si autem renunciauit quo ad locum tantum, potest ordines omnes conferre cum licentia ordinarii, ubi ordinationem tenere vult.

Dixi (Solus) sicut enim in Republica terrena ad solos magistratus superiores pertinet dispensare inferiores artes, & officia, & disponere de bonis communibus: ita in Republica Ecclesiastica, & spirituali, ad Episcopalem dignitatem

tatem

statem pertinet ordines, & officia Ecclesiastica tradere, & populum in fide con firmare, templa, uasa, & uestes, quibus in Ecclesia utimur benedicere, uirgines consecrare, & similia facere.

Dixi (Ritè factus) si enim non esset baptizatus non recepisset ordines, nec illos cōferre posset, immò nihil facit. Capitulo primo, de presbytero non bapt. Si autem esset quidem baptizatus, sed non haberet sacerdotium, quamuis esset consecratus, consecratio non teneret, & consequenter non omnes ordines dare posset: quia fundamentum talis consecrationis est sacerdotium: Si uerò factus est sacerdos per saltum, non potest dare illum ordinem, quo ipse caret, & quo ad alios est suspensus donec accipiat illum ordinem, quem reliquit, ut aiunt doctores referente Silu. Verb. Ordo, 1. §. 1.

Dico (De iure) ad denotandū, quòd licitè & ordinatè solis suis subiectis ordines conferre potest; uel alienis cum licentia suorum ordinariorum, uel Papę. itaque si scienter uel aliqua affectata ignorantia, sine licentia, non subditum ordinauerit, per annum à collatione ordinum suspensus est.

Et postquam eius suspensio fuerit manifesta; eius subditi sine eius licentia, à uicinis episcopis ordinari poterunt. Capitulo Eos, de temp. ordin. in 6.

Dixi etiam (De facto) quoniam ordinando contra omnia iura, ut dictum est ordinatio ualida est; ipse autem in sui pernitiem ordinat: ait enim Diu. Tho. si Episcopus ordinat indignum, contra ordines sacri Concilij Tridentini scienter, peccat mortaliter; quia domino suo infidelis est, committens indigno eius ministerium, in detrimentum Ecclesiæ, & honoris Diuini: unde sancti Patres aiunt, melius est habere paucos bonos, quàm multos malos. Can. Tales, distinctione 23. Si autem ordines confert ante legitimam ætatem, ut infrà dicetur, pœnam suspensionis incurrit per annum. Capitulo, Nullus, de temp. ordi. in 6.

Dixi (omnes ordines) propter aliquos potentes aliquos ordines conferre, qui non sunt Episcopi: ut presbyteri Cardinales, qui omnes ordines minores conferre ualent: idem possunt omnes Abbates exempti Mitra priuilegiati circa eos, in quos habent ecclesiasticam iurisdictionem, & similiter primam tonsuram. Simplex sacerdos quoque ex Papæ commissione prędictos ordines conferre potest: non autem ordines maiores, ut Inn. cap. Quanto, de consuetud. huius rationem assignat D. Thom. dist. 24 & ita practicatur, ait Syluest. Verbo, Ordo, 3. §. 7.

De caussa formali et materiali.

Sicut cetera Sacramenta constant ex materia, & forma, scilicet uerbis & rebus; ita & hoc Sacramentum. Verum forma in hoc exprimi debet, per uerbum imperatiui modi, ut in Concilio Florentino declaratur, dicendo. Accipe potestatem, & cetera, ut per singulos ordines dicemus. Ratio huius diuersitatis ab alijs est; quod alia Sacramenta ordinantur ad sanctificandum hominem in se, ut est persona particularis, puta baptismus ordinatur ad ablutionem animæ baptizati: ideo per uerba indicatiui modi, scilicet, ego te baptizato, illa regeneratio significatur: sed hoc Sacramentum non est institutum ad sanctitatem hominis, ut est priuata persona; sed in ordine ad populum; ut est pars Reipublicæ Christi, in qua 9 *Forma Sacramenti Ordinis.*

constituitur minister: & ideo in creatione talis ordinis, & officij, uerba exprimuntur per modum imperatiui, dicendo, accipe potestatem, & cetera, tradendo ei materiam, idest rem illam, circa quam usus illius potestatis uersari debet; ut per illud signum exterius intelligatur potestas; quæ interius acquiritur; sicut dum creatur Rex, dicitur, accipe potestatem regendi populum, tradendo ei sceptrum in manus. Hæc autem potestas ordinis, licet sit à Deo, tanquàm à principali agente; tamen traditur ab Episcopo, per uerba; accipe, tanquam à ministro Dei: est enim hoc peculiare huic Sacramento, ut potestas, quæ est in ministro, tradatur suscipienti Sacramentum, assimilando ordinatum sibi, circa effectum, quem producit (ut Ignis assimilat sibi passum, generando in ligno formam ignis) dicendo: accipe potestatem, scilicet qua ego polleo: & ideò non potest conferre ordinem, quem ipse non habet, ut suprà dictum est. In alijs Sacramentis non est sic: potest enim non baptizatus baptizare, non confirmatus confirmare; itaque per effectum, qui in illis confertur, suscipiens Sacramentum assimilatur Deo, & non ministro.

10 Materia est illa res, quæ traditur suscipienti ordinem, quæ est diuersa in singulis ordinibus, sicut diuersi gradus ordinis ad diuersa officia destinantur, ut iam suprà uidistis. Hæc autem materia, ut ait Diu. Thom. in quarta distinctione 25. non applicatur suscipienti, tanquàm res, habens uirtutem conferendi talem effectum, sicut aqua baptismalis, quæ dum applicatur capiti baptizandi, mediantibus uerbis formæ, per illum contactum, habet uirtutem abluendi animam à sorde peccati; sed traditur, ad determinandum tantum intentionem ministri, intendentis dare talem potestatem, & ad explicandum facultatem illam, quam tradit: puta in ordinatione diaconi dicitur, accipe potestatem legendi Euangelium, &c. & cum traditur liber Euangeliorum, non urceolus, uel calix; quia per hoc non determinatur sua intentio, in dando facultatem legendi, & ita in alijs intelligendum est. Nec per hoc intelligas, rem illam traditam non esse necessariam: est enim materia Sacramenti necessariò concurrens ad utrunque effectum Sacramenti, scilicet, gratiam & characterem; quia est pars Sacramenti concurrens simul cum forma, ut de alijs Sacramentis dictum est; sed intelligas, ut dixi; scilicet non traditur per modum rei, in qua sit uirtus sanctificandi, & conferendi effectum, ut est in aqua baptismali, oleo confirmationis, & extremæ unctionis: sed tantum ad designandum talem effectum, seu potestatem: hinc in illis Sacramentis materia benedicitur. hic uerò minimè.

Materia Sacramenti Ordinis quænam sit.

Et quia in hoc Sacramento tot sunt formæ, & materiæ diuersę, quot sunt gradus ordinis diuersi: ideò de singulis sigillatim, & per ordinem dicendum est.

Et primo de Sacerdotio, cuius munus, quia est Eucharistiam consecrare, & reliqui ordines referuntur ad ipsum, omniũ dignissimum est, reliqui uerò, quo ad ipsam Eucharistiam propinquius accedũt, eo sunt digniores, ut Diaconatus Subdiaconatu, & reliqua.

De essentia ordinis Sacerdotalis est tradito calicis cum uino & aqua, & paternæ cum hostia superposita: quæ res debent tangi ab ordinando, dum Episcopus profert uerba formę dicti ordinis significantia talem actum Sacerdotalem: Forma autem est hæc. Accipe potestatem, offerre sacrificium Deo, missamque celebrare tam pro uiuis, quam pro defunctis, in nomine Domini. Et in hoc actu simul imprimitur character, & confertur gratia Sacramentalis, si obex non ponitur. Reliqua, quæ in hoc Sacramento, idest

Ad Ordinem Sacerdotalem quæ cõcurrãt essentialiter.

idest ordine Sacerdotali fiunt, sunt Sacramentalia, scilicet, unctio manuum, impositio casulæ, & impositio manuum super caput, dicēdo, accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta erūt: in quo actu traditur potestas audiēdi cōfessiones, & absoluēdi peccata.

Non desunt, qui dicant, hunc sacerdotalem ordinem non perfici, usque ad manus impositionem, dum Episcopus dicit, accipe Spiritum sanctum, quorum &c. quæ uerba pertinere dicunt ad eius formam tanquam partem eius essentialem: unde per totalem, & integram formam datur duplex potestas, scilicet, & consecrandi Corpus, & Sanguinem Christi: quæ potestas exprimitur in traditione calicis, & patenę, & absoluendi à peccatis, quæ exprimitur in manuum impositione: ex quo sequitur, characterem non imprimi, nec gratiam conferri, donec ultima forma recitetur, cum manuum impositione: eo modo, quo accidit in sacramento Extremæ Vnctionis, ubi eius effectus datur in prolatione ultimæ formæ: & consequenter si talis ultimus actus, omittatur, reiterandus est Ordo, secundum eos, & si insisteretur, per Can. Presbyter, de sacramentis non iterandis, quòd illa manus impositio non est de essentia ordinis sacerdotalis: eo quod ibi præcipitur, in casu, quo omitteretur, illud tantum suppleatur in alia ordinatione, quod, si esset de essentia, non ita præciperetur, sed oporteret totum iterari. Respondetur, quòd ibi loquitur de illa manuum impositione, quæ fit in principio ab Episcopo, & omnibus sacerdotibus illic existentibus, ut notat ibi Gl. & non de ista vltima, ubi confertur potestas super Corpus Christi mysticum.

His tamen non obstantibus, contrarium est tenendum, vt dictum est suprà tum, quia est opinio communior; tum etiam, quia in Concilio Florentino nulla alia mentio fit de materia, & forma huius ordinis sacerdotalis, nisi de traditione calicis, & expressione illorum uerborum, per quæ datur potestas consecrandi.

Verum in modo intelligendi negotium, est difficultas; nam ex Diu. Thom. non habetur clarè, quid dicendum contra reprobatam opinionem, nisi quòd in traditione calicis ordinandus fit sacerdos, per quam traditionem inprimitur character sacerdotalis, cui annexa est potestas etiam remittendi peccata. Sotus autem intelligit sic istam opinionem, scilicet, quòd homo in traditione calicis, accipit potestatem super utrunque Christi Corpus, uerum scilicet, per facultatem consecrandi, & mysticum per facultatem absoluendi. Itaque si casu non imponeretur manus in caput in fine, cum recitatione illorum suprà dictorum uerborum, adhuc posset absoluere, & ligare, quantum est ex parte potestatis ordinis: quod dico, quia ultra hoc requiritur iurisdictio, ut in sacramento Pœnitentiæ dictum est. Et si quæratur, ad quid deseruit illa manuum impositio cum recitatione uerborum, si sine illo actu adhuc potestas datur? Respondet, per illa uerba non traditur noua potestas, sed explicatur, quæ prius collata fuerat; nam cum non posset decenter utraque forma simul coniungi, institutum fuit, vt seorsum proferantur. Hoc autem probat, hoc modo; si non acciperet utranque potestatem simul, sequeretur, quòd tradita priori potestate consecrandi, si casu Episcopus moreretur, nec esset alius, qui posset manus impositionem supplere, ordinatus ille non esset simpliciter sacerdos, neque posset à peccatis absoluere etiam si haberet iurisdictionem Episcopalem. Et si instetur contra dictam opinionem. Christus has duas potestates seorsum dedit: ergo ita sunt dandæ. Respondet, Christus per potestatem excellentiæ potuit hoc facere; sed Episcopo non fuit concessum, ideo utranque dedisse in calicis traditione, concedendum est. Et confirmatur: nam aliàs deberet concedi contra omnes, quòd

In Sacerdotio dantur duo characteres, unus ad consecrandum, alter ad absoluendum, & ligandum.

Rationes istæ non sunt dignæ Soto, ideò relinquendo suam potius affectionem, quam rationem, melius dicamus cum Richardo in quartum, distinctione 25. articulo quarto, quæstione tertia, scilicet, quòd ordo Sacerdotalis perficitur in traditione calicis, & patenæ, cũ materia consecranda, & in hoc actu imprimitur character, & confertur gratia Sacramentalis: potestas autem absoluendi, & ligandi, datur in impositione manus cum recitatione illorum verborum: *Accipe Spiritum sanctum, &c.* Et confirmatur auctoritate Ecclesiæ, quæ pręcipit, vt ordinati simul cum Episcopo ordinante consecrent, recitando Canonem, ut in Pontificali Romano habetur, quod non facerent, si non essent ordinati Sacerdotes: nam illa manus impositio fit post consecrationem, in fine Missæ.

Ad rationes Soti respondeo, & primò ad id, quod dicit, sequeretur, quòd si Episcopus moreretur, antequam imponeret manus, nec esset, qui illum actum suppleret, ordinatus non esset simpliciter Sacerdos: dico, quòd utique esset simpliciter Sacerdos, per actum primarium, & principalem, scilicet, per habere potestatem consecrandi; ideo enim dicitur Sacerdos, quia sacrum facit, & non quia absoluit, ad hunc enim actum primarium ordinatur Sacerdotium: secundarius autem actus, qui est potestas absoluendi, ordinatur tantum ad disponendum hominem ad dignè sumendum Sacramentum ipsum. Et ideò, si omittatur, sufficit, ut suppleatur sine ordinis reiteratione. Ad id, quod dicit, nec posset à peccatis absoluere, & quid mirum, si deficeret, qui ordinare posset, quòd etiam deficeret, qui absoluere posset. Sed neutrum vnquam deficit. Ad id, quod dicit, de potestate Excellentiæ, Replico, quòd in Christo est potestas Excellentię non solum, ut faciat, quod vult, sed etiam, ut instituat pro ut placet, sicut enim instituit Sacramenta hoc modo, ita potuit alio modo instituere; unde non est inconueniens dicere quòd hæ duę potestates seorsum ab Episcopis dentur, ut ipsemet dedit; quia non est de necessitate ordinis, ut simul unico actu dentur.

Ad sequelam, scilicet, ergò in uno ordine essent duo characteres. Respondetur, negando sequelam; nam character imprimitur in primario actu, ut dictum est; in secundo actu postea idem character extenditur ad alteram facultatem, ut ualeat pro utroque effectu.

Ad rationes primæ opinionis contrariæ, respondetur, quòd illa uerba: *Accipite Spiritum sanctum*, & cetera, non possunt esse forma partialis, & completiua pręcedentis formæ; haberet enim propriam materiam partialem ipsi correspondentem: quę forma, aut deberet esse differens specie à prima, ut in Sacramento Eucharistię accidit, aut differens numero, ut in Sacramento Extremæ Vnctionis diximus: sed neutro modo est hic. ut ait Richard. Nisi dicere velles, quòd manus impositio sit pro materia; quod est ridiculum: nam materia esse debet signum sensibile exterius, per uerba formalia significatum, quod hic non apparet. Vnde quamuis, vt ait Richardus, post resurrectionem dederit potestatem super actum secundarium Sacerdotio relatum, tamen in Cœna propriè ordinauit eos Sacerdotes, dicendo: *Hoc facite in meam commemorationem*; in quo actu character imprimitur, ut dictum est.

Dubiũ circa materiam talis ordinis. Dubitatur hic, an si traderetur calix sine vino, uel aqua, aut patena sine hostia, conferretur Sacramentum? Dicitur, si deficeret tantum aqua, esset Sacramentum; quia aqua non est de essentia Eucharistiæ, vt dictum est in capit. de Eucharistia; si autem deficeret uinum, aut panis,

uis, non esset collatus ordo; quia deficit materia propria Sacramenti: hæc enim differentia est inter Subdiaconum, & Presbyterum, Subdiaconus, quia altari deseruire debet, & calicem, & patenam ad usum sacrificii deferre, traduntur calix, & patena uacui, Presbyter autem, quia sacrificium offerre, & materiam consecrare debet, traditur ei calix, & patena cum materia consecranda.

IN ordinatione Diaconi imponitur ei manus super caput, dicendo, Accipe Spiritum sanctum ad robur, & ad resistendum Diabolo, & tentationibus eius, in nomine Domine. Deinde Pontifex ponit stolam super humerum sinistrum, dicens: Accipe stolam candidam de manu Domini, imple ministerium tuum: potens est enim Deus, ut augeat tibi gratiam suam. Postremò tradit librum Euangeliorum in manum dexteram ipsius, dicens. Accipe potestatem legendi Euangelium in Ecclesia Dei, tam pro uiuis, quam pro defunctis, in nomine Domini. Et in hoc actu perficitur ordo Diaconatus: quia prædicta uerba se habent, vt forma, & traditio libri, ut materia: quæ uerba cum traditione libri simul concurrere debent, vt de alijs Sacramentis dictum est. Vnde si solus hic actus tradendi librum omitteretur, non est Diaconus ordinatus: quia in hoc actu imprimitur character, & confertur gratia. Sed omitteretur aliqua alia prædictarum cæremoniarum: ordo Diaconatus in traditione libri datus esset. Sed quid agendum in tali casu? Suppleatur illa tantum cęremonia, quæ omissa fuit. Capit. Presbyter, quo suprà.

Quòd autem Diaconi in sua ordinatione mouentur, eorum officium esse prędicare, & baptizare, ut suprà diximus, hoc non est ita intelligendum, quasi sit propriè munus eorum prædicare: namque propriè hæc pertinent ad Episcopum, scilicet docere, & Euangelium exponere: sed dicitur ad eos pertinere Euangelium recitare, articulos fidei, & decalogum exponere, per modum cathechismi: & ita exponit Glos. uerba Isidori in Can. Perlectis. Quantum autem ad baptizare, hoc proprium est Sacerdotum: sed intantum dicitur, in quantum in primitiua Ecclesia, propter raritatem Sacerdotum & copiam populi, qui currebat ad baptismum, permittebatur Diaconis ex commissione sollemniter baptizare: sicut nunc ex commissione permittitur eisdem prędicare.

IN ordinatione Subdiaconi, primò Pontifex tradit ei calicem uacuum, cũ patena superposita, deinde Archidiaconus tradit ei urceolos, & peluim cũ manutergio. quo facto, ordinandi genuflectunt ante Pontificem, & Pontifex omnibus dicit: Videte cuiusmodi ministerium uobis traditur, ideo uos admoneo, ut ita uos exhibeatis; quod Deo placere possitis. Sedens postea Episcopus, ponit amictum in caput, dicens: accipe amictum, per quem designantur fructus bonorum operum, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, amen. Postremo tradit in manum dexteram librũ Epistolarum, quem, ordinando tangente, Põtifex dicit: Accipe librum Epistolarum, & habe potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei, tam pro uiuis, quam pro defunctis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritussancti.

Sed hic quæritur, in quo istorum actuũ detur propriè ordo Subdiaconatus, ita, ut cum eo infundatur gratia, & imprimatur character? Richardus distinct. 25. Paludanus, scilicet D.T. & Sotus, eadem dist. & Sylu. Verbo, Ordo, 1. §. 1. aiũt: ordo subdiaconatus datur in traditione calicis, & in hoc perficitur Sacramentum, reliqua sunt Sacramentalia. Huius rationem assignat D.T. dicens. Ordinatio cuiuscunque ministri in Sacramento ordinis perficitur in eius principali actu, sed ille est principalis actus, qui propinquius accedit ad ministeriũ *Dubium necessarium & difficile.* *Vna opinio.*

Eucharistiæ, ad quam omnes ordines diriguntur. Et Subdiaconus propinquius ministrat porrigendo calicem, & materiam consecrandam in urceolis, quam canendo Epistolam, ergo ille actus est principalis, & consequenter in illo datur ordo, & imprimitur character. In hac ratione fundant suam opinionem.

Infirmatur ratio.

Sed contra; principalius est Diacono, ministrare presbytero, quia propinquius Eucharistiæ, quam legere Euangelium: & tamen character imprimitur in traditione libri Euangeliorum, & tunc perficitur ordo. Preterea, Accolito traditur candelabrum cum cæreo, & urceolus cum uino; & clarum est, quod propinquus est ministerio Eucharistiæ traditio urceoli, quam candelabri; & tamen traditione candelabri, ut probabitur, imprimitur ei character: itaque illa maior propositio D.T. nō est uniuersaliter uera. Vnde, sicut fallit in istis, ita & in Subdiaconatu. Respondet Richardus, quod ideo in Diacono fallit, quia nō potuit in sua ordinatione tradi calix: nam cum sua potestas sit media inter Presbyterum, & Subdiaconum, scilicet Subdiaconus habet potestatem tangendi uasa uacua ministerii, & ideo traditur ei calix uacuus, Sacerdos autem habet potestatem consecrandi Corpus, & Sanguinem, & ideo traditur ei calix, & patena cum pane, & uino consecrando; Diaconus uerò habet potestatem portandi corpus in patena, & dispensandi sanguinē, in calice: unde oporteret in sua ordinatione, ei tradere calicem cum sanguine consecrato, quod est indecens, & periculosum, ideo non potuit suus ordo exprimi per traditionem calicis, sed per traditionem Euangelii, qui est secundarius actus. Cui replico, quòd sicut Ecclesia facere potuit, ut ordo Diaconatus, per secundarium actum, idest per traditionem libri Euangeliorum, traderetur; ita & ordo Subdiaconatus per traditionem libri Epistolarum, qui est secundarius actus; sicut etiam fit in Accolitatu. Et quòd in facto ita sit, per Pontificale Romanum nouum ostendi potest. Et primò. Est regula uniuersalis, ut uerba formæ cuiuscunque Sacramenti, cum materia simul concurrere debeant: ut iam etiam in singulis ordinibus uidetur, scilicet, dum traditur materia cuiuscunque ordinis recitantur uerba formæ à Pontifice, ut iam uidistis, & uidebitis. Sed in traditione calicis in Subdiaconatu non fit sic; sed primò ab Episcopo traditur calix cum patena superposita, deinde urceolus ab Archidiacono, quo facto, dicit Rubrica rubea, ꝙ ordinādi genuflectūt ante Episcopū, & Episcopus recitat hæc verba: Videte cuiusmodi ministerium uobis traditur, &c. sed in traditione libri Epistolarum, simul recitantur per Episcopum hæc uerba: Accipe librū Epistolarum, &c. cum traditione libri, ergo magis uidetur in hoc secūdo actu perfici hic ordo, quam in traditione calicis. Præterea; in illo signo exteriori imprimitur character in unoquoque ordine, in quo potestas, quam ille ordo respicit, significatur expressius per uerba formæ Sacramenti, hęc maior ab omnibus conceditur. Sed in traditione libri, uerba, quæ ab Episcopo recitantur expressius significant potestatem, quæ confertur: quam uerba, quæ in traditione calicis recitantur; dicitur enim in traditione libri, accipe librum Epistolarum, & habe potestatem legendi eas in Ecclesia, &c. Quæ forma similis est formæ aliorum ordinū, ut Diaconi, Accoliti, Exorcistæ, & Ostiarij, ut uidere est per singulos ordines; quod non est ita in uerbis, quæ dicuntur in traditione calicis, ut benè consideranti patet; ergò, &c. Tertiò arguitur; si aliquis non ordinatus in Subdiaconum Epistolam solēniter cum manipulo caneret, irregularis esset; sicut si eodem modo caneret Euangelium, sed ministrando in calice, & urceolo celebranti, non efficeretur irregularis quamuis peccaret, ergò signum est, quòd Ecclesia in illo actu scilicet tradendi librum, intelligit ordinem dare; sed oppositum tenet contraria opinio, circa hanc opinionem

Responsio.

Replica.

hæ

hæ rationes me mouent ad non concurrendum cum istis Doctoribus, quas forsan non aduerterunt; Hinc credo, quòd qui ordinauit nouum Pontificale Romanum reformatum, non posuit in margine, in quo actu istorum imprimatur character Subdiaconatus, sicut fecit in alijs ordinibus, forsan propter rationes nostras ex una parte, & auctoritatem prædictorum uirorum ex altera, non se resoluit. Ideò, ut ponamus nos in tuto, melius est, vt quoties alter istorum duorum actuum in susceptione talis ordinis omitteretur, consulo, ut ordo reiteretur, donec ab Ecclesia declaretur. Si autem præter istos duos actus aliqua alia cæremonia omissa fuerit, illa tantum suppleatur, ut dictum est suprà. *Opinio Aucctoris.*

IN ordinatione Accoliti, primò traditur ab Episcopo candelabrum, cum candela extincta, quod ordinandus manu dextera tangere debet: in quo actu traditionis Episcopus dicit, accipe Cęroferarium cum cęreo, & scias te ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipatum, in nomine Domini. Deinde Episcopus tradit eidem vrceolum uacuum, quem dum Accolitus tangit, Episcopus dicit: Accipe vrceolum ad suggerendum vinum, & aquam, in Eucharistiam sanguinis Christi, in nomine Domini.

Hic quoque oritur difficultas, in quo istorum duorum actuum caracter imprimatur, vt Clericus per illum intelligatur ordinatus; si attendamus ad uerba formalia, ambo uidentur æqualiter significare, quod traditur, ac etiam proferuntur simul cum traditione rei: unde ex hac parte non possumus iudicare magis de uno, quam de altero. Si autem attendamus ad materiam, quę traditur, D. Tho. fundans se super eadem ratione, ut suprà de Subdiacono dictum est, ait characterem imprimi, quando porrigitur urceolus, quia est actus principalior, ex eo, quia est propinquior ad ministerium Eucharistiæ, quamuis clericus denominetur ab actu secundario, qui est ferre luminaria ante presbyterum, qui actus est remotior: immo utimur eo, etiam in alijs rebus. Cuius opinionem sequuntur Syluester, & Sotus, quibus suprà. Sed Richardus, Bonauen. Petrus de Palude, & Angelus, dicunt, quod character imprimitur in traditione candelabri: ideò uocatur Accolitus, quod est nomen Gręcum, Latinè dicitur cæroferarius. Quid in hoc esset dicendum, pro nunc non habeo, nisi quòd in Pontificali Romano nouo, & reformato, notatur in margine characterem imprimi in traditione candelabri. Quod cum factum sit auctoritate Ecclesiæ, sufficiat pro decisione. Et confirmatur: nam antiquitus mos erat, ut urceolus Accolito, & calix Subdiacono traderetur ab Archidiacono, & Episcopus uerba proferebat; ut etiam fatetur Sotus, quo suprà; qui actus si essent essentiales, ut in illis Sacramentum perficeretur, nunquam tale permitteretur: quodlibet enim Sacramentum à duobus ministrari minimè potest, ut scilicet unus materiam applicet, alter formam recitet, ut ait Diuus Thom. in tertia parte, quæstione 67. articulo quarto, ad tertium argum, cui Sotus consentit in 4. distinctione 4. quæstione prima, ad 3. argumentum immemor sui in hoc loco. *Dubium de materia Accolitatus.* *D. Thom.* *Richard. Bonauent. Auctor.*

IN ordinatione Exorcistæ traditur ab Episcopo liber exorcismorum, dicendo: Accipe, & commenda memoriæ, & habe potestatem imponendi manus super energumenos, siue baptizatos, siue cathecumenos, & in hoc signo imprimitur character.

IN ordinatione Lectoris traditur ab Episcopo liber lectionum, dicente: Accipe, & esto verbi Dei relator, habiturus, si fideliter, & utiliter impleueris officium tuum, partem cum ijs, qui uerbum Dei benè ministrauerunt ab initio: & in hoc actu imprimitur character.

IN ordinatione Ostiarij traduntur pro materia, claues ab Episcopo, quæ

tangi debet ab ordinando, ut de alijs materijs, scilicet libro Exorcismorum, & candelabro, dictum est. In quo tactu Episcopus recitat verba formæ, dicēs: Sic age, tanquam Deo redditurus rationem pro rebus, quæ clauibus istis recluduntur. Et in hoc actu imprimitur character. Reliqua verò quæ ab Archidiacono fiunt, scilicet qui ducit ordinatum, vt campanam pulset, ianuam Ecclesiæ aperiat, & claudat, sunt ordinis cæremoniæ; quæ licet omittentur, adhuc ordo datus esset, quia non pertinet ad essentiam ordinis, sed tantum ipse solæ supplendæ sunt.

Nota de modo supplendi omissum in ordine. Nota, quòd tam in hoc, quàm in aliis ordinibus supradictis, quando est supplenda aliqua cæremonia omissa, quæ non est de essensia ordinis, ut per singulos ordines tactum est, dicta cæremonia supplenda est in alia ordinatione, & non extra tempus ordinandi. Capitulo Presbyter, de Sacrament. non iteran. quia eadem ratio est de parte, quę de toto: Aduertendo, quòd si quòd supplendum est, actus, quidam est, pura manus impositio, supplenda est quoque oratio illi actui annexa; & si est aliqua oratio omissa, replicetur tota à principio, secundum Innocentium, & interim taliter ordinatus, donec suppleatur omissum, non debet uti tali ordine, aiunt Doctores, aliàs mortaliter peccaret. Quòd autem Hostiens. dicit, quod qui in tali defectu inuenitur, ne prodatur, sed fingat se ministrare Episcopo, ordinationem tenente; & quando est in illo actu supplēdo, se prudenter ingerat, ne ab aliis notetur, hoc non est necessarium, utile tamen est, in casu quo scandalum pareret notificatio illa.

II. Dubium de tactu materiæ. Dubitatur modo, an tangere materiam, quæ ab Episcopo traditur, sit de essentia ordinis? Ita, quòd si fortè aliquis per incuriam, uel aliud ipsam non tangeret, ordo uitiatus esset? Ad hoc respondent aliqui, ut refert Diuus

Vna opinio. Thomas in argumentis, loco suprà citato quos etiam Sotus sequitur cum formidine tamen, in 4. distinctione 24 quæstione 1. artic. 2. dicentes, contactum ex parte ordinandi, no esse ita necessarium, vt aliàs ordo nullus esset. Eorum ratio est, ut suprà tetigimus, scilicet, quòd materia huius Sacramenti in hoc differt à materia aliorum Sacramentorum, ut est Baptismus, Confirmatio, & Extrema Vnctio. In illis enim residet virtus sacrificandi hominem instrumentaliter: dicente Augustino: Quæ est uirtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat. Ideò ibi tactus materiæ concurrit necessariò. In hoc autem Sacramento, non est uirtus in materia, sed in tradente materiam, mediante ordine, quem habet, ut dictum fuit suprà: unde, materia ipsa concurrit solum ad determinandum intentionem tradentis; quæ determinatio significatur per ostensionem materiæ: & ideò necessariò requiritur, ut ministrans ordines ostendat, & porrigat materiam ordinis, quem confert, ad significandum sensum formæ, dum dicit, accipe potestatem, & cetera. Itaque cum uirtus conferendi effectum Sacramenti, qui in aliis Sacramentis est gratia, existat in materia, & non in conferente (qui posset esse in peccato, & consequenter non posset illam dare, si in ipso esset) in dictorum Sacramentorum collatione, contactus, ut dixi, est de essentia Sacramenti, ita quod si aqua non tangeret carnes baptizandi, ut diximus in materia de baptismo, non esset uerè baptismus. In hoc autem Sacramento, uirtus conferendi effectum ordinis, qui est character, existit in collatore, & non in materia; quia collator habens characterem ordinis, confert eundem effectum, assimilando sibi passum: Itaque si non haberet talem ordinem, similem conferre non posset, ut suprà dictum est. Et ideo porrectio materiæ, secundum istam opinionem, est magis de essentia huius Sacramenti, quam suscipientis contactus.

Alia opinio. Est alia opinio, ad quam inclinat D. Thom. & quam etiam sequitur Syluest.

Verbo,

Verbo, Ordo, primo, §. 1. & 5. Nauarrus, Cap. 22. num. 17. dicens, contactum ex parte suscipientis ordinem, requiri essentialiter, aliàs ordo est nullus: quod ex verbis formæ colligitur, dicitur enim in forma: Accipe potestatem, &c. quod verbum (Accipe) est correlatiuum: accipere enim refertur ad dare: cum Episcopus det potestatem, imperando, vt alter accipiat, consequens est, vt ille, accipiendo, manibus tangat: & iam in Pontificali Romano nouo, expressè dicitur, quòd materia tangi debeat. Caietanus in hoc est anceps, nam in Quodlib. 1. quæst. 16. dicit, necessariò requiri contactum; in Summa verò dicit esse tantum cæremoniam. Sed sicut opinio, tenens requiri contactum tanquam de essentia, est securior, ita probabilior, & communior, & ideo amplectenda: & qui aliter facit, non se teneat esse ordinatum. *Caietanus.*

Sed vlterius quæritur, nunquid tangenda est hostia in ordine sacerdotali? Credo, quòd non; nam sicut tradendo calicem cum vino, non opus est tangi vinum, sed vas cum vino; ita tradendo patenam cum hostia, non est necessarium tangi hostiam, sed patenam, in qua est hostia; error tunc esset, quando in patena non esset hostia. Nec dicendum est, ideo vinum non tangitur, quia est fluidum, & non esset decens digitos intingere in calicem; quia quæ sunt de essentia, nullo respectu postponi debet, quia Ecclesia in essentialiter cócurrentibus in Sacramentis dispensare non valet. *Auctor. Dubium de tactu hostiæ.*

De causa finali Ordinis.

12 QVantum ad finem, ideſt effectus huius Sacramenti, non opus eſt aliud dicere, quàm id, quod in ſingulis ordinibus dictum eſt: effectus enim huius Sacramenti, ſunt illa poteſtas, quæ ordinatio confertur mediante charactere, qui ordinato imprimitur, & gratia Sacramentalis, quæ cum reliquis ſacramentis eſt communis.

Dubitatur hic, an ſingulis ordinibus imprimatur character? Dicitur, quod ſic; quia omnes ordines ſunt initerabiles, nec applicito ſecundo charactere, primus deperditur. Et ſunt ſpecie diuerſæ, ſicut effectus, & actus, ad quos diſponunt, diuerſi ſunt.

De ſuſcipientibus Ordines.

13 DE ſubiecto huius Sacramenti nunc differendum eſt; ubi quærendum eſt primò. Qui ordines ſuſcipere non ualeant? Pro qua re notandum eſt: quod aliqui ſunt inhabiles ad ordines ſuſcipiendos, uel iure naturali, & Diuino, vel Eccleſiaſtico. Iure Diuino primò inhabilis eſt non baptizatus, etiam ſi fuerit cathecumenus, aut ſe eſſe baptizatum crediderit. Cap. Veniens, de Presbytero non baptizato, nam cum baptiſmus ſit ianua omnium Sacramentorum, qui baptiſmum non habet, quodcunque Sacramentum ſuſcipit, nihil facit. Secundo, ſexus fœmineus, qui incapax eſt ad cuiuſcunque ordinis ſuſceptionem: nunquam enim legitur Chriſtum fœminas ordinaſſe, aut eis aliquam poteſtatem dediſſe. Vnde Paulus in Epiſtola 1. ad Timotheum, c.2. ait Mulierem docere in Eccleſia non permittas; nec dominari in virum. Quod multis rationibus condecens fuit: qua de re in cap. . . . . Nauar. de pœnitent. & remiſſio. Innocentius III. tanquam execrabile condemnat Abbatiſſas ſuas moniales benedicere, aut earum confeſſiones audire, aut publicè prædicare audentes. Quocirca omnibus Monialibus, prohibetur etiam vaſa ſacra, & pallas ſacras tanger, eaut incenſum ad altare deferre. Can. Sacratas, diſtin. 23. Et ſi inſtetur, per Can. Diaconiſſam, 27. q. 1. quòd poſſint ordinari. Soluitur per Gloſſam ibi, quòd ipſę non recipiunt characterem, propter ſexum incapacem, vt dictum eſt: ſed quandam benedictionem, qua poſſunt in matutinis homilias recitare, & canere: ſine qua benedictione aliæ moniales recitare non valent. Tertiò, hermaphroditus, inclinans ad ſexum fœmineum Vnde tales ordinandi non ſunt, donec experiantur, qui ſexus in eis præualeat.

Dubium qui non poſſint ordinari. Non baptizatus.

14 *Fœmina.*

Hermaphroditus.

Iure Eccleſiaſtico inhabiles ſunt non habentes vſum rationis. Serui, Illegitimi, Bigami, Non habentes legitimam ætatem, Corpore vitiati, cooperantes in mortem alicuius, & denique ex quacunque cauſa irregulares & ſuſpenſi.

Qui inhabiles ſint iure Eccleſiaſtico. Non habẽtes vſum rationis.

Quantum ad vſum rationis non habentes, ut ſunt infantes, & dementes, pręcepto Eccleſiæ prohibentur ordinari. Dico, præcepto Eccleſiæ; nam ſi de facto ordinati fuerint, recipiunt quidem characterem, & uerum ordinem, ſed non habent executionem ordinis, & conferens peccat mortaliter, ait Richard.

D. Thom.

D.Thom. & Bonauent. dist. 25. ratio huius est: sunt enim quædam Sacramẽta, quæ ex parte suscipientis, actum proprium positiuum necessariò requirunt, ut pœnitentia requirit actum proprium contritionis, & accusationis. Matrimonium requirit mutuum consensum: & ideo ista Sacramenta infantibus, & dementibus non conferuntur. Quæ autem characterem imprimunt, cum non indigeant, ex parte suscipientis, actu proprio positiuo; sed in adultis, & mente sanis sufficiat non habere actum contrarium, quia uirtutes supranaturales, sicut est character, infunduntur ante actus proprios; ideò in non habentibus usum rationis, eorum collatio tenet. Vnde dum sensus uiget, ut suscipiens operare ualeat uirtute characteris impressi; effectum Sacramenti habere potest. Itaque eadem est ratio de Ordine, quę de Baptismo, & Confirmatione. Ratiò Ecclesiæ, quare ipsa prohibeat Ordines sacros non habentibus usum rationis; est pręceptum castitatis Ordini annexum; quod ipsi emittere non ualent.

Sed dubium emergit, si aliquis ordinatus esset in Subdiaconum ante usum rationis, an postea teneatur obseruare castitatem? Dicunt aliqui, quod non: quia hoc præceptum Ecclesię de obseruanda castitate, non est uniuersaliter obligatiuum, ut alia præcepta Ecclesiæ, scilicet de communicando in Paschate, de ieiunando, & similia; sed est particulare conditionaliter; scilicet circa eos, qui ordines sacros suscipere uolunt; unde de natura sua requirit proprium consensum; sicut & uotum; posset enim infans, postquam ad annos discretionis uenerit dicere, si nunc mihi ordinare contingeret, non me ordinarem, ut ad castitatem non me obligarem; ideo non consensio, quia propria uolontate non acceptaui. Itaque, quamuis in tali casu uerum Sacramentum susciperet, posset tamen matrimonium contrahere: etsi ut dixi supra (non requiratur actus positiuus necessariò in habente usum rationis) non tamen actum contrarium habere debet. Itaque, qui per uim, & actum renitentem, ordinem suscipere cogeretur, certum est, quod Sacramentum non susciperet, ut de Baptismo in adultis dictum est. Sed quid dicendum, si metu duceretur? Dico, quod ordinatus per metum, etiam cadentem in constantem uirum, uerum suscipit ordinem, & eius characterem, quia ibi adest consensus, & omnia de substantia Sacramenti, uoluntas enim metu coacta, uoluntas est, ut in 3. p. Summę, c. de Voto, diximus. Quantum autem ad præceptum castitatis, dicunt aliqui, in foro Ecclesiæ non teneri; sed in foro animæ. Sotus uerò, dist. 24. q. 1. art. 2. dicit in nullo foro teneri. 15 *Dubium.*

Quantum autem ad seruos, nota, quod seruitus, secundum Hostiensem in Summa, est, constitutio iuris gentium, qua quis contra naturam subiicitur dominio alieno. Manumissio est ratio libertatis, unde Manumissus dicitur, qui, postquam factus erat seruus, restituitur in libertatem. Seruus igitur Christianus, dum est in seruitute, Canonicè ordinari non potest, nisi prius manumittatur, idest in libertatem donetur. Si autem de facto ordinaretur in dicta seruitute, reciperet quidem characteres. Sed nunquid per illam ordinationem liberaretur à seruitute? Respondetur cum Hostiense; Si ordinatur domino sciente, liberatur à seruitute, quo ad omnes ordines; si autem ordinatur domino ignorante, & postea contradicente, si est in minoribus ordinibus, debet ad dominum reuerti in eandem seruitutem. Can. Nulli, dist. 52. Si uerò est ordinatus ad Subdiaconatum, uel Diaconatum, potest se redimere, uel alium pro se domino tradere, & liber postea remanere domino inuito. Et si nõ habet pecuniam pro redemptione, uel aliquem uicarium, qui pro se seruiat, tenetur in seruitutem redire, donec habeat, qui eum liberet: Et si in Sacerdotem *Seruus. Manumissus.*

tem ordinatus erit, omninò liber remanet in ordine suo: tamen tenetur suo domino dare pretium, uel aliquid aliud in recompensationem, si potest. Et si nihil habet, nec est, qui eum redimat, obligatus remanere debet, quo ad suum officium tantum, scilicet horas recitare, & Missas pro domino dicere. Et si fortè ordinatur ab Episcopo, uel præsentatur ab aliquo sciente illum esse in seruitute; si dominus contradicit, debent ipsi pro seruo ordinato satisfacere domino. Can. Si seruus, dist. 54. Si uerò natus est ex patre seruo, & matre libera, liber erit, & ordinari potest, absque omni impedimento, c. ultimo, de Seruis non ordinandis.

16 *Illegitimus*; Quantum ad illegitimos, in duplici sunt differentia: primò aliqui dicuntur illegitimi ex toro, idest nascũtur extra matrimonium. Et tales multi reperiuntur: nam quidam nascuntur ex coitu non probato, idest, ex soluto cum soluta concubina domi retenta: & isti propriè naturales, seu nothi vocantur. Quidã nascuntur ex coitu reprobato, scilicet ex soluto, & adultera, uel consanguinea, & econtra, uel ex Clericis in sacris: & isti uocantur Spurii. Secundò, aliqui dicuntur illegitimi in foro Ecclesiæ; quamuis in matrimonio nati sint, eo quod tale matrimonium Ecclesia non approbet; Et isti sunt, qui nascuntur ex matrimonio clandestino contra decretum Sacri Concil. Trident. scilicet sine Parocho, & testibus; vel sine monitionibus præuijs; uel in gradu prohibito, seu alio impedimento canonico. Omnes isti dicuntur illegitimi, & ad ordines Ecclesiasticos promoueri non possunt, c. 1. de Filiis Presbyter. Sed quæritur, an possint legitimari, & deinde ordinari. Dicitur, quòd illegitimi secundi generis possint legitimari per Papæ approbationem, & dispensationem, circa Canonica impedimenta, & tunc sine licentia ordinari possunt. Illegitimi autem primi generis, soli, qui sunt naturales & nothi, legitimari possunt: deinde sine dispensatione ordinari, reliqui autem minimè. Ratio huius est; nam tempore conceptus, pater naturalis poterat mulierem illam, quam tunc cognouit, ducere in uxorem, itaque filius illegitimus, erat aptus natus legitimè nasci: & ideo si postea ducit illam, quamuis post alias uxores mortuas, legitimatur filius, & ad omnes ordines admittitur. Reliqui autem illegitimi, scilicet spurii, legitimari non possunt, eo quòd nunquam fuerunt apti nati legitimè nasci; quia eorum conceptus fuit ex coitu, in quo matrimonium esse non poterat, licet postea tale impedimentum tollatur. extrà, Qui filii sint legitimi, cap. Tanta. Sed quis dispensare possit cum illegitimo? Circa ordines minores Episcopus; circa uerò maiores solus Papa, cap. is qui, de Filiis presbyterorum, in 6. Si autem Religionem ingredi vult, ad omnes ordines promoueri potest, cap. 1. extrà, de Filiis presbyt. & dist. 56. quod est uerum de iure antiquo, hodie per Extrauagantem Sixti V. prohibentur, uide illam super hoc. Dixi suprà (nascuntur ex Clericis in sacris) nam si filij presbyterorum nati ex legitimo matrimonio, antequam sacros ordines susceperunt, sunt legitimi: quid dicendum, si aliquis ignorans se esse illegitimum, ordinatus fuerit? Respondet Hostiensis: probabilis ignorantia omnes excusat. Si autem de hoc conscientiam habet, quamuis propter honestatem non prodatur, secretè dispensationem impetret, quæ faciliter obtinetur, & interim ab ordinis executione abstineat.

Si autem quæritur, quare illegitimi prohibeantur ordinari? Respondetur, Primò, propter ordinum dignitatem, qui talibus uilibus personis conferri non debent. Secundò, propter parentum criminis detestationem. Tertiò, quia sæpè filij in peccato nati, patres in tali crimine imitari solent, 6. q. 1. Can. si quis, & ideò, super his, nisi sint probatæ uitæ, dispensari non solet.

Quan-

Quantum ad Bigamos. Nota, quòd Bigami quoque sunt iure Ecclesiastico inhabiles ad ordines suscipiendos, propter præceptum Apostoli, prima ad Timoth. cap. 3. & habetur cap. 1. extrà, de Bigamis non ordinandis. Et meritò: nam, per Sacramentum ordinis, homo efficitur minister Sacramentorum in populo, unde non debet pati aliquem defectum Sacramenti: & quia Bigamia defectum in Sacramento Matrimonii inducit, ideo Bigami ab ordinis Sacramento excluduntur. Tunc autem sacramentum Matrimonii defectum patitur, quando in eo non inuenitur integra significatio sacramenti. Cum autem in sacramento sint duo, scilicet consensus animorum, & commistio Corporis. Cap. Debitum, De Bigamis. Primum significat charitatem, quæ consistit in spiritu inter Deum & animam iusti, iuxta illud Apostoli: Qui adhęret Deo, vnus spiritus est cum eo. Secundum significat unionem humanæ naturę cum diuina in Christo, iuxta uerbum Ioannis, cap. 1. *Et Verbum Caro factum est.* Quod Paulus exponens, super illis verbis Genes. *Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea.* dicit: Propter hoc erunt duo in carne una, Et subiungit: Magnum sacramentum. Ego autem dico, in Christo, & Ecclesia. Vnde sequitur; quòd ad perfectam sacramēti significationem pertinet, vt vir sit vnius vxoris vir, & uxor unius viri vxor, aliàs eorum caro diuiditur, & non seruat significationis unitatem. Hinc fit, vt cum homo per matrimonii iterationem defectum quendam inducat, circa unitatis significationem: ideo Ecclesia, ob sacramenti reuerentiam, ipsum inhabilem ad ordinem susceptionem declarat. Vnde Bigamia sic describitur. 17 *Bigami.*

Bigamia est irregularitas, seu impedimentum quoddam proueniens ex defectu sacramenti, scilicet Matrimonii. *Bigamia quid sit.*

Hic autem defectus cum multis modis accidere possit, hinc oriuntur multę species Bigamię. Primo Bigamia est triplex, s. Vera, Interpretatiua, & similitudinaria. Bigamia vera est, quando quis accipit duas vxores legitimas successiuè, & cum vtrisque consummauit matrimonium. Can. 1 dist. 27. Dico (Successiuè) quia de iure, simul haberi non possunt. Dico (Cum quibus cōsummauit) quia si fortè unam cognouit, & alterā virginem dimisit, vel ita mortua est, non dicetur bigamus. Cap. Debitū, de Bigamis; quia non diuisit carnē suam, & consequenter non adest prędicti significati defectus. Vel qn̄ accipit uiduam à primo viro cognitam, cap. De Bigamis, eod. tit. quia matrimonium cum vidua, eundem defectum inducit, nisi virgo relicta fuisset à primo viro, ideo dixi (Cognitam à primo viro) quia si non esset cognita, non haberet prędictum defectum, quamuis ab illo desponsata fuerit. Vel, quando duxit duas vxores vnam de iure, & alteram de facto, siue duxerit secūdam, viuente prima, siue successiuè unam post alteram, & ambas cognouit, ratione qua suprà. Bigamia interpretatiua est, quando quis ducit corruptam ab alio, & ipsam cognoscit, Vel quando quis cognoscit propriam vxorem, postquam cognita est ab alio; siue illud sciat, siue non. Quę duę species impropriè dicuntur Bigamię. Bigamia similitudinaria est, quando Clericus in sacris, uel Religiosus post professionem contrahit Matrimonium de facto, siue cum virgine, siue cum corrupta; quod licet non sit uerè matrimonium, efficiuntur tamen irregulares, & inhabiles ad ordines superiores, tum propter reuerentiam Sacramenti; tum propter eorum incontinentiam; & ideo, ut bigami puniuntur, quamuis ueri bigami non sint; cap. Nuper, & cap. A nobis, eodem titulo. Dicitur similitudinaria, eo quòd prius mediante uoto castitatis Christo desponsati erant. Sed quis dispensare possit cum Bigamo? Dicitur, in ordinibus minoribus dispensat Episcopus, in maioribus autem solus Papa: Nota, quòd habentes plures concubinas bigami non sunt, sed ut simplicis fornicarii tractantur, Cap. Quia, de Biga. Nota, quòd clerici *Bigamia quotuplex.* *Bigamia interpretatiua.* *Bigamia similitudinaria.*

rici in minoribus ordinibus matrimonium contrahere possunt: & si mortua prima vxore in Clericatu permanere velint, gaudent priuilegio Clericali: verum si efficerentur bigami, secundum veram, aut interpretatiuam bigam. omni Clericali priuilegio priuarentur; & addicti essent foro seculari, non obstante quacunque consuetudine. Vnde, si tonsuram, vel habitum Clericalem ferre præsumpserint, excommunicari possunt, capit. Altercationis, de Bigamis, in 6.

18 *Quæ ætas requiratur in quolibet Ordine.* Quantum ad ætatem, Nota. Quamuis iure Diuino, ætas substantiam ordinis non impediat; tamen ætas quæ requiritur in unoquoque ordine, iure Ecclesiastico præscripta est, ita, ut ante tempora ab Ecclesia statuta, nullus legitimè ordinari queat. Hæc autem ætas in prima tonsura, & minoribus ordinibus, definita est, ut nemo illos suscipiat ante septennium, ut in Clementina Gener. de ætate, & qualitate. Qui ordines licet simul dari possint: tamen per Sacrum Concilium Tridentinum decernitur, ut sigillatim dentur, per temporis interstitium, atque ita de gradu in gradum ascendant; ut in eis cum ætate crescat etiam & uitæ meritum, & doctrina maior. Verum, post Accolitatum, ad minus annum unum expectari debet, antequam Subdiaconatus ordo suscipiatur. Quæ omnia intelliguntur obseruanda, nisi necessitas aliter expedire docuerit; quæ arbitrio Ordinarij relinquuntur. Subdiaconi autem ante uigesimum secũdum annum, Diaconi ante uigesimum tertium, & presbyteri ante uigesimum quintum, sciant, se legitimè ordinari non posse, ut per S. Concil. Trident. Sess. 23. capit. 11. & 12. statutum est. Quod statutum extenditur etiam ad Regulares, non obstantibus eorum priuilegiis super hoc quæ per dictum Concilium excluduntur. Quod tempus intelligitur, cum attigerint unum diem ad minus de prædictis annis. Qui autem contrafecerint, incurrunt pœnam suspensionis illius ordinis, donec à Summo Pontifice fuerint absoluti; ut habetur in Bulla Pij II. super hoc edita; quam Bullam in tertia parte nostræ Summæ, capit. de suspensione posuimus. Verum si peccatum erit occultum, & in iudicio non deductum, ab Ordinario absolui possunt, in foro conscientiæ tantum, ut in Concil. Trident. Sess. 24. cap. 6. de reformatione. Possunt tamen in aliis ordinibus ministrare, donec absoluentur, si quidem in ordine taliter suscepto non ministrauerint: aliàs essent irregulares effecti, & circa omnes impediti.

19 *Corpore vitiate prohibẽtur ordinari, & quare, et quid d· vnoquoq; membro.* Quantum ad corpore vitiatos. Isti quoque ordinari prohibentur, uel propter inhabilitatẽ ad officia ordinum exercenda, uel propter deformitatem, quæ malum aspectum, & scandalum aspicientibus parit. Gratianus Dist. 55. Circa quod corporis uitium, multa sunt dicenda. Et primò. Qui vitiati sunt in corpore spontè, siue à se, siue ab alio, sua culpa, in quocunque membro fuerit factum uitium, siue magno, siue paruo, siue occulto, siue manifesto, repelluntur ab ordinum promotione, & iam promoti eorum exercitio priuantur, sunt. n. sui ipsius homicidæ, propter periculum, cui se exposuerunt. Cap. Si quis, & Can. Si partem, dist. 55. Si autem uitiati sint, uel à barbaris, & hostibus inuiti, uel à dñis, vel à medicis ægritudinis causa, licet voluntariè, promoueri possunt, eadem distinct. per multos Canones. Si verò casu, aut alia uia uitiati sint, tunc distinguo: Aut dabant operam rei illicitæ, & tunc repelluntur, ut primi, propter eorum culpam; Aut dabant operam rei licitæ, & tunc si uitiati sint in membris occultis, uel minimis manifestis, promoueri possunt. Canon. Qui partem, eadem distinct. Aut uitiati sunt in magnis manifestis, quæ deformitatem ingenerant, & scandalum pariunt, uel inhabilem reddunt ad Ecclesiæ officia exercenda: tũc promoueri non possunt. Canon. Si Euangelica, ead. distinct. Quando autem dubium est, an magnam, seu paruam deformitatem generent, id iudicio

Episcopi

Episcopi relinquitur, ait Glos. Gof. & Innoc. in c. de corpore vitiatis, & Nauar. c. 27. nu. 198.

Sed pro dictorum maiori intelligentia dubitatur in particulari, & primo. An carens aliquo digito manus, vel pedis, promoueri possit? Dicitur, si illum spontè amputauit, aut dando operam rei illicitæ amisit, promoueri non potest. Si autem ab alio amputatus est, eo inuito, vel casu, aut infirmitate eum amisit, promoueri poterit. Can. Lator, eadem dist. Nisi fuerit Pollex, aut Index utriusque manus, sine quibus hostia contrectari non potest, uel fuerit alius digitus dexteræ manus, quo fit signum crucis, qui magnam deformitatem induceret in manu. Glos. ibi, & Nauarrus quo suprà. Et si habet digitos coniunctos, vel extortos, aut minimos, quid dicendum? Dicitur, si non impediunt vsum, & exercitium consecrationis, vel magnam deformitatem non inducunt, talis admitti potest. Et quid si caret tantum vngula Pollicis? Dicitur, si Pollex sine ungula fortis remanet, ut hostiam frangere possit, non impedit, quin ordinari possit. Cap. Thomas, de corpore vitiatis. *Carens digito, an possit ordinari.*

Secundò quæritur. An carens vno oculo, promoueri possit. Dicitur, si natus est cum aliqua macula in oculo, quæ non inducit deformitatem magnam, ordinari potest, cap. Cum, de corpore vitiatis. Si autem illa macula magnam, & enormem deformitatem inducit, vel ob eam eo oculo nihil uidet, vel monoculos natus est, aut illum postea amisit etiam casualiter, promoueri non potest. Can. Si Euangelica, distinctio. 55. & ibi Archidiaconus. Si verò oculum amisit postquam presbyter ordinatus est, tunc dicitur, si deformitas inde magna causetur, ut scandalum aspicientibus generet, celebrare non debere. Si autem oculus deformis non apparet, sed tantum ex eo non videt, & hoc non acciderit sua culpa, ait Nauar. cap. 27. num. 199. si est oculus dexter, celebrare potest. Si verò est oculus sinister, celebrare non debet, propter magnum incommodum, & indecentiam voluendi caput versus librum. ideo vocatur oculus Canonis. Potest tamen alia officia Ecclesiastica exercere, scilicet confessiones audire, & alia Sacramenta ministrare, quæ à tali defectu non impediuntur. *Carens oculo uno, an ad ordin. sacros promoueri possit.*

Tertiò quæritur. An mutilatus, vel debilitatus aliquo membro, promoueri possit? Dicitur, mutilatus, & priuatus aliquo membro magno, & principali, ut est pes, brachium, vel manus, promoueri non potest; quocunque modo id acciderit. Idem etiam dicendum, si non est truncus, sed debilitatus, ita, ut eo uti non possit circa Ordinum exercitia. Can. Præcepta, distinctione 55. & capit. Exposuisti, de corpore vitiatis. Si autem mutilatus est in aliquo membro, licet non magno, tamen causante magnam deformitatem, vt est nasus, vel ambæ auriculæ, quæ sunt membra manifesta, promoueri non potest: etiam si casu ei id acciderit; ut notatum est suprà. Idem etiam si est aliqua pars manus cum uno digito, propter deformitatem, capit. Presbyterum, De clerico ęgrotante, vel debilitato. Si verò est pars minima, quæ deformitatem non inducit, ut est pars auriculæ, pars digiti auricularis, & similia non impedit. *Mutilatus debilitatus, an ad ordines admittatur.*

Quartò quæritur. An habens digitum superfluum, illum amputare possit? Dicitur, quod sic, per Glos. in c. Qui partem, dist. 55. modo, quo ungues, vel dentes nimis superfluos scindere posset; ut legitur de Beato Hieronymo, qui dentes prolixos sibi secare fecit. *Digitus superfluus amputari potest.* 20

Quintò quæritur. An liceat amputare virilia? Dicitur, Si hoc spontè facit, etiam causa continentię, putans se obsequium præstare Deo, malè facit; exponit enim se periculo occidendi seipsum, ut fecit quidam Frater timore incontinentiæ: & ideò irregularis efficitur quo ad ordines suscipiendos, & suspensus, *Virilia amputata quando impediant vt quis ordinetur.*

quo

quo ad susceptos. Can.Si quis,el 3.dist.55.& cap.Ex parte,de corpore vitiatis. Non enim ferro, sed Religione quęrenda est castitas, 33.q.5. Idem dicendum est,si ab alio virilia amputari facit,siue causa legitima, cap.Significauit,eo.tit. Si autem id sibi à natiuitate,uel casu acciderit, vel ab hostibus castratus fuerit. non impeditur,quin ordinari possit,Can.Eunuchus,dist.55. Nisi à iustitia tale sibi factum fuerit: argum.quo suprà. Idem dicendum, si abscissa est sibi bursa, vel virga à medicis infirmitatis causa, Can.Si quis,el 1.& cap. Ex parte,il 2.eo. tit.Nisi talis infirmitas sibi aduenerit ex illicito coitu fornicario,vel malo Gallico,vel simili.Et si hoc factum sit à parentibus, vel aliis in cunabulis, absque causa,seu ne vocem mutet,vel simili,de causa,non obstat ei,quod enim inuoluntarium est, ei non imputatur,cap.ex parte,el primo, eo.tit. Nec opus est ait Nauar. C.27.nu.200. ut dicta virilia abscissa super se ferat,quando sacrum facere debet,ut vulgus falsò opinatur nullibi enim hoc cautum est.

Claudus. Sextò quæritur: An claudus promoueri possit? Dicitur, Si ita natus est, vel medicorum incisione ad euitandam mortem, claudus factus est, non prohibetur ordinari.Can. Si quis infirmitate, dist.55. Nisi ita claudicaret, ut oporteret cum baculo ad altare accedere. Can Nullus Episcopus,de consecrat.dist.1. Vel nisi taliter deformatus esset, ut scandalum populo pareret, tunc enim non liceret, ratione qua suprà.

Gibbosus. Septimò quæritur.An gibbosus ordinari possit? Dicitur,si gibbositas,seu curuitas ita magna est, ut nimiam deformitatem induceret, ne populus irrideat ministros Ecclesię, ordinari non debet, aiunt Doctores in distinctione 55. Ita etiam de habente faciem multum deturpatam, asseuerant, ut ait Nauar. loco citato.

Leprosus. Lazarus. Octauò quæritur. Quid de leprosis,Lazaris,seu alio simili morbo incurabili laborantibus? Dicitur similiter,quòd promoueri non possint; & promoti expelli debent. Cap.de rectoribus, de clerico ægrot. & alios sequentes, propter abominationem. *Patiens epilepsiam.* Similiter, si patitur Epilepsiam, promoueri non potest,etiam si de tali malo postea benè se habeat. Verum si hoc malum acciderit postquam *Arrepticius.* factus est Sacerdos, si de illo sanus fiat, poterit permitti, vt celebret,aliàs non. Qui semel arreptitius fuit, quamuis postea ab obsessione liberetur, nunquam promoueri potest. Et uniuersaliter omnis defectus corporalis reddens hominē inhabilem ad officia Ecclesiastica,& pręsertim ad Sacerdotium; & omnis turpitudo generans deformitatem,& aspicienti populo scandalum, impedit promotionem omnium ordinum, sed circa iam promotos,impedit illum ordinem, ad quem inhabilis efficitur; & scandalum generare potest.De quibus omnibus, in dubio Episcopus iudicare potest, & debet.

Qui dispēset cum huiusmodi. Circa prædicta solus Papa dispensare potest, quod non fit, nisi ex magna causa,aiunt Doctores, & notat etiam Nauar. Cap.27. nu.200.prout legitur dispensatum fuisse cum S. Marco. in Sacerdotio,qui ob eius reuerentiam, spontè pollicem sibi amputauit. Similiter, & cum Origene, qui spontè se eunuchum fecit, ut securius prædicare posset mulieribus in occulto, tempore persecutionis Ecclesiæ.

21 *Cooperator. Homicidium licitum.* Quantum ad cooperantes in mortem alicuius,est notandum, quòd homicidium est duplex,vel uoluntarium,vel casuale. Et uoluntarium est quoque duplex,scilicet licitum,& illicitum. Licitum est, quando fit auctoritate publica, quando scilicet quis damnatur ad mortem à iustitia, uel quando fit in bello iusto. Per hoc homicidium contrahitur quoddam impedimentum, ne homo ad ecclesiasticos ordines promoueri possit. Quod impedimentum contrahit non solum operans homicidium,vt est minister iustitiæ:sed omnis alius qui quomodolibet ad hoc concurrit, ut Iudex proferens sententiam, consulens, Aduo-

catus,

catus, & Procurator contra mortem delinquentis, Fiscalis, & Magister acto-rum scribens sententiam, Associantes damnatum ad mortem ex mandato Curiæ, Adiuuantes circa executionem sententiæ, ut sunt portans, & accõmodans scalam, vendens funem, quando id scit, fabricans patibulum, vel talamum, accommodans gladium, & aliud simile faciens, & denique confortans, & animas suspendendum, ut promptè propter amorem Dei accedat ad mortem. Item qui sunt causa proxima talis mortis, ut sunt testes deponentes contra reum, accusans, si id facit pro causa aliena, vel ex odio, vel sine protestatione: & qui aliquo modo operatur, scilicet facto, verbo, vel signo, vt talis delinquens capiatur, & iusticietur. Verum quo ad accusatorem nota, quòd quandoque licebit accusare sine peccato, & pœna incurrendi in prædictum impedimentum quod irregularitas vocatur. Et est, quando accusat pro beneficio publico, pace, & quiete Ciuium, & populorum, vel pro causa propria, & suorum consanguineorum & propinquorum: vel pro causa alicuius personæ grauis: dummodò præcedat protestatio, scilicet, citra præiudicium sanguinis, & quòd accusationem faciat sine particulari odio, & rancore; sed ad vindictam malorum. Itaque si aliquo odio moueatur, quamuis protestationem faciat, vel si protestatio non præcedat, quamuis sine odio fiat; prædictam pœnam incurret. Pro quibus omnibus recitatis, uide Couarruuiam in Clem. de homicidio, p. 1. §. 5. Felinum, & Abbatem, in cap. Postulasti, de homicidio. & Nauar. cap. 17. num. 213. & 217.

Nota quando accusator nō incurret irregularitatem.

Homicidium illicitum est, quando quis auctoritate propria, seu alterius priuatæ personæ, & sine licentia superioris, vel bello iniusto, aliquem interficit, ex quacunque causa; præter quam in uno casu, s. quando quis inuasus ab inimico, aliter euadere non potest, nisi inuasorem interficiat. Vnde illud vulgatum: Vim ui repellere licet, cum moderamine inculpatæ tutelæ. In quo casu homicidium dici non debet, sed potius euasio suæ mortis, media morte inimici. Quod secundum D. Th. intelligi debet in eodem conflictu: nam si inimicus terga verteret, non liceret eum persequi, nec debet eum præuenire, si aliter euadere posset: ac etiam cum armis æqualibus: nam si inuasus haberet arma validiora, quibus se defendere ualeret, absque ut eum interficeret, non liceret ei sine peccato, & pœna irregularitatis inimicum interficere. Nec liceret inuaso, sine tali pœna, inuasorem interficere, si dabat operam rei illicitæ, puta clericus inuentus fuit in actu adulterii à marito adulteræ: vnde si eum non interfecisset, occisus remansisset, in simili casu, quamuis adsint conditiones dictæ à D. Tho. priuilegium tamen prędictum ei non suffragatur, ut non fiat irregularis.

Homicidium illicitum.

Vim ui repellere licet.

Circa hoc homicidium priuatum, irregularitatis pœnam incurrit non solum principalis operans: sed etiam cooperatores, multis modis concurrentes. Et primò pręcipiens, & mandans, ut homicidium fiat: nisi mandatum reuocet, antequam exequatur effectus: quia tunc non tenetur pro homicidio, licet postea per mandatarium fieret. Secundò consulens, & suadens, vt homicidium fiat: etiam si antequam perpetretur consilium reuocaret: in quo casu, etsi non tenetur de culpa, quia non consentijt, tenetur tamen quo ad pœnam irregularitatis. Ratio diuersitatis istius secundi casus à primo est, nam mandatum totaliter dependet à mandante, vnde accidere potest, vt mandatarius illud malo animo faceret itaque, si post mandatum reuocatum, homicidium committit, signum est, quod propria voluntate id facit: & ideo mandans amplius non tenetur. Sed in consilio non est ita; postquam enim suo consilio, & persuasione infixit in mentem homicidę, ut illud committat, non est amplius in potestate sua, illius mentem reuocare, & ideò tenetur

Mandans homicidium fieri.

Consulens homicidium.

Defendens homicidam. Permittēs homicidium fieri. Cooperator in homicidio.

de effectu secuto, quo ad pœnam irregularitatis. Tertiò defendens aliquem homicidam, quidquid inde sequitur, ipse tenetur. Quartò, permittens, ut homicidium fiat, idest potens impedire, si non impedit. In quo casu tenentur solum, qui ex officio impedire obligantur, ut sunt officiales, custodes, guardiani ad hoc, & similes. Quintò, cooperatores, in facto, vel quomodolibet auxilium præstantes, uel saltem eorum præsentia iuuantes, scilicet homicidam animando, & inimicum terrendo, uel simile quid præstando. Omnes prædicti aliquo modo dicuntur cooperari in homicidio, propter quod incurrunt irregularitatem, ut ad sacros ordines promoueri non possint.

Homicidium casuale, tripliciter accidere potest.

Homicidium casuale est, quando accidit præter intentionem occidentis: quod tripliciter accidere potest, de quo dantur tres regulæ.

Prima regula est, quando quis dat operam rei illicitę, ex qua homicidium succedit: verum vsus est omni diligentia ex parte sua, ut tale non succederet. Et in hoc casu ad nihil tenetur, nec pęnam prędictam incurrit.

Secunda regula est, quando dat quidem operam rei licitæ, non tamen fecit debitam diligentiam, in prouidendo, & præuidendo, vt tale non succederet. Et in tali casu incidit in pœnam irregularitatis.

Tertia regula est, quando quis dat operam rei sibi illicitæ secundum suam professionem, ex qua succedit homicidium, quamuis vsus fuerit omni diligentia possibili, incidit tamen in pęnam prædictam. Pro quibus omnibus in tertia parte nostræ Summæ Coronæ Confessorum in cap. de Irregularitate, multos casus posuimus, & resoluimus: Vide ibi. In hanc pœnam incidunt etiam mutilantes, vel debilitantes aliquod membrorum principalium hominis uiui, siue fuerit Christianus, siue infidelis.

Insuper sunt, & alij casus, quibus incurritur pœna irregularitatis, & suspensionis, quibus pœnis homo fit inhabilis ad ordines suscipiendos, de quibus satis abundè locuti sumus in tertia parte prædicta, ad eam uos remittimus.

Præter ista recitata, sunt quædam alia in corpore iuris Canonici posita, quorum causa homo ordinari prohibetur.

Neophyti infames.

12 Primò Neophyti, idest qui nouiter conuersi sunt ad fidem, dist. 48. per totam. Secundò, qui effecti sunt infames infamia iuris, vt ait Panor. in C. At si clerici, De iudic. Tertiò, Existentes in peccato mortali antequā conterantur, Cap. Ex tenore. De tempor. ord. Et taliter ordines suscipiens, peccat mortaliter de nouo, & toties, quoties in ordine ministrat, donec pœnituerit. Quartò sollemniter pœnitens, idest qui propter aliquod graue crimen, publicam pœnitentiam gerentes fuerunt Ecclesię reconciliati. Can. Placuit, distinctione 50. Nisi necessitas aderit, ut ordinentur. Quintò, Histriones, qui scilicet in publico officium Histrionis faciunt ex consuetudine, de hac arte viuentes, quia sunt infames: ut Glo. in Can. Donare, Distinctione 86. & Panorm. in cap. Cum decorem, De vita & honest. Cler. Sextò, Curiales, idest Curiæ obligati propter aliquod officium, ut sunt Iudices, Officiales, Decuriones, & similes. Donec officium finierint, vel renunciauerint. Can. 1. & 2. distinct. 52. Septimò Ratiocinij idest Procuratores, Factores, Executores publici, & pupillorum, & similes: donec officium deposuerint, & rationem administrationis reddiderint. Cap. 1. de obligatis ad ratiocinia. Octauò qui obligati inueniuntur ad facienda aliqua officia vilia, & indecentia, donec ab illa obligatione liberentur, secundum Raimundum. Nonò coniugati, qui sine licentia uxoris Religionem intrare præsumpserint. Nec sola licentia sufficit, si uxor est iuuenis, & ei in seculo manere placet sed oportet, ut ipsa etiam castitatem voueat, & Religionem ingrediatur, propter fornicationis periculum. Et si secus factum fuerit, Episcopus potest virum

Sollemniter pœnitens. Histriones. Curiales. Executores publici. Coniugati.

rum

rum vxori restituere, qui debitum petere non potest, sed reddere. Cap. 1. de conuersione coniugatorum. In quo casu, si vxor decederet, non potest ad secunda uota transire: quamuis Religionem iterum ingredi non teneatur. Cap. Quidam, eodem titulo. Si autem uxor erit senex, & sine suspitione, poterit cum eius bona licentia Religionem intrare, ipsa in sęculo remanente, & continentiam promittente. Item coniugatus ordines sacros suscipere non potest, sine licentia uxoris, quæ tenetur etiam continentiam uouere. Cap. Coniugatus, eodem titulo, licet non opus sit Religionem intrare, si nolit, sicut opus est vxori uolentis ingredi Religionem, sed potest in sęculo manere cum continentia tamen, ut notat Glos. ibi. Idem dicendum, si vult quattuor ordines minores suscipere, ut Glos. hic notat. Item coniugatus si post legitimum consensum de præsenti, antequam matrimonium per carnalem copulam consummatum fuerit, religionem intrare uoluerit, potest in monasterio remanere, etiam vxore repugnante, & sic econtra, ut aliquos antiquos patres fecisse legitur, & qui eorum in sæculo remanet, ad secunda uota transire poterit. Capitulo, Verum eodem titulo. Sed nunquid uinculum primi matrimonij dissoluitur? Aliqui dixerunt, quòd non, sed infirmatur, & inefficax redditur, propter ingressum Religionis. Sed Glos. ibi multos Canones allegans, quos breuitatis causa prætermitto, dicit, quod dissoluitur. Dixi (In monasterio) nam si uellet domi remanere, & ibi ut Religiosus, uel Religiosa uiuere, non conceditur; immò tenetur infra duos menses, uel ut Iudex ordinauerit Religionem ingredi, & profiteri, aliàs ad coniugem redire cogetur. Capitulo, Ex publico, eod. tit.

Nec tamen hæc regula procedit in eo, qui sacros ordines suscipit, post sponsalia de præsenti, antequam consummet matrimonium, ut aliqui voluerunt, arguentes à simili, de intrante Religionem, ut tactum est supra.

Vnde in Extrauaganti Papæ Ioannis XXII. quæ incipit: Antiquę, Papa declarat, vinculum matrimonij non dissolui, per susceptionem ordinis, contra uoluntatē vxoris, etiam si non consummauerunt, sicut in intrante Religionem. Et qui tale attentauerit, remanet suspensus in ordine suscepto, & inhabilis ad suscipiendos, & ad beneficia obtinenda, etiam si uxor posteà moriatur; nisi religionem intrauerit.

Hic ponūtur multi casus. Primus est, quidam fecit uotum, cum consensu vxoris, quòd Religionem ingrederetur, & tandem habitum suscepit: quem postea reliquit, & ad vxorem accessit, quæ in sæculo remanserat; qua defuncta aliam duxit, quæritur modo, an illam retinere possit? Et uidetur quòd sic: nam dictum est supra, quòd sola licentia vxoris non sufficit. Contrarium determinatur per c. Ex parte, eod. tit. nam etsi uxore in sæculo remanente, in Religione de iure profiteri non poterat, tamen ea mortua, votum tenet, quia absolutus est à uinculo matrimonij, unde Religionem intrare tenetur, & consequenter secunda uota non sunt valida. 23 *Quinam casus de intrantibus Religionem.* *1. Casus.*

Secundus casus. Quidam Religionem professus est de consensu vxoris in seculo remanentis, qua mortua, uolebat ad seculum redire, & aliam ducere. Quæritur an fieri possit? Dicitur, si illa senex erat, uel promisit castitatem obseruare, clarum est, quod non potest, per supradicta. Si autem hæc non fuerunt in casu? Dico si expressam licentiam habuit, tenetur in Religione remanere, per c. prædictum. Si verò intrauit Religionem, ea tantum sciente, & tacente, nec reuocauit antequam moreretur, ait Abbas per c. Consuluit, eod. tit. Religionem exire non ualet, secus si reuocasset. *2. Casus.*

Tertius casus. Quædam mulier, putans uirum suum absentem esse mortuū, Religionem professa est: quo redeunte, illam è monasterio educi fecit: deinde *3. Casus.*

mortuus est: Quæritur, an iterum intrare teneatur? Dicitur, ex quo reuocata est ad religionem redire, suaderi quidem potest, cogi uerò minimè, secus, si non fuisset per vim reuocata, capitulo Placet, eodem titulo, & quod dicitur de vxore respectu uiri, dicitur de uiro respectu vxoris.

4. Casus. Quartus casus. Quidam sciens vxorem suam adulteram esse, Religionem intrauit, ea inuita. Quæritur, an illa uirum reuocare posit? & videtur quòd sic per prædicta. Sed oppositum est uerum; dummodò in adulterium non consenserit, & eam post adulterium commissum nõ cognouerit. Arguit, c. Constitutus, eod. tit. & ibi Glossa.

5. Casus. Quintus casus. Quidam Religionem intrauit, vxore precibus consentiente, quę in sęculo remanens, non solum continentiam non promisit, uerum etiam cum amatoribus fornicata est. Quęritur, an posit uirum è monasterio reuocare? eo quòd non promisit mutare uitam. Dicitur, si hoc fecisset antequam fornicata est, utique id poterat: sed quia non continuit, sequens lasciuos amores, sibi preiudicauit, ut uirum reuocare non valeat, ait Innoc. III. cap. Veniens, eodem titulo.

6. Casus. Sextus casus. Quidam Religionem intrare volens, minis, & uerberibus licentiam ab vxore obtinuit; quæ domum monialium intrauit, absque intentione profitendi Religionem, post multum verò temporis è monasterio exiuit.

Quęritur, an illa virum ad se redire compellere poterit? Dicitur, quòd sic per c. Accedens, eod. tit. secus, si ipsa in dicta domo monialium uotum castitatis emisisset; quia tunc consensisset: sed in casu præsenti nunquam consentit, quia semper fuit in proposito reuocandi eum, & consequenter uotum uiri nunquam valuit. Et his iudicari posset de multis aliis similibus.

Sunt etiam & alia impedimenta, quæ contrahuntur propriè in susceptione cuiusque ordinis, per quæ homo fit inhabilis ad ordines superiores suscipiendos, & susceptorum executionem; de quibus per ordinem dicemus, & primò.

14 Tempora ordinationum, in quibus conferri possint. Quantum ad tempus ordinationis, dicitur; Tempora quibus ordines dari debent, à iure statura, sunt hæc, scilicet, prima tonsura dari potest quocunque die Hebdomadæ, ut ait Petrus de Palude, & habet generalis Ecclesiæ consuetudo. Quattuor ordines minores dari possunt omnibus diebus Dominicis, & festis præcipuis. Ordines sacri in Sabbathis quattuor temporum anni, in Sabbatho Sancto resurrectionis, & Sabbatho Dominicæ passionis: in aliis autem temporibus, conferri non possunt sine speciali licentia Summi Pontificis. Distinct. 75. Canone, Ordines, & dictis diebus ieiuni conferri debent, & non post prandiũ. De tempore ordinationum per totum. Itaque, qui ordines sacros extra prędicta tempora reciperet, pœnam suspensionis in illo ordine incurreret, & si in illo, antequam absoluatur, celebrasset, irregularis efficeretur, per Extrauag. Pii II. suprà citatam. Ordo autem verè suscipitur, quia temporis determinatio est de iure positiuo.

Modus suscipiendi ordines. Quantum ad modum, & ordinem, quo conferri debent, Prima tonsura ante omnes danda est, deinde ordines minores, postea maiores, eo ordine, quo suprà positi sunt in eorum narratione. Ait enim Beatus Gregorius, & habetur distin. 48. Can. Sicut. Ordinatè ergo ad ordines accedendum est, nam casum appetit, qui ad summi loci fastigia postpositis gradibus, per abrupta quęrit ascensum: scimus autem, quòd ædificati parietes, non prius lignorum pondus accipiunt, nisi à nouitatis suæ humore siccentur, ne si ante pondera, quam solidentur, accipiant, cũctam simul fabricam ad terram deponant. Hæc ille. Itaque, si aliquis, negligentia quadam aliquem ordinem pręteriserit, & ad superiorem

ascenderit,

ascenderit, medio relicto ; puta Lector factus Subdiaconus, alijs duobus prætermissis, uel Subdiaconus factus est Sacerdos, relicto Diaconatu, suspensionē incurrit illius ordinis, dist. 52. & cap. unico, de Clerico per saltum promoto. Verum in tali casu non debet iterum ordinari, suscepto prætermisso; quia verè illius ordinis characterem suscepit, sed in alio tempore ordinationis supplendus est ordo prætermissus. Et si antequam prætermissum suppleatur; in ordine per saltum suscepto ministrauerit, irregularis efficitur. ait Host. & Syluest. Verso; Irregularis, §. 11.

Sed hic quęritur, an laicus immediatè accipiens ordinem Sacerdotalē, presbyter efficiatur? Dicitur, quòd sic, si est baptizatus, quia hoc solum de necessitate requiritur ad suscipienda reliqua sacramenta: quidquid aliud præter ipsum requiritur, est Ecclesiæ ordinatio. Glos. in Can. unico, dist. 52. *Dubium 2*

Quo ad ordines suscipiendos, Episcopi per seipsos subditos suos ordinare debent, quòd si aliàs impediti fuerint, approbatos, & examinatos ad alios Episcopos dimittant, ut præcipitur à Sacro Concilio Trid. Sess. 23 c. 3. Qui autem se ordinare facit sine licentia sui Ordinarii; incidit in pęnam suspensionis ab illo ordine, cap. 1. De eo, qui furtiuè ordi. suscipit. in quo ordine si antequam absoluatur, ministrauerit, irregularis efficitur, per Extrauagantem Pij II. ut suprà.

Quo ad numerum ordinum recipiendorum. Prima tonsura, & omnes minores ordines una die suscipi possunt, cap. Cum, eodem tit. Quod sine causa legitima, absque peccato ordinantis fieri non potest, per dictum Sacrum Concilium, præcipiens, ut dentur sigillatim. Ordines autem minores cum Subdiaconatu, uel duo ordines sacri, una die recipi non possunt. Qui autem contra fecerit, pęnam suspensionis incurrit, per Episcopum absoluendam. Et si per ordinatem super hoc promulgata fuerit sententia lata, scilicet, Qui furtiuè duos ordines simul suscipit, sit excommunicatus. Solus Papa cum eo dispensare potest, cap. vltimo, eod. tit.

Quo ad idoneitatem, dicitur. Prima tonsura dari non debet, nisi ijs, qui saltem legere & scribere sciant; & fidei rudimenta edocti sint, ac etiam quibus probabilis cōiectura extiterit, quòd uitam clericalem elegerint, ut Deo inseruiant, & non id faciant in fraudem aliquam, ut quidam homines prouecti, uel vidui facere solent, scilicet, ut Iudicium sæculare fugiant; uel ut à solutione gabellarum, & aliorum onerum sint exempti. Ad minores ordines promoueri non permittantur, nisi qui bonum testimonium habent à Magistro scholæ, & suo parocho, à quibus educati fuerint, ac saltem linguam latinam intelligant, uel spes habeatur, quòd in illa in dies proficient & ideò tales ordines dandi sunt diuisim, per temporum interstitia, ut in eis cum ætatis incremento, uitæ meritum, & doctrina maior accrescat; quod in dies, exemplum bonorum morum, ac assiduum in Ecclesia ministerium, maiorque etiam erga presbyteros, & maiores comprobabit. Subdiaconi, & Diaconi, qui habent bonum testimoniam ordinēter; & qui iam in minoribus ordinibus, de uita, & moribus, ac litteris probati sunt, & etiam in ijs, quę ad ordinem exercendum sunt instructi: uel saltem scientiæ spes, se ad tales ordines, dignos esse demonstrabit. ac denique sperent, Deo adiuuante, se posse continere, ut præceptum castitatis, ad quod se obligant, obseruent. Ad sacrum presbyteratus ordinem assumi non debent, nisi qui piè, & fideliter in minoribus ante ordinibus se gesserunt, ac bonum habent testimonium, ac etiam quæ ad salutem cunctis necessaria sunt, populum docere sciant: & denique ita pietate, & castis moribus perspicui sint, ut populus ab eis exemplum bonorum operū, uitæ, & morum expectare possit; tales enim decet esse ministros Christi: qui septiformi *Idoneitas in suscipiētibus ordines.*

gratia Spiritusſancti ſint decori: ex quorum doctrina, & conuerſationis forma, eadem gratia in alios transfundatur. Ne fortè aliter exiſtentes, cæleſtes margaritas ſpiritualium uerborum, ac diuinorum officiorum, ſordidæ uitæ pedibus conculcent. Et ſi pauci inueniantur tales, non per hoc indigni admittẽdi ſunt, maximè ubi neceſſitas non cogit Epiſcopos aliter facere: melius eſt enim (ait Magiſt. Sẽt. immò Clemens Papa V. Can. Tales, diſt. 22.) Epiſcopos paucos habere miniſtros, qui poſſunt dignè opus Dei exercere, quã multos inutiles, qui ordinatori graue onus inducũt. Quæ omnia, ipſi examinatores, & qui tales ad ordinationem admittũt, aduertere debent, redditori Deo de omnibus rationẽ: ut in S. Concil. Trid. Seſſ. 23. per multa capita de reformatione, notãtur, & præcipiuntur. Multa alia in dicta Seſſ. adnotantur, circa hanc materiam, quæ ipſis Epiſcopis remittuntur.

25 *Dubiũ de eo qui miniſtrat in ordine non ſuſcepto.*

Quæritur modo, an miniſtrando in ordine nõ ſuſcepto, irregularitas incurratur? Dicitur, quòd ſic, cap. 1. & 2. de Clerico nõ ordinato miniſtrante. Quod intelligitur in ſacris ordinibus: ubi dicitur, quod Diaconus celebrans miſſam, ad Sacerdotium amplius promoueri non debet; & ab officio Diaconatus, per duos, uel tres annos ab ordinario ſuſpendatur. Limitantur hæc, quando ſcilicet fierent ſerio; nam, ſi ioco hæc attentarent, licet mortaliter peccarent, irregulares tamen non efficerentur. Secundò, quando ſcienter ex certa malitia id fieret: nam ſi aliquis ignoranter, putans ſe habere talem ordinem, hoc faceret, irregularis non eſſet. Quod notatur per illa verba Canonis citati, (uſurpare præſumpſerint) & ita intelligit Syluester, Verbo, Irregul. §. 12. Tertiò limitatur in Clerico canente Epiſtolam ſine ſollemnitate, ideſt manipulo. Cap. Vt quiſque Presbyter, de vita, & honeſt. cleric. Clericus enim exiſtens in minoribus, deficiente Subdiacono, poſſet etiam cum Dalmatica, ſine tamen manipulo Epiſtolam canere. Et addit Archidiaconus, ubi eſt talis conſuetudo. Error autem eſſet hoc permittere in præſentia Subdiaconi, ſine tali neceſſitate, & ubi talis conſuetudo non uiget. Sed qualis error eſſet prædicti nõ dicunt, credo quod eſſet peccatum mortale.

Sed nunquid opus eſt, ut omnes quattuor ordines minores habeat? In hoc vnum eſt clarum, ſcilicet, ſi haberet tantum primam tonſurã: irregularis efficeretur, canendo Epiſtolam. De ordinibus minoribus Doctores non ſpecificãt, niſi quòd dicunt, eos eſſe debere conſtitutos in minoribus, ſed an in omnibus, an in aliquibus, non dicunt: Gloſſa uero ſuper dicto cap. ut quiſque, dicit, ut ſit Accolitus, ideo periculoſum eſt aliter facere.

Ordines minores in defectu clericorum exerceri poſſunt à non ordinatis, etiam laicis bonæ uitæ, dummodò non ſint Bigami, ut S. Concil. Trid. exponit, Seſſione prædicta. Subiungit tandem, quod melius eſt, ut omnes ordines, & miniſteria Eccleſiæ conſtitutis in ſuis ordinibus exerceantur.

Finis Octaui Capituli.

SVM-

SVMMARIA SEQVENTIS CAP. IX.

1 Matrimonij Sacramentum cur sit vltimum in ordine Sacramentorum.
2 Matrimonium in statu innocentiæ datum fuit in officium, & post lapsum in remedium.
3 Matrimonium vnde dictum.
4 Matrimonium institutum fuit in paradiso terrestri ante peccatum.
5 Duplex consideratio de Matrimonio; ut officium naturæ, à Deo fuit institutum: vt Sacramentum institutum fuit à Christo.
6 Matrimonium est indissolubile.
Quomodo dehonestetur.
7 Christus instituit Matrimonium in Sacramentum.
Quæ gratia detur in Sacramento Matrimonij.
Quomodo sit signum rei sacræ.
Est de consilio, & non de præcepto.
8 Gradus Matrimonij.
Coniuges vnde dicantur, & vnde maritus, & vxor.
9 Sponsalia quæ sint, & eorundem definitio.
Forma promissionis sponsalium duplex; absoluta, & conditionata.
10 Sponsalia pariunt obligationem ad contrahendum postea.
Qui possint contrahere sponsalia; & quæ possint dissolui, & in quibus casibus.
Sponsalia quomodo transeant in Matrimonium.
11 Matrimonij Definitio.
Consensus est necessarius in Matrimonio, & an debeat esse expressus.
Quid de consensu facto verbis sine voluntate consentiendi.
Consensus contrahentium an eodem tempore fieri debeat.
12 Matrimonium indissolubile est regulariter, & quando possit dissolui per ingreßum Religionis, uel aliâs.
Matrimonium quando dicatur consummatum.
13 Papa poßit ne dispensare, ut Matrimonium dissoluatur, variæ Canonistarum, & Theologorum opiniones.
14 Per infidelitatem an Matrimonium dissoluatur, & an per impedimentum iuris diuini.

15 *Casus in quibus Matrimonium separatur quò ad torum.*
16 *Aetas quæ sit legitima ad contrahendum Matrimonium.*
17 *Furiosi, & amentes non possunt contrahere Matrimonium, & qui possint.*
18 *Matrimonium quomodo non teneat ob legum probibitiones.*
Matrimonium ex triplici causarum genere constat.
19 *Impedimenta quædam impediunt Matrimonium, quædam dirimunt, & quæ bæc sint.*
Duplex est matrimonium clandestinum.
Matrimonia clandestiua semper fuerunt detestata, & probibita ab Ecclesia.
Matrimonia à filijsfamiliàs contracta sine consensu parentum, sunt valida, nec parentes possunt ea irrita facere.
Matrimonium ad faciendum post tres denunciationes per proprium parochum in facie ecclesiæ: aliàs est irritum, quæ denuntiationes possunt ex ordinarij licentia prætermitti.
Corrollaria quędam circa contrabentes matrimonium.
20 *Quibus temporibus probibeatur ab Ecclesia celebrare nuptias, & quam ob causam.*
Temporibus ab ecclesia interdictis poßunt quidem matrimonia contrabi per verba de futuro, ac etiam de præsenti, sed non possunt fieri benedictiones nec sollemnitates, nec sponsa traduci in domum sponsi sollemniter.
Et quid de copula ante benedictionem.
Benedictio an sit necessaria, & quæ ea sit.
21 *Compaternitas Catechismi impedit matrimonium, sed non dirimit.*
22 *Differentia inter votum simplex, & votum solleume.*
Professio in aliqua religione non debet fieri tam à viris, quàm à mulieribus ante sextumdecimum annum expletum: & si sit ante, non tenet.
Impuberes, etsi doli capaces non possunt emittere votum castitatis.
Votum simplex impedit matrimonium contrahendum, sed non dirimit contractum: actualiter contrahentes grauiter peccant.
23 *Quæ crimina impediant matrimonium contrahendum.*
24 *Quæ sint impedimenta, quæ non solum impediunt matrimonium contrahendum, sed etiam dirimunt contractum.*
Error circa personam.
Error circa conditionem seruitutis.

Votum


Votum sollemne.
Cognatio spiritualis, & quæ ea sit.
25 Consanguinitas, & affinitas.
Affinitas quid sit, & per quem actum contrahatur: quæ est triplex.
26 Cognatio legalis, & quæ ea sit.
Adoptio est duplex.
Tres species sunt cognationis legalis.
27 Impedimentum criminis, & quę crimina impediant, & dirimant matrimonium.
28 Impedimentum infidelitatis.
29 Impedimentum violentiæ, seu metus.
Duplex est violentia; vna simpliciter dicitur violentia, altera conditionata.
Metus duplex, leuis, & iustus.
Metus cadens in virum constantem, quis sit.
Qui timor dirimat matrimonium.
Corollaria aliquot de timore non inualidante matrimonium ob metum promissum.
30 Impedimentum Ordinis.
Clerici in minoribus ordinibus constituti, possunt contrahere Matrimonium, quo contracto, non possunt amplius tenere beneficia, aut dignitates Ecclesiasticas.
Clerici in sacris constituti, in Ecclesia Occidentali, matrimonium non possunt contrahere.
Vxoratus suscipiens ordinem sacrum, suscipit quidem caracterem, sed non dirimitur Matrimonium.
31 Impedimentum ligaminis quid sit.
Mulier credens virum mortuum, si contrahat cum alio, & postea primus redierit, tenetur redire ad primum, & idipsum de viro.
32 Impedimentum iustitię publicę honestatis.
Iustitia publica honestatis quid sit; & plura de hoc notanda.
33 Impedimentum impotentiæ coëundi.
Impotentia coeundi potest esse dupliciter, à natura, & ab arte.
Impotentia coeundi, ut facit hominem impotentem ad copulam, ita etiam ad contrahendum matrimonium.
Impotentia coeundi est triplex, naturalis perpetua, naturalis ad tempus, & naturalis medio modo.
34 Quandoq; hæ impotentiæ dirimant Matrimonium celebratum.
53 Impotentia accidentaria est duplex, ab arte, & maleficio.
Castrati, eunuchi, & spadones non possunt contrahere Matrimonium.

Impoten-



DE SACRAMENTO MATRIMONII.

Cap. IX.



SACRAMENTVM Matrimonii duplici de causa est vltimũ in ordine. Prima ratio desumitur ex continuatione præcedentium. Visum est enim suprà in Sacramento Ordinis, quomodo procreantur filii Dei, quantum ad commodum totius Christianæ Reipublicæ in vita Spirituali: reliquum est nunc uidere de Matrimonio, per quod procreantur filii in uita temporali, ut propagatio duret, secundum præceptum Dei. Crescite & multiplicamini. Secunda est, quamuis enim Matrimonium sit communius, eo quod inuenitur etiam inter gentes, & antiquius, eo quod initium habuit ab orbe condito, quo ad substantiam: nam in statu Innocentiæ datum fuit in officium & post lapsum in remedium, ut dicetur: tamen, quo ad esse Sacramentum, initium habuit, cum ceteris Sacramentis: quod in ratione dignitatis, ultimum locum obtinet. 1 *Sacramẽtum matrimonij cur sit vltimũ in ordine Sacramentorum.* 2

Dicitur Matrimonium, quasi matris munium, idest officium, plura enim officia, & onera, sustinet mater in sobole, est enim in conceptu grauida, & onerosa, in partu dolorosa, & in lactando laboriosa, ut habetur Cap. Ex Litteris, de Conuersione infidelium, quæ incõmoda non sustinet pater, licet sit principalis auctor in generatione, unde potius dicitur Matrimonium, à matre, quàm patrimonium à patre. 3 *Matrimoniũ unde dicatur*

Fuit institutum in Paradiso terrestri ante peccatum, illis verbis: *Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea.* Quamuis enim omnia Sacramenta sint Sacramenta fidei, tamen quædam ita sunt fidei, ut omni ex parte sint supernaturalia, ut Baptismus, Confirmatio, & Eucharistia, quædam alia sunt mixta, scilicet partim naturalia, & partim supernaturalia, ut Pœnitentia, & Matrimonium, & ideo de Matrimonio duplex est consideratio; una inquantum est officium naturæ, altera ut est Sacramentum à Christo institutum: est ergò, ut officium, à Deo institutum, ut dixi, quid naturale, ut distinguitur contra ciuile. Itaque nõ est inuentum humanum, puta iure Gentium, aut Ciuili, ut sunt leges tributorum, possessionum diuisio, & similia, sed est uinculum à natura magistra Deo conditore, & auctore, hoc præcipiente; non tantum ad procreandam sobolem (hoc enim commune est cum brutis) uerum etiam ad nutriendum, & educandum illam. Vnde Philosophus: Filii à parentibus tria bona accipiunt, scilicet esse, ali, & educari, quorum causa necessarium est, ut societatem habeant, ut aliquid uxor, aliquid maritus soboli præstet, aliàs malè ipsi proli consultum esset. Quæ nutritio, & educatio, non tantum ad corpus dirigenda erat; hoc enim in aliquibus auibus etiam inuenitur, sed ad corpus aliquo modo prẽstantiori, & animam quoque, & ideo homines præ cunctis animantibus habent hanc aliam conditionem, ut scilicet propter mutuas operas, ut dixi, in re domestica inuicem mas, & fœmina se iuuent, unde perpetua indigent societate. Itaque talis coniunctio, indissolubilis iure naturæ remanet, 4 *Matrimoniũ quãdo fuerit institutum.* 5 *Matrimoniũ, ut officium naturæ.* 6 *Matrimoniũ ut officiũ naturæ, quare indissolubile sit.*

quod

quod non accidit in alijs animantibus. Et hæc est prima causa matrimonij, quæ dicitur officium. Secunda causa est uitatio fornicationis; nam concupiscentia, quæ ante peccatum rationi obediens erat; cum post Lapsum primi hominis à recto deuiauerit; ut rebellis facta rationi; idem matrimonii uinculum, quod erat in officium, factum est etiam in remedium talis concupiscentiæ. Vnde August. super Gen. ad Literam. Vtriusque enim sexus infirmitas propendens in ruinam turpitudinis, rectè excipitur honestate nuptiarum, ut quod sanis possit esse in officium, fit ægrotis in remedium. Hoc autem coniugium, quod ab orbe conditio originem duxerat, Christus in lege gratiæ instituit in Sacramentum, ut coniuges Sacramentali gratia inde sanctificarentur, actusque eorum, & complexus coniugalis, non solum licitus esset, sed etiam apud Deum meritorius gratiæ, si non uitietur aliqua praua circunstantia, est enim actus obedientiæ, iuxta illud Gen. 1. Crescite, & multiplicamini, &c. Itaque si fiat ex charitate, debito fine, scilicet ad procreandos liberos, iustitiæ debito, ad reddendum coniugi debitum, erit actus uirtutis, & Deo gratus. Ideo scilicet Concil. Trident. Sess. 23. c. 1. de reformatione matrimonij, ordinat, & hortatur coniuges, ut antequam benedictionem sacerdotalem in Templo suscipiant, non cohabitent in eadem domo; & antequam matrimonium consumēt, confiteantur sua peccata, & sacram Eucharistiam sumant. Quanta igitur reprehensione digni sunt aliqui iuuenes incōtinentes, qui non solum hæc spernunt, sed maius peccatum committunt, consummando ante benedictionem, ipsamque sponsam in peccato mortali suscipiunt. Hinc sequi solent ex matrimonio mali exitus, sicut habet malum principium.

Matrimoniū ut Sacramentum.

Admonitio sponsis facta à Conc. Trid.

Solet etiam post factum dehonestari pluribus aliis modis, ut ait D. Thom. in 4. Sentent. Primò, quando actus ille coniugalis fit sine suo fine, scilicet procreandi formaliter, uel saltem uirtualiter. Secundò quando fit nimis frequenter, ob quā causam sibi ipsi noceret; uerum in his duobus casibus est peccatū ueniale. Ait enim Paulus, licet bonum sit, ut non se defraudent: tamen melius est, ut communi consensu quandoque abstineant, orationis gratia, uel ob alias honestas causas. Tertiò quando se cognoscunt nimis ardenter, sola libidinis causa. Sed hic nota, ut aiunt Doctores, si hoc fiat infrà bona matrimonii: idest cognoscit quidem eam voluptuosè; hac tamen intentione, ut nisi esset sua coniux, nullatenus cognosceret; tunc est ueniale. Vnde ait Magist. Sent. in 4. dist. 26. Coitus coniugum, qui fit causa incontinentiæ, est de minoribus malis ex quo sequitur, etiam licere uti vxore ad satisfaciendum libidini, ut fornicationem euitet. Si autem hoc fiat extra bona matrimonij; idest cognoscit vxorem ita libidinosè, & ardenti uoluptate, ut si etiam non esset vxor sua, ad huc eam cognosceret, uel id proponeret facere cum quacunque alia muliere, si posset. Et consequenter quarto dico, dum utitur uxore, intentionem dirigit ad extraneam. Et in his duobus modis est mortale. Et quod dico de uiro, intelligitur etiam de vxore. Quartò quando modus coeundi est ita sinister, quod ex ipso impediretur generatio, etiam si fiat circa vas debitum: & multo magis esset mortale, si foras seminasset. Quintò grauissimum peccatum esset, si fieret in uase profano, & non in uase debito, quia talis modus est contra naturam; ait D. Tho. secunda secundæ, q. 154. art. 12. ad quartum argum.

Matrimoniū quando dehonestetur.

7 Fuit autem à Christo institutum in Sacramentum Matth. 19. non simpliciter, ut cetera Sacramenta; nam ut dictum est, cœpit ab Orbe conditio. Nec ista institutio fuit tantum iuris naturalis declaratio, ut aliqui uoluerunt; sed etiam confirmatio, & in Sacramentum institutio; dicendo: Quod Deus coniunxit, homo non separet, idest, hanc coniunctionem, quam Deus orbis creator à principio sanxit, ego, ut eiusdem orbis redemptor, de nouo confirmo. Qua confirmatione,

Matrimoniū quando fuerit institutū in Sacramentum.

Matione, per merita suę passionis, á qua Sacramenta efficaciam acceperunt, dedit matrimonio vim conferendæ gratiæ. Hac fortè de causa Christus vocatus ad nuptias, sua pręsentia illas sanctificare voluit, & ibi primum miraculum facere, de aqua uinum. significans, quod antea in officium, & remedium tantū erat, aqua frigida languebat, idest sine gaudio, & gustu Spirituali erat, postea conuersa in uinum, significauit, illud per suam legem futuram in Sacramentum cui gustum gratiæ Sacramentalis erat daturus. Hæc autem gratia non est solū remedium ad recedendum á malo concupiscentiæ, ut aliqui dixerunt; uerum etiam adiutrix ad promerendum bonum. Vnde scilicet in Conc. Trid. Sess. 24. de Sacramento Matrimonij, dicuntur hęc uerba: Gratiam uerò, quæ naturalem illum amorem perficeret, & indissolubilem unitatem confirmaret, coniugesque sanctificaret, ipse Christus venerabilium Sacramentorum institutor, atque perfector, sua nobis passione promeruit.

Nuptiæ à Christo sanctificatæ.

Gratia quæ cō feratur in sacramento matrimonij.

Cum ergo Matrimonium sit Sacramentum, sequitur, ut sit signum rei sacræ: duo enim significat, unum est desponsationem Christi cum Ecclesia. Vnde Apost. ad Ephes. 5. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico, in Christo, & Ecclesia. Quapropter, commixtio sexuum, vnionem, qua sibi copulauit nostram naturam significat, vt sicut Christus est caput Ecclesię, ita uir uxoris, ut ait Paulus quo suprà. Vir caput est mulieris, sicut Christus Ecclesiæ. Ac etiam dilectio coniugum amorem, quo Christus dilexit Ecclesiam representat. dicente Paulo: Diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam. Quod matrimonium quamuis olim fuerit in præcepto, dicente Domino: Cresci e, & multiplicamini, & replete terram; terra tamen repleta, iam præceptum suspensum est, & nunc intelligetur esse de consilio, ut ait Paulus, 1. ad Corinth. De v rginibus autem præceptum non habeo, consilium, aūt do, &c. Quæ indulgentia cælibatus durat, donec necessitas non astringit. Hæc, & multa alia de matrimonio à sacris Theologis in communi tractantur, quę cum non sint necessaria Parochis, ea relinquimus intellectibus speculatiuis. Veniamus ergo ad eius particularem doctrinam, ex qua aperiemus, quę nobis scitu necessaria sunt.

Matrimoniū quo sit signum rei sacræ.

Circa quam sunt aliqua præmittenda, scilicet in Matrimonio tres inueniuntur gradus. Vnus est, Sponsalia de futuro; Alter est, Sponsalia de pręsenti; Alius est copula carnalis subsequens. Propter Sponsalia de futuro, contrahentes sortiuntur nomen Sponsi, & Sponsæ: Sponsalia namque dicuntur ab hoc verbo (Spondeo) quod est promitto. Vnde Sponsa dicitur mulier, quæ promittitur; Sponsus dicitur, vir cui fit promissio. Itaque inter eos non est matrimonium in re, sed in spe futurarum Nuptiarum. De his loquitur Canon. Si quis Sponsam, 27. quæstione secunda vbi habentur hæc uerba: Si quis sponsam filii sui oppresserit, filius aliam accipiat; quod non permitteretur, si inter sponsos esset matrimonium; ut infrà dicetur.

Gradus matrimonij qui sint, & quot.

Propter sponsalia de præsenti contrahentes dicuntur propriè coniuges, à coniunctione maritalium affectuum, & voluntatum, per mutuum consensum, etiam ante copulam: in quibus inuenitur uerum matrimonium, ut infrà dicetur. De his loquitur Can. Coniux, 27. q. 2. ubi habentur hæc uerba. Coniux uerius appellatur à prima disponsationis fide, quamuis ignoretur concubitus. Ita mos est in Ecclesia coniuges appellare, iuxta Euangelium. Ioseph noli timere accipere Mariam coniugem tuam, inter quos fuit uerum matrimonium, ut infra, quamuis ignorauerint concubitum. Possunt quoque tales dici sponsi largo modo, & hoc respectu futurę copulæ: sicut ueri, & proprii sponsi dicuntur, respectu futurę coniunctionis maritalis, ut ait D. Thom. Propter

Maritus, & vxor unde di cantur. pter copulam carnalem dicuntur postea maritus,& vxor,dum res vxoria per copulam consumatur. Hac ratione Maria Virgo vxor dici non poterat, ut ait Origenes.

De Sponsalibus de futuro.

9 SPonsalia sunt duplicia: Quædam dicuntur propriè sponsalia de futuro: & sunt, quando contrahuntur per uerbum futurum tempus significantia.Quędam autem dicuntur impropriè,& sunt,quando contrahuntur inter impuberes per uerba tempus præsens significantia: qui cum non habeant ætatem legitimã contrahendi,nec consummare ualeant,eorum contractus non potest dici, nuptiæ,sed habet uim sponsalium,ut infrà dicetur,cap.Tuę nobis,de Sponsalibus impuberum,quæ sic definiuntur.

Sponsaliũ definitio. Sponsalia de futuro sunt conuentio,& promissio futurarum nuptiarum, inter uirum,& mulierem.ff.de Sponsalibus l prima Dicitur (Conuentio,& promissio) pro formali; intellige (mutua) nisi enim promissio fuerit ex utraque parte cum mutuo consensu,non habebunt uim sponsalium, cap. Ex sponsalib. de sponsal.& matrim.in Sexto.

Dubiũ de consensu in sponsalibus. Sed hic quæritur,qui consensus requiratur? Respondeo cum distinctione, si contrahuntur per parentes pro filiis puberib. opus est, ut ipsi propriè consentiant,cap.1.de Desponsalibus impuberum: uerum,si contractus fit ipsis præsentibus,uel scientibus,& non contradicentibus,ualent sponsalia:quia illa taciturnitas consensum arguit. Si autem contrahuntur pro impuberibus, possunt parentes sine illis sponsalia contrahere: quia uoluntas filij adhuc non discernitur. Vnde etsi filius de necessitate non teneatur id adimplere, postquam ad annos pubertatis accesserit, quia nuptiæ inuitæ difficiles exitus habent. cap. prædicto, & Glos. ibi: tamen ex debito honestatis adimplere deberet. In iis verò qui per seipsos contrahunt, non sufficit taciturnitas; sed oportet consensum esse expressum; vel saltem interpretatiuum: puta, Iuuenis tradit puellæ, virtute sponsalium, Iocalia, Arrham, vel Annulum, in signum futuri matrimonij; & illa tali intentione accipit: signum est quòd ambo consentiunt:quãuis nulla præcesserint verba. Dico (Virtute sponsalium) nisi enim tali intentione darentur,non essent uera sponsalia, cum huiusmodi simpliciter dari possint,& intuitu alterius intentionis,puta fornicationis,uel simili:sed difficilè est cognoscere talem intentionem, nisi alia signa magis expressa, uel uerba præcesserint.

Dubiũ de forma promissionis. Quæritur secundò, quæ sit forma istius promissionis? Respondetur, quòd hæc potest esse absoluta, & conditionata. Absoluta est hæc: promitto, uel iuro,quòd te accipiam in uxorem, uel simile quid, si contrahit cum principali: si autem contrahit cum parentibus, uel tutoribus puellę, potest dicere; promitto, uel iuro accipere talem N. & illam in facie Ecclesiæ desponsare, &c. uel simile. Aliqui ponunt traditionem annuli, vel subarrhationem aliquorum donorum, ut sunt iocalia, & similia, ut dictum est: sed quia huiusmodi interuenire possunt tam in sponsalibus de futuro, quam de præsenti, ideò iudicabuntur secundum uerba quibus associantur, scilicet cum illis præcesserunt uerba de futuro, uel de præsenti: nam per se absolutè considerata nihil significant, ut dictum est. Forma conditionata est, quando exprimitur cum his conditionibus suspendentibus actum, scilicet, si, nisi, & dicendo,

ducam

ducam te si dederis tantum, uel ducam te, nisi pater contradixerit, uel ducam te, cum pater tuus mortuus fuerit. Et quia conditio non ponit in esse, ideò ubi apponuntur hæ conditiones, suspendunt contractum, donec conditio adimpleatur. Verum cum conditiones, quæ in contractu apponi possent, sint multiplices, dicendum est, quod conditiones in contractu, de quo loquimur, habent uim suspendendi, ita, vt si non adimpleatur, contractus non tenet. Primo quędã sunt generales, puta; si Deo placuerit, uel si uinos nos seruauerit, & huiusmodi. Aliæ sunt particulares, sed contractui necessariæ, puta, ducam te, si aliquod impedimentum inter nos non aderit, & similia: quæ siue apponantur, siue non, semper intelliguntur, ideò non faciunt contractum conditionatum, nec illum suspendunt, sed statim ualet, si ualidæ sunt. Itaque taliter contrahentes simpliciter contraxisse intelliguntur. Aliæ sunt, quidem, particulares, sed uel necessariæ in se, ut ducam te, si cras sol orietur: uel simpliciter impossibiles, ut si cælum digito titigeris, uel simile, & huiusmodi conditiones appositæ non suspendunt contractum, sed ualet, ac si non fuissent appositæ. Alię sunt contingentes, & istæ possunt esse duplices, scilicet, turpes, & honestæ: si sunt turpes, aut sunt contra substantiam matrimonij, puta ducam te, si aliam meliorem non inuenero: aut contra finem matrimonij, puta ducam te, si procurabis sterilitatem, uel consenseris mihi extra uas debitum: aut contra bonum matrimonij, puta ducam te, si promittis admittere tecum adulterum, & similia; tunc istæ, & similes conditiones inualidant contractum omnino, ita ut sponsalia nó teneant, ac si non essent facta. Can. Aliquando, & Can. Solet, 31.q.2. Et è contra; si erunt rui alia uia, & non contra bonum aut finem, aut substantiam matrimonij, puta ducam te, si centum surripueris patri tuo, uel simile: tunc sponsalia tenent, sine adimpletione conditionis, nihil enim talis conditio operatur, ac si non esset apposita. Si uerò conditiones appositæ contigentes, erunt honestæ, puta, ducam te, si placuerit patri tuo, uel si pater, & mater mea consenserit; aut si dederis mihi mille pro dote, uel simile, tunc conditiones istæ operantur, suspendunt enim spõsalia, donec adimpleantur, ita, ut non dicantur interim uera sponsalia, Cap. De illis, & cap. Super eo, de Conditio. appositis. quod est uerum, si conditiones à principio apponantur, cum consensu expresso amborum, uel saltem unius expressi, & alterius intelligentis, & tacitè consentientis, secundum Panorm. nam contractus debet esse cum consensu mutuo, & absolutio: dum autem consensus pendet à conditione, sponsalia nihil sunt; & consequenter non inducunt publicæ honestatis impedimentum, ut infrà dicetur. Itaque, si alter contrahentium, antequam conditio adimpleretur, contraheret cum alterius consanguinea, per verba de præsenti, matrimonium teneret quod non teneret, si conditio adimpleta esset, uel spõsalia essent absoluta, ut ibi dicetur. Pro his uide Syluest. Ver. spons. §. 5. Scotum in 3. dist. 29. q. 2. art. 1. & Nauar. cap. 22. nu. 62.

Conditio suspendens contractum sponsaliũ quã[?]

Dicitur. (Futurarum nuptiarum) idest matrimonii contrahendi; nam inter sposalia, & nuptias hæc est differentia, sponsalia respiciunt futurum matrimonium, nuptiæ autem præsens. Hæc quidem sponsalia contrahi possunt inter absentes, per parentes, tutores, uel procuratores, & tunc si de eorum principalium uoluntate fiant, tenent, si autem fiant ipsis ignorantibus, non tenent, donec sciuerint, & consenserint, quoniam consensus est necessarius, ut suprà dictum est. Sed nunquid inter absentes ualeat, si nunquam se uiderint. Sufficiũt si se nouerant per famam, uel per relationem, aliàs non, ignoranti enim ex toto, consentiri non ualet. Glo. super c. Ne illud. 30. q. 5. Hæc sponsalia pariunt obligationem ad contrahendum postea sub mortali culpa, secundum D. Tho. Si pura, & certa ex mutuo consensu ualida fuerint, nisi superuenerit aliquod legiti-

18 Sponsalia ad quid obligẽt.

legitimum impedimentum, ut infrà dicetur. Et multo magis tenetur, si interuenerit iuramentum. Vnde Ecclesia, propter iuramenti reuerentiam, deberet eos cogere; sed quia tales coactiones difficiles exitus habere solent; ideo Lutius Papa III.in c. Requisiuit, de Sponsal.& matrimon: Potius moueri debent quam compelli. Verum, quando adesset causa legitima dissoluendi illa, possent ab Ecclesia dispensationem impetrare: ubi autem nulla subest causa; qui iurauit non potest sine graui culpa resilire, inuita parte, quod intelligitur in adultis, quo autem ad impuberes, inferius dicetur.

Dicitur denique (inter uirum & mulierem) cum enim sponsalia ordinentur ad matrimonium; sicut matrimonium contrahi non potest inter personas eiusdem sexus, ut infrà dicitur, ita nec sponsalia.

Sed hic quæritur, quo ad causam efficientem. Qui possunt contrahere sponsalia? Dicitur, si loqueris, quo ad legitimitatem: quo possunt contrahere matrimonium, possunt etiam sponsalia. Vnde quę impediunt matrimonium, impediunt, & sponsalia, secundum Canones, secus secundum leges. ut patet in L. si quis officium ff. de Ri. Nupt. Si loqueris, quo ad ætatem, dico multa. Primo, qui habent septimum annum expletum, tam masculus, quàm fęmina. Nec mirum si in sponsalibus requiratur idem tempus in ambobus: & in matrimonio non; ut dicetur: nam in sponsalibus requiritur usus rationis tantum: qui in ambobus regulariter simul incipit: sed in matrimonio requiritur potentia coeundi, quæ in utroque sexu non incipit simul tempore. Possunt quidem parentes ante septennium pro filiis sponsalia contrahere: hoc enim habet ius paternum: sed in tali ætate sponsalia non tenent, & consequenter impedimentum publicæ honestatis inde non oritur, c. literas, ut suprà. Verum per mutuam cohabitationem, post septennium conualescunt, & consequenter tunc inducunt publicæ honestatis iustitiam, cap. Duo pueri, de Desponsal. impuber. quia ita præsumitur cõsensus mutuus, qui est necessarius, per ratihabitionem.

Quæritur Secundò. Quomodo sponsalia dissolui possint: Primo dico, quo ad impuberes, per reclamationem, scilicet, si dum ad ætatem legitimam peruenerint, contradixerint. Pro qua re nota; quòd ante pubertatem neuter resilire potest, nec saparari debet, & ille, qui primo fit pubes, alterum expectare debet, & non primus reclamare: & si alter eorum, dum spõsalia contraxerunt, erat pubes, ipse resilire nunquam potest, quod enim semel placuit, in ętate legitima, amplius displacere non ualet.

Sed illa, quæ minor erat, cum ad ętatem legitimam uenerit, si nolit præstare consensum, confirmando prius factum: tunc dissolui possunt, per iudicium Ecclesiæ, nisi alia uia, ut infra dissolui contigerit. Omnia hęc uide in cap. De illis, de Desponsf. impuberum. Nisi etiam inuitè contraxerit pubes, tunc enim non tenetur expectare, c. Ex litteris. eod. tit. Et si quæratur, quare ante annos pubertatis reclamare non possunt? Dicitur, propter ætatis fragilitatem, in qua non possunt habere consensum coniugalem, ut scilicet se resoluere sciant, quia in huiusmodi contractibus tractatur de re magnæ considerationis, & de obligatione pro tota uita, & ideo expectandum est tempus pubertatis, in quo melior electio fieri potest, ut si uelint esse simul: confirment contractum, sin autem separentur. Nisi interim copula carnalis interuenerit, quia tunc amplius separari non possunt, cum ipsa tempus pubertatis anticipare soleat, capit. A nobis, eodem titulo.

Nota quo ad omnes indifferenter.

Secundo dico simpliciter, & indifferenter, omnes respiciendo, dissolui possunt in multis casibus Primus est, quando alter eorum ingreditur Religionem tunc.n. iure dissoluitur, Cap. Veniens, Qui cleri. vel Vo. matri. unde remanens in seculo, potest cum alia persona contrahere, etiam antequam ingrediens pro-

Primus casus.

fessionem

sionem fecerit Syluest. Verb. sponsalia q.10.cui consentit Nauar. c.22. nu.26. Secundus casus est per susceptionem ordinis sacri, secundum omnes. Tertius est, dum cum alia contrahit per verba de præsenti, etiam sine copula. Verum qui hoc facit sine legitima causa, peccat mortaliter, & pœnitentiam agere tenetur, de fide violata. Capitulo, Si inter virum, de sponsal.& matri. Sponsalia de futuro secunda, non dissoluunt prima: etiam si in secundis interuenerit iuramentum. Cap. Sicut ex litteris, eodem titulo. Sed de secundo iuramento facto contra primum, pœnitentia imponi debet: nisi prima sponsalia contracta fuissent sub aliqua conditione honesta, nondum completa; quia vt sic non tenent, ut supra dictum est. Cap. ex sponsalibus, de sponsal. & Matrim. in sexto. Sed nunquid secunda sponsalia de futuro, per copulam subsecutam, affectu maritali, dissoluent prima similia sponsa valida? Dicitur, quòd sic, cap. Is qui, eodem tit. quia per illam copulam præsumitur consensus de præsenti. Sed hoc verum est de iure antiquo, vbi solus consensus in clandestinis matrimoniis sufficiebat: hodie per S. Concil. Trid. sess. 24. cap. 1. sola copula ad ualidandum matrimonium, non sufficit; sed requiritur, ut interueniat præsentia sacerdotis, cum duobus vel tribus testibus, & aliæ cæremoniæ, ut ibi dicitur, quod Nauar. non aduertit quamuis scripserit post Concil. Deberet quidem, ratione honestatis matrimonium perfici cum ea, quam cognouit. Et si forte secunda cognita prius, inueniretur esse ita gradus prohibitis cum prima, neutrã habere posset in vxorem; cap. Ex litteris, & cap. veniens, de eo qui cognouit consanguineam. Non primam, propter impedimentum affinitatis contractum cum secunda: nec secundam, propter impedimentum publicæ honestatis, contractum cum prima: quod impedimentum per S. Concil. prædictum, restrictum est ad primum gradum, & illud, quod contrahitur ex fornicatione vsque ad secundum gradum, sess. prædicta, cap. 4.

Secundus casus.

Tertius casus.

Ideò dico quartò, quod dissoluitur per subsequentẽ affinitatem, quando saliter contrahentium, ante quàm contraherent de præsenti, habuerit rem cum aliqua persona consanguinea vel affini, alterius sponsæ, infra gradum secundum, ut dictum est. Can. si quis sponsam, 27. quæst. 2. Dico (antequam) si enim dictã personam cognosceret post sponsalia de præsenti, illa non dissoluerentur, cap. Tuæ fraternitatis, tit. prædicto. Quintus casus est, dum quis emiserit uotum castitatis, ante celebrationem sponsalium de futuro, Cap. Rursus. Qui clerici, vel uouent. matrimonium contrahere non possunt. Dico (Ante celebrationem) nam si uotum fieret postea, non dissolueret sponsalia: quia alter in alterius præiudicium uouere non potest: Verum si contraheret de præsenti, teneret matrimonium; non obstante voto facto; nam etsi votum simplex impediat faciendum, non tamen dirimit factum, nisi quando esset sollemnizatum, ut infrà dicetur.

Quartus casus.

Quintus casus.

Sunt & alij casus, quibus sponsalia dissolui possunt auctoritate Iudicis Ecclesiastici. Primus est, quando per mutuum consensum partium dissoluuntur, etiamsi erant iurata; sicut accidit, in societatibus. Cap. Præterea, de sponsal bus, & matrimon. Quod intelligitur, quando iuramentum interuenit in fauorem ambarum partium, quibus fit obligatio, & promissio, quæ partes postea ad inuicem à tali iuramento se absoluunt, auctoritate Iudicis, sine qua peccarent mortaliter, Si autem iuramentum factum esset Deo, puta iuramento Deo promisit, accipere talem in uxorem ex charitate, uel quia erat pauper, vel ut eriperet eam à concubinatu, vel simili, tunc ait Syluest. Verbo, sponsalia, §. 50. non potest dissoluere sponsalia pro illa. Sed Nauar. capit. 22. numero 25. ait hoc posse fieri in casu, quo pars, in cuius fauorem factum est, remitteret ei aliqua iusta causa; posset cum illa, cui facta esset promissio, renunciare

Sextus casus.

renuntiare iuri suo, uel quia talis promissio ei præiudicaret, uel non expediret, uel simile: & tunc Deus relaxaret iuramentum per renunciationem eius, in cuius fauorem factum est. Verum hoc fieri non potest, nisi dispensatione Ecclesiæ cognita causa. Secundus casus est: quando post celebrationem sponsalium, superuenit capitalis inimicitia inter sponsos; tunc enim alter eorum separationem à Iudice petere potest, secundum Hostiensem, in Summa, quem alii sequuntur. Tertius casus est, quando non adimpletur promissum per alteram partium: qui casus accidit in sponsalibus conditionatis, ut suprà dictum est, puta promisit dotem, & postea non dat, uel quia non vult, vel quia non potest, etiam si impotens facta fuerit post promissa: tunc sponsus non tenetur eam ducere; etiam si non promisisset in specie certam dotem: nam conditio illa subintelligitur; unde in casu intelliguntur promissa omnia bona sua, uel dotantis, seu stipulantis, & promittentis pro ea, ut allegat Syluest. & Nauar. quibus suprà. Quartus est, quando alter sponsorum se transfert in aliam regionem, absque necessitate, nec speratur de proximo reditus eius. Dico absque necessitate, nam si necessitas fuit in causa, debet expectare: Sed sine necessitate quantum debet expectare? Secundum Canones, ut in capitulo, De illis, de sponsl. & matrim. non est tempus præfinitum: sed secundum leges ponitur biennium, si est in prouincia: si autem extrà prouinciam, triennium. Cod. de sponsl. lib. 2. Verum si subest causa rationabilis diu non expectandi: puta timetur de fornicatione, uel alio incommodo, debet per Iudicem tempus magis abreuiatum præfigi; quo transacto, nubat cum alio. Et si per eam stetit, vt matrimonium non celebraretur ante discessum sponsi, debet ei imponi pœnitentia. Capitulo prædicto. Quintus casus est, quando in contractu sponsalium appositus fuit terminus præfixus; perficiendi matrimonium; quo elapso, pars altera, per quam non stetit, ut perficeretur, efficitur libera, ita, ut possit sine periurio, cum alia contrahere: & illi, qui in promissione defecit, propter fidem mentitam, pœnitentia imponi debet. Capitulo. Ex litteris, de sponsalibus. Sextus casus est, quando post sponsalia contracta, antequam coniungerentur, alter eorum incurrit lepram. Capitulo Litteras, de coniugio leprosorum. Dico (antequam) quia si hoc acciderit post perfectum matrimonium, separari non licet. Idem dicendum, quando aliam similem deformitatem incurreret: puta Paralysim, uel amiserit nasum, oculum, aut aliud simile quid aduenerit. Capitulo, Quemadmodum, de Iureiurando, dico (Aduenerit,) nam si antequam celebrarentur sponsalia sic erat, non est, cur eam repellere debeat: quia sic ei à principio placuit. Septimus casus est, quando sponsus est nimis seuerus, & crudelis. Secundum Panor. in capitulo, Veniens. Qui clerici, uel uouen. matri. Quem sequuntur Syluest. & Nauar. quo suprà, quamuis Glos. ibi non consentiat; nisi dicere velit, quòd non omnis seueritas sufficit. Octauus casus est, quando sponsa post contracta sponsalia, fornicata esset cum aliquo, tunc repelli potest, etiam si interuenerit iuramentum: nam si post sponsalia de præsenti, ob talem causam repudiari potest, auctoritate Euangelica, quanto magis post sponsalia de futuro; Etiam si uiolenter corrupta esset, secundum Glos. ibi. Dico (post) nam si fornicata esset ante sponsalia, non posset per hoc, eam repellere; ex quo enim semel mores eius probauerat, amplius eam reprobare non potest, Cap. Quemadmodum, de Iureiurando, Nisi, secundum Vgonem, quem omnes sequuntur; tempore sponsalium credebatur virgo; & postea antequam effectuaretur matrimonium, corrupta reperta est. Et multo magis dissolui possunt, si alter eorum spiritualiter fornicaretur, idest, in Hæresim incideret, uel Schisma. Syluest. quo suprà limitat, quòd hæc facultas discedendi à tali promissione conceditur innocenti; nocens autem resilire non potest.

Septimus casus.

Octauus casus.

Nonus casus.

10. Casus.

11. Casus.

12. Casus.

13. Casus.

Adde

Adde etiam, nisi ambo in idem crimen inciderent, per ea, quæ infrà dicentur, de coniugibus separandis. Nonus casus est, quando per famam suspitio esset, vel scandalum orietur, quod inter eos est canonicum impedimentum. Cap. Cum tua, de sponsalibus, & Cap. Super eod. de consanguinitate, & affinitate. Decimus est, quando interuenit impedimentum sufficiens dirimere matrimonium contractum; à fortiori dissoluit sponsalia. Et denique generaliter dicitur. Omnis causa rationabilis superueniens: quæ si à principio adesset, Sponsalia, ne contrahentur, impediuisset, & sufficiens contracta dissoluere. Sylu. & Nauar. quibus suprà. 14. Casus. 15. Casus.

IN omnibus prædictis casibus, opus est, ut interueniat auctoritas Iudicis Ecclesiastici, qui causam dissolutionis cognoscere debet. Capit. Porro, de Diuortijs. Qui autem sine tali licentia sponsalia dissoluit, grauiter peccat, secundum D.T. & alios. 16. Casus generalis.

IN duobus casibus, aiunt Doctores, sponsalia de futuro transire in matrimonium, sine alia stipulatione, scilicet, quando interuenit copula carnalis affectu maritali, & quando sponsi ad inuicem declarant, etiam sine copula, uerbis, aut signis, consentire de præsenti, tunc enim ille consensus habet uim matrimonii clandestini. Quod uerum est de iure antiquo, quando matrimonia clandestina ab Ecclesia pro rata habebantur, sed quia hodie requiritur præsentia parochi, ut supra dictum est, ideò hæc non sufficiunt. Spōsalia quādo transeant in matrimonium.

De Sponsalibus de præsenti.

SEquitur secundus gradus, ut dicebamus, idest sponsalia de præsenti, in quibus matrimonium uim habere incipit? quod ut melius intelligatur, definiendum est.

Matrimonium est coniunctio maritalis, & legitima, viri & mulieris, indiuiduam vitæ consuetudinem retinens. 11 Matrimonij definitio.

Dicitur (Coniunctio) pro causa formali, quæ est de essentia matrimonij. Hæc autem dupliciter esse potest, scilicet, uoluntate, & corpore, hic sumitur pro coniunctione uoluntatis, & animorum, quæ consistit in mutuo consensu, coniunctio autem corporis, quæ consistit in actu consumationis, non est de essentia matrimonii. Can. Cum initiatur, 27. q. 2. ubi habentur hæc uerba: Cum initiatur coniugium, (intellige per uerba de præsenti) tunc coniugii nomen asciscitur, non enim desloratio uirginitatis facit coniugium, sed pactio coniugalis. Hinc sequitur, inter Ioseph, & Virginem Mariam, fuisse verum matrimonium. Can. Beata Maria, ead. q.

Dicitur (Maritalis) pro differentia formæ, quæ constituit speciem, non enim omnis coniunctio est matrimonium, possent enim uir, & mulier inter se in pactum ducere, ut sine eo quod coniungerentur, sibi mutuo deseruiant, uel simile; & tunc non esset matrimonium: ideo ponitur, ut sit maritalis, non tantum quo ad habitationem, hoc enim inuenitur etiam inter fratrem, & sororem, sed cum interuentione perpetuæ fidei, ut obedientes ad inuicem in omnibus se exhibeant, ut scilicet qualis sibi alter est, talis alteri sit, & è conuerso; & ideò in definitione dicitur (Indiuiduam uitæ consuetudinem retinens) ad indiuiduam enim vitæ consuetudinem pertinet, ut alter sine alterius consensu non possit aliquando orationi uacare; nec continentiam profiteri, aut similia facere. Vnde Augustinus, Canone allegato, ait: Maria uotum virginitatis

nitatis, quod proposuerat facere, si Deus aliud sibi non reuelaret, uiro suo Ioseph expressit, cui ipse consensit: & cum eius consensu expressum illud uotum seruauit. Itaque concludit August. Quia ergo iste consensus fuit inter eos, propter eos coniuges fuisse.

Dicitur (Legitima) hec particula ponitur ab aliquibus, ad maiorem expressionem; nam inter personas illegitimas non potest esse matrimonium, de quo infra. Concluditur ergo, quod in hoc requiritur mutuus consensus: & ideo requiritur consensus ambarum partium: quia unus enim non sufficit, ut infra dicetur. Requiritur etiam ut consensus iste sit de præsenti: tunc enim coniuges esse incipiunt, cum pactio coniugalis exprimitur: in hoc enim consensu maritali, mulier tradit uiro sui potestatem, & uir mulieri, dicente Paulo 1. Corinth. 7. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed uir, similiter & uir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.

Consensus de præsenti necessarius in matrimonio.

Hoc autem fieri non potest, nisi per traditionem, uoluntatum: non enim unus in alterius potestatem transire potest, nisi accedat consensus de præsenti illius rei patroni, ergo, &c. Itaque sponsalia de futuro non possunt dici matrimonium, seu nuptiæ; sed promissio futurarum nuptiarum, ut dictum est supra. Probatur etiam testimonio Sanctorum. Ait enim Ambrosius. Cum initiatur coniugium, coniugii nomen asciscitur. Item Isidorus. Coniuges uerius appellantur à prima desponsationis fide; ut habetur per hos, & alios Cau. 27 quest. 2 & per cap. Tuas, De sponsal. duorum, & cap. Cum locum, de sponsalibus.

Dubium de consensu, an debeat esse expressus.

Hic insurgunt multa dubia. Et primò dubitatur, an iste consensus maritalis sufficiat, ut sit internus; an requiritur, ut sit uerbis expressis? Ad hoc breuiter dicitur, relicta opinione quorundam antiquorum asserentium, mentalem consensum sufficere, quod ultra communem Theologorum sententiam, extat textus Alexandri Papæ III in cap. Licet, de sponsal. duorum, ubi dicitur, requiri expressum ad inuicem. Hodie autem per S. Conc. Trid. Sess. 24 cap. 1. de Reformatione, mandatur, non solum tacitum consensum; sed neque expressum uelá sufficere; sed requiritur, ut talis contractus fiat cum expresso consensu, præsente Sacerdote, & testibus oportunis, ubi necessario requiritur, ut coram illis contrahentes exprimant, saltem per signa consentire in coniugatione, quamuis non consentiant in copulam, alias non possent testificari de ueritate. Itaque nisi constet Ecclesiæ modo prædicto, non habetur pro uero matrimonio, licet ante hanc determinationem, non erat necessarium, ut taliter Ecclesiæ constaret, sed sufficiebat, ut ambo ad inuicem suam uoluntatem consentiendi in coniugatione aperirent, ut sæpè in matrimoniis clandestinis accidebat.

Consensus per signa expressus sufficit.

Dico (Saltem per signa) uerba enim non sunt de essentia in hoc casu, sed sufficit expressio, idest manifestatio uolũtatis, ostẽdens consensum ad inuicẽ. Hæc aut manifestatio fieri põt per nutum, uel signa, talem uoluntatem exprimẽtia, ut accidit in mutis, & surdis grauibus; qui uerè contrahunt; ac etiam puellis uerecundis nolentibus loqui: quod confirmatur per textum in cap. Tuæ fraternitati, de sponsalibus, & Matrim. & est communis sententia. Sed dubium est. Si puella pudore ducta nollet, nec signa ostendere de consensu, an sufficiat tertiæ personæ affirmatio, ꝙ illa consentit: puta puella antea dixerat in camera se cõsentire, uel per alia signa consensum ostendit: deinde coram Parocho uerecundatur, ita, ut nec oculos leuare uult, unde alij pro ea affirmant, & testificantur se consentire. Ad hoc aliqui dicunt: ꝙ quæcunq; persona, etiam extranea affirmauerit, coram puella, eam consentire, & ipsa nullum signum contradictionis ostendit, sufficit, quia illa taciturnitas pro consensu habetur; per illam regu-

Dubium.

lam

lam iuris. Qui tacet, consentire videtur. Verum, quamuis hæc regula quandoque concludat, tamen cum alia sequens dicat. Qui tacet non fatetur, nec vtique negare uidetur, ideo tale silentium non uidetur esse causa sufficiens, & inditium certum assentiendi. Vnde Paludanus dicit, hoc non sufficere; sed requiritur, ut ille, qui pro ea affirmare uelit, sit pater, uel mater, uel tutor, ius habens in eam, idque confirmatur per capit. unicum, de Desponsatione in 6. Sed dubium est in casu, nam accidere potest, ut puella non consentiat in animo suo, sed dum pater affirmat pro ea, ipsa coram sacerdote tacebit, aliquo patris timore, ut reclamare non audeat, ex quo suspicio oriri potest. Ideo dicerem cum Syluest. Verbo, Matrim. 2. §. 8. Si constat de consensu puellæ per aliam viam, puta quia antea prædixerat, se consentire, uel quia vir eam subarrhauit, per aliqua dona insigna, quæ dona ipsa libenter acceptauit, aut per annulum, iuxta illud. Annulo suo subarrhauit me, uel simile, in quibus illa cōsentijt, tunc sufficit postea, ad præsumendum, quod illa consentit in matrimonium; quando alius pro ea respondet in eius præsentia, & ipsa tacet, donec contrarium probetur, ut ait Glos. in cap. Tuæ nobis, de sponsalibus. Et multo magis præsumendum est tale, si Puella tacens coram sacerdote, & respondente pro se, consentit in aliis cæremoniis, quæ coram sacerdote fiunt, putā porrigit manum, in signum fidei, quam sponso promittit, accipit annulum in signum fidelitatis, & consentit in osculum pacis. Si autem antea nulla verba cōsensus præcesserunt, nec subarrhatio aliqua, & in præsentia sacerdotis, ultra quod tacet in prædictis cæremoniis, resistere, & contradicere uidetur aliquo modo, proculdubio præsumendum est non consentire, nisi ut ait Syluest. quo supra, sequente copula carnali, ubi præsumitur, quod de nouo cōsensum præstabit. Sed hoc est uerum de iure antiquo, quando Sacerdotis ceremonia non erat necessaria, sed sufficiebat mutuus consensus, quocunque tēpore illū præstabat, matrimonium confirmabat, nunc autem si coram sacerdote factum per abnegationem consensus inualidum esset, per quemcunque actū n̄ subsequētem, non sufficit illud ualidare, nisi de nouo adsit præsentia sacerdotis coniungens eos, ut ordinat Ecclesia.

Et econtra, sicut consensus mentalis, sine expressione non sufficit, ita expressio quantumcunque verbis facta, sine uoluntate consentiendi in Matrimonium, neque ualet, si alter eorum, siue ambo dissentiant. Itaque si aliquis animo decipiendi mulierem, ut ipsa consentiret in actum carnalem, uel vt eius dotem furaretur, ut solent facere aliqui forenses vagabundi, coram Sacerdote, eam fingeret se accipere in uxorem, & in animo suo dissentiret, non est matrimonium; quo ad Deum, etiam si cohabitassent tanquam coniuges; nisi de nouo animo consentirent coram parocho: sed quo ad Ecclesiam, quia de occultis iudicare non potest, præsumendum est esse uerum matrimonium. cap. Tua. de sponsalibus. *Cōsensus mentis expressus sine actu uoluntatis non ualet.*

Nec ei credendum esset, dum affirmaret, se nō consensisse: aliàs quisque nolēs vxorem, posset ita dicere: ex quo vera matrimonia dissoluerentur, separatione: vnde potest cogi ab Ecclesia, vt cū ea cohabitet, & vt vxorem teneat, donec per aliqua indicia, oppositum probantia, ueritas patesceret. Sed peccaret mortaliter, quoties eam carnaliter cognosceret, tanquam fornicator: donec animo in matrimonium consentiat; nam sicut in aliis sacramentis, ultra materiam, & formam requiritur necessariò intentio ministri, & suscipientis sacramentum, ut in superioribus dictum est; ita & in hoc; contrahentes enim sunt ad inuicem Minister, & suscipientes, ut infrà dicetur. Itaque sine tali voluntate consentiendi, non est verum matrimonium; unde si postea contraheret cum altera, secundum matrimonium teneret, & non primum, si in

Dico(Regulariter)sunt enim aliqui casus, quibus dissolui potest, uel in totum dirimendo, uel in parte, per diuortium quo ad torum, & habitationem, uel torum tantum.

Primus casus est, per ingressum Religionis approbatæ, qui casus dicitur mors ciuilis; nam Religiosus moritur mundo; puta dum matrimonium stipulatum per verba de præsenti, & non adhuc consummatum, si alter coniugum Religionem intrauerit, & in ea professionem fecerit, matrimonium dissolutum erit, etiam si alter non consenserit, ut legitur de Ioan. Euangelista, & alijs viris Sanctis, qui celebratis nuptijs, ante copulam carnalem se uoto castitatis dederunt. De hoc, ultrà quòd extat cap. Ex publico, & alia, de conuersione Coniug. adest etiam determinatio Sacri Concilij Trident. Sess. 24. De matrimonio, Can. 6. sub pœna Anathematis contrarium asserendo. Et quamuis hoc ratione probari possit, ubi tamen est determinatio, & auctoritas Sacri Concilij, non est in hoc immorandum, sed pro firmo ex fide tenendum.

Primus casus per ingressũ Religionis.

Dictum est (non consummatum) nam si consummatum esset, dissolui non posset. Sed dubium est, quando dicatur consummatum? nam casus euenire posset, scilicet, ut vir cognoscat suam, absque eo vt cõsumet, etiam seminando, sed extra vas, vel aliud sinistrum faciendo, & hoc vel per impotentiam, vel malitiam. Ad quod dicitur resolutiuè, vt ex Doctoribus hęc tangentibus, colligitur, tunc dicitur matrimonium esse consummatum, quando vir intra vas naturale seminauerit, licet claustrum virginitatis non aperuerit, nam vsu venire solet, ut absque reseratione claustri mulier concipiat, si homo intus seminauerit, & hoc sufficiat ad consummandum. Itaque oscula, amplexus, defloratio, si erat virgo, uel penetratio uasis, si non erat virgo, & similia, si nõ seminauerit intus, non sufficiunt ad iudicandum, & determinandum, matrimonium esse consummatum, ut accidit frigidis, & maleficiatis. Et multo minus, si seminauerit extra vas naturale; nam affinitas matrimonialis, ut per eam coniuges dicantur duo in carne una, contrahitur per seminum mistionem, vt dixi in prima parte Summæ, quod fieri non potest, nisi per seminationem vtriusque intra uas naturale.

Matrimoniũ, quando intelligatur esse consummatũ.

Sed dubitatur ulterius, si mulier post sponsalia de præsenti, dicat, se uelle intrare Religionem, & vir hæc ægrè ferens, cognosceret eam uiolenter, ut ingressum Religionis impediret, an per hoc dicatur consummasse, ita, vt illa non possit introire? Hostiens. dicit, quòd in tali casu non potest introire sine mariti licentia, & si fortè maritus consenserit, ipse postea non potest cum alia contrahere, quia per illam consummationem, uinculum factum est indissolubile. Panormit. super cap. Verum, de conuers. coniug. dicit, quod potest Religionem introire inuito marito, eo quòd per violentiam sibi factam nõ dicitur, suum corpus cum viro communicasse. ita, ut dicatur uerè consummasse, & uinculum contraxisse, quia inuitè cognita fuit. Syluest. Verbo, Diuortium, quæstione 5. distinguit: Si statim quòd desponsata fuit, Religionem introire elegit, & fuit retenta, & merè violenter cognita, dic, ut Panormitanus, ratione ab ipso adducta. Si autem post duos menses trãsactos à die desponsationis deliberauit Religionem ingredi, quod tempus à iure conceditur, ut possit Religionem petere; dic, ut Hostiensis, quia, eo transacto, non est amplius in sua potestate eligere Religionem; vnde cum tenebatur tunc debitum reddere, lege matrimonij, non potest dici uiolentiam passam esse; & consequenter, vinculum iam contractum est: idem dicendum, si ante dictum tempus fuit cognita non absolutè uiolenter; sed aliquo modo consentijt. Sed notate uerba. Per hoc quod dicitur (Religionem) excluduntur, qui suscipiunt tertium habitum Sancti Francisci, uel Sancti Dominici, per hoc quod dicit

Nota, de Religione.

(Ingressum) excluduntur, qui uellent domi remanere, & ibi Religionem obseruare. Per hoc quod dicit, (Approbatæ) excluduntur clerici seculares, uel regulares, Iesuitæ, & quidam alii ordines. Nota secundò, quòd alter coniugum in seculo remanens, non potest ad secunda nota transire, donec ingrediēs Religionem professionem faciat: in quò casu debet assignari terminus, cum fidei cautione, in quo tenetur professionem facere, quo transacto, tenetur ad coniugem redire: ne in fraudem alterius coniugis per monasteria vagetur. Et si fortè remanens in seculo contraheret cum secunda ante professionem factam, tale matrimonium non teneret; vnde si prima è monasterio exiret, cum illa remanere deberet.

Nota.

12 Secundus casus est. Dum Papa dispensat, ob magnam causam, vt dissoluatur. Sed in hoc casu est controuersia inter Doctores, scilicet, an Papa possit dispensare inter coniuges in matrimonio rato, & nondum consummato.

2. Casus per dispensationē Papæ.

Opinio Canonistarum.

Omnes Canonistæ, præter Syluestrum indiscriminatim, tenent quòd potest. Et præsertim super Capitulo, Ex publico, de Conuersio. coniug. quorum rationes hæ sunt; Matrimonium ratum, & nondum consummatum, in quantum est officium naturæ, & remedium post lapsum, est dirimibile; quod patet ex eius significatione; nam illa coniunctio maritalis secundum affectum, significat coniunctionem Christi cum Ecclesia, secundum rationem, scilicet qua coniungitur per gratiam; quæ gratia cum sit gratia uiæ, est amissibilis: ideo talis coniunctio est dissolubilis, contra Magistrum Sentent. Vel ut ait Diuus Thom. significat vnionem cum anima, mediante gratia: ex quo idem reddit. Consummatum autem significat unionem Christi, & Ecclesiæ, idest Diuinitatis cum carne in utero virginis, quam nunquàm dimisit; ideo est indissolubile. Quòd autem ratum, & nondum consummatum efficiatur indissolubile, scilicet, ut alter altero uiuente, cum alio contrahere non possit, hoc non habet à natura sua, dicit Albanus, sed ab Ecclesia, illud ratificando: & ideò Papa potest super eo dispensare, ratificationem auferendo: non enim est maior ratio, de ingressu Religionis, quod fit auctoritate Ecclesiæ, quàm de hoc. Confirmant hanc suam opinionem ex verbis Adæ, Genes. primo, hæc significantibus, dum dixit: *Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea*; quam ob rem relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne una: constat autem, quòd tunc sunt una caro, quando per copulam carnalem, & seminum missionem, ut dixi, contrahunt affinitatem, ita, ut ante copulam non possint dici una caro indissolubilis: ergo consummatum tantum est sua natura indissolubile. Vnde Christus Matth. 19 alludens ad uerba prędicta Gen. 1. allegata, dicit: quod Deus coniunxit, homo non separet. Quę verba Alexander III exponens in dicto cap. Ex publico, intelligit de matrimonio consummato. Sotus in 4. distinctione 27. quęst. 1. artic. 4. cum omnibus Theologis præter Caietanum, tenet oppositum, scilicet, matrimonium ratum, & nondum consummatum, non esse aliter dispensabile, quam iure Diuino: & quod mirum est, probat hoc iisdem uerbis citatis opposito modo intellectis, in quibus oppositum fundamentum stabilit. Dicit enim, cum Deus fuerit auctor matrimonii, Religionis, & fidei; sicut causa fidei dispensat, non solum super matrimonio tantum rato, sed etiam consummato Infidelium, quando alter coniugum conuertitur ad fidem, ut dicetur; ita quoque causa Religionis: & non, ut dicebat Albanus. Itaque matrimonium, ut est etiam in officium, & remedium, est iure naturæ indispensabile, hoc enim insinuant illa uerba superius allegata, Gen. primo, secundum eum, scilicet: Hoc nunc os de ossibus meis, & cetera: talia enim uerba referuntur non ad consummationem, ut asserit prima opinio, sed ad mutuum consensum: nam prolata fuerunt

Opinio Theologorum.

fuerunt in statu innocentiæ, antequam Adam cognouisset Euam. Vnde si in aliquo casu matrimonium, etiam ut officium, & remedium inuenitur dissolubile, hoc fit Deo dispensante, & non aliter. Et confirmatur, ait ipse: nam Christus Matthæi 19. ut ostenderet matrimonium esse indissolubile, alludens ad illa verba, Gen. primo allegata, concludit dicens: Quos Deus coniunxit, homo non separet, quæ uerba cum intelligantur de matrimonio rato, nondum cõsummato, sequitur, quòd Papa in hoc non possit dispensare. Ecce quõ oppositum sentit, motus ex opposito fundamento, fundato super eadem auctoritate, opposito modo intellecta. Et quia expositio Alexandri Papę superius adducta videtur ei aduersari, illam refellit dicens, illam non esse germanam expositionẽ, eo quòd Papa ibi non curauit legitimam expositionem dare verbis Christi, sed tantum loquebatur de transitu ad Religionẽ, qui post consummationem non licet, sed legitima expositio illorum verborum, ait ipse, est illa Nicolai Papæ in Can. Scripsit, 27. quæst. 2. 5. Quos Deus coniunxit, homo non separet, intelligitur de matrimonio rato: & in transitu ad Religionem, Deus interna inspiratione coniuges separat Diuino iure, quo Religio instituta est tanquam spirituale connubium. Stabilit etiam hanc suam opinionem duabus rationibus; vna est. Vinculum matrimonij alligatum, per mutuum consensum, suapte natura ordinatur ad copulam, ita, ut per illum mutuum consensum coniuges tradant ad inuicem mutuam suorum corporum potestatem, vt dicatur, vir non est dominus sui corporis, sed mulier, & econtra, itaq; alter alteri debitum reddere debet, & tenetur sub mortali, ergo illa uerba Christi. Quos Deus coniunxit, & cetera, intelliguntur de ista coniunctione, quæ fit per mutuum consensum, & non per copulam. Præterea, carnalis copula non est de essentia matrimonij, vt dictum est, sed est perfectio quædam, ad assequendum finem matrimonij, scilicet prolem, quæ copula per accidens se habet respectu consensus, qui est de essentia matrimonij, ut dictum est, tota enim vis matrimonii stat in mutuo consensu, ergo vinculum matrimonii, cum sit indissolubile, suam naturam sortitur ex ipsis consensibus, unde mirum est, ait ipse, cum inter matrimonium ratum, & consummatum non sit discrimen, nisi accidentarium, quòd ratum sit sua natura dissolubile, & consummatum indissolubile, sed quia accidens superueniens non mutat substantiam rei, sequitur, vt vtrumque sit natura indissolubile.

Hæ duæ opiniones, etsi ambo quandam probabilitatem habeant, fateor tamen neutram habere talem euidentiam, ut sine aliqua titubatione ei adhærere possimus. Verum opinio Canonistarum uidetur magis probabilis, & sustentabilis, tum ratione significati, tum etiam, quia aliter probari non posse, credo, quomodo ligamentum matrimonii sit indissolubile, quam per mistionem sanguinum, per quam possint dici vna caro. Et ad Soti assertum, scilicet, quod illa verba Genes. 1. ubi se fundat, intelligi debent de rato tantum, quia fuerunt dicta antequam consummauerant. Respondetur, quòd illa referebantur ad tempus futurum, dicendo, erunt duo in carne vna, dum miscebuntur. Quod confirmatur auctoritate Christi, scilicet. Quos Deus coniunxit, &c. vt dictum est. Et ad id, quod asserit, de Nicolao Papa, Respondetur, quòd ipse loquitur de matrimonio cõsummato, quod facit pro nobis, dicit enim, ut est ibi videre; quòd mulier illa, quæ supplicauit pro ingressu Religionis, hoc facere non poterat, nisi de consensu viri; qui consensus non esset necessarius, si non consummasset; constat enim, quòd quando non est consummatum, alter coniugum potest ingredi Religionem inuito marito, ut dictum est suprà. Et ad hoc propositum Papa inducit auctoritatem Christi, scilicet: Quos Deus coniunxit, &c. ait enim, Deus tamen, & non homo separat: quando diuino amoris intuitu, ex con-

Aucteris sententia.

Ad rationes Soti.

consensu vtriusque coniugis matrimonia dissoluuntur, Aliter autem fieri mutuam separationem vestram prohibemus. Ex quibus verbis cognoscitur, Papam loqui de matrimonio consummato. Itaque, Nicolai expositio non est contraria Alexandro Papæ. Quod autem matrimonium ratum, per ingressum Religionis sit dissolubile, auctoritate Diuina, nullibi exploratum inuenio, quod neque ipse probat. Ad rationes pro se inductas respondetur. Ad primam negatur consequentia; nam vt ait D. Tho. in 4. dist. 27. q. 1. art. 3. q. 2. ad tertium argum. cũ uinculum matrimonij, per mutuum consensum ordinetur ad culpam, sicut non habet omnimodam perfectionem, nisi secuta culpa; ita neque omnimodam indissolubilitatem, & consequenter dictum Christi non intelligitur de coniunctione per solum mutuum consensum. Hæc autem imperfectio non intelligitur, quo ad sui essentiam; est enim matrimonium essentialiter perfectum, per mutuum consensum, vt dictum est; sed quo ad significationem: perficitur enim per copulam carnalem, quo ad vtramque significationem, scilicet coniunctionem animæ ad Deum, per gratiam, & Christi ad Ecclesiam, per vnionem hypostaticam. Et confirmatur hoc per auctoritatem Leonis Papæ. 27. q. 2. Can. Cum societas, vbi ait: Cum societas nuptiarum à principio sit instituta, ut præter Commistionem sexuum, non habeant in se nuptiæ coniunctionis Christi, & Ecclesiæ Sacramentum. Quæ coniunctio intelligitur de illa facta in vtero virginis, ut notat etiam Glos. in eadem quæst. Can. Non est dubium. Ad secundam dicitur: Negatur, quòd vinculum matrimonii sit indissolubile simpliciter loquendo, hoc enim est, quod vertitur in dubium. Ad id, quod dicitur. Accidens superueniens non mutat substantiam rei. Dicitur quòd non mutat, quo ad esse, matrimonium, & perfectum in se, vt dictum est, sed indissolubilitas non est de essentia matrimonij, quia si ita esset, in nullo casu posset dissolui: accidens autem superueniens, mutat rem, quo ad illud esse accidentale, quod acquirit per illud accidens; quod est esse indissolubile, per copulam facientem de duobus vnam carnem. Et confirmatur: nam D. Antoninus 3. p. tit. 1 cap. 12. asserit, se vidisse Bullam dispensationis Martini V. in tali casu. Et Nauar. c. 22. num. 21. ait Paulum III. & Pium IIII. ob magnam causam super hoc dispensasse: contra quos responsio Soti nil ualet; non enim putandum est, dictos Summos Pontifices sola opinione Canonistarum, in re tam graui manum apposuisse: nisi eorum rationibus, satisfacti essent de potestate id faciendi.

14 *3. casus per infidelitatem.* Tertius casus est, dum aliquis infidelis conuertitur ad fidem Catholicam, & eius coniux non consentit. Pro quo nota, quòd inter infideles potest esse matrimonium, etiam si sint cultu dispares, puta Saracenus cum Iudęa: & hoc, quo ad officium naturæ, & non vt Sacramentum. Cuius matrimonij actus, si fiant debito fine matrimoniali, excusantur à peccato, ait D. Tho. Esset autem inualidum si contraheretur inter gradus prohibitos lege Diuina, & Naturali, sed non lege Canonica, cap. Gaudemus, de Diuortijs. Et si Infidelis contraxerit cũ pluribus simul, secundum eorum legem, post fidem susceptam adhærebit primæ: & si repudiata vxore, cum secunda contraxerit, etiam post baptismum, dimittet secundam, & adhærebit primæ repudiatæ, etiam si repudiata cum alio contraxisset, cap. eodem. Quę si postea voluerit habitare cum viro facto Christiano, non potest relinqui, & altera duci, iuxta illud Pauli 1. Corinth. 7. Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consenserit habitare cum illo, non dimittat eam, & si qua mulier habet virum infidelem, & hic consenserit habitare cum illa, non dimittat virũ: sanctificatus est. n. vir infidelis, per mulierem fidelem: & econtra; quia fides non soluit matrimonium, sed perficit: itaq; non posset contrahare cum secunda, viuente prima, quamuis communicare cum il-

le

le non ualeat: tunc autem cum secunda fideli contrahere posset relicta prima infideli, quando cohabitando con coniuge infideli, periculum esset, iniuriam inferre Deo, & iterum trahi ad infidelitatem.cap.Quanto,de Diuortiis. Hoc voluit insinuare Christus Lucę 14.dicens: Qui non odit patrem, & matrem, uel vxorem, propter me, non est me dignus: ubi uxorem infidelem, & non fidelem intelligere voluit. Et quod dicitur de viro, respectu uxoris, intelligitur de vxore respectu uiri.

Quartus casus est, quando post contractum matrimonium etiam consummatum, inter fideles, inter eos inuenitur fuisse impedimentum iuris Diuini, seu Naturalis. Verum hæc matrimonii solutio, seu separatio fieri non potest auctoritate propria, sed iudicis Ecclesiastici; etiam si impedimẽtum esset notorium; quia hoc pertinet ad Ecclesiam, cap.Porro, de diuortiis. Sed in hoc casu à summo Pontifice dispensatio procurari posset: si casus est dispensabilis: uel solitus dispensari. *4. Casus per impedimentum iuris Diuini.*

Sunt & alii casus, quibus diuidi, seu separari potest matrimoniũ in parte, idest quo ad torum, & non quo ad uinculum. Vnde quintus casus est, quando alter coniugum fornicationem commisit, iuxta Euangelium Lucę 16. Quicunque dimiserit vxorem, nisi ob fornicationem, &c. in quo casu non tenetur ei dare debitum, si autem dederit, peccat mortaliter, can.Si quis, 32.q.1. quam separationem, s. quo ad torum tantum, facere potest auctoritate propria, sibi data per euangelium. Si autem separari uellet, quo ad habitationem, hoc facere non potest, nisi auctoritate Iudicis Ecclesiastici, nisi quando adulteriũ esset publicum, ita, ut non posset inficiari, ait Innocẽt. Fallit hæc regula in tribus casibus. Primò si altera pars adulterauit, etiam tunc non potest eam repudiare, cap.Significasti, de Diuortiis, nam paria delicta mutua compensatione tolluntur. Itaque si casu aliquis repudiasset vxorem adulterii causa, si postea ipse quoque adulterauerit, tenetur vxorem reintegrare, capit. Ex litteris, eodem tit. Secundò, si adultera, uel adulter pœnituerit de peccato, tũc reconciliari possunt. Tertiò, quando alter coniugum alteri causam daret, directè adulterandi, cap. Discretionem, extrà, de eo, qui cognouit consan. Extenditur prædicta fornicatio, secundum Doctores, ut notat Sylu. Verbo, Diuortiũ, §. 10. ad peccatum contra naturam, & seminationem extrà uas debitum, ac etiam actum Sodomiticum, cum secunda persona. Dicit enim Panormit. Nomine fornicationis intelligitur omnis illicitus coitus, per quem iniuria fit matrimonio. Nauar. c.22.nu.22. adiungit vnum, quo ad peccatum, dicens mulierẽ non peccare debitum reddendo, vel non discedendo à marito adultero, dummodò ei non placeat, & probabiliter cognoscat, quod per talem negotionẽ, ipse non se corriget, quòd sępè contingit. Item, neque maritus peccaret, quando ei displiceret, & ad id prouidere non posset sine magno scandalo, uel periculo publico, uel priuato. 15 *Matrimoniũ in quibus casibus separari possit quo ad torum.* *1. casus.*

Sextus casus est, quando uir odit vxorem odio capitali, ubi negatur torus, & habitatio, cap. Ex transmissa, De restitutione spoliatorum. *2. casus.*

Septimus casus est, quando alter coniugum lapsus fuerit in hæresim, & cõiugem in suam hęresim inducere conatur, uel probabiliter de hoc dubitatur, tunc potest toro, & habitatione separari: non tamen liceret ad secunda vota transire, quia adhuc manet uinculum. cap. Quęsiuit, de Diuortiis. Et si lapsus, seu lapsa in hęresim compunctione ductus, seu ducta, ab hæresi sua sponte diuertit, alter reuerti debet ad pristinum torum cap. de illa, eodem tit. *3. casus.*

Octauus casus est, quando maritus est adeo animo laxo, ut uxorem, quibusdam occasionibus directè, uel indirectè induceret ad adulterandum, tunc potest separari, ut talem occasionem fugeret can. Idolatria, 28.q.1. *4. casus.*

Paluda-

5. Casus. Paludanus ponit alium casum, quando scilicet alter coniugum sollicitaret coniugem ad aliquod graue mortale, contra bonum matrimonii, puta, maritus uellet abuti vxore, & ipsa non posset retrahi à tali concucbitu, nisi separaretur.

6. Casus. Nauarrus, quo suprà ponit alium, s. quando propter dementiam mariti, uxor probabiliter incurreret mortis periculum: tunc potest separari, donec durat periculum: quod non militat in uiro: eo quòd ipse potest se ab offendente defendere.

Dictum est suprà, quod matrimonium contrahi potest inter uirum, & mulierem. Et quia sunt aliqui, qui diuersa impedimenta habent, ut contrahere non ualeant. Ideò dicendum est de his, qui excipiuntur ab hoc contractu. Hoc autem accidere potest triplici de causa, scilicet, ex defectu ętatis, ex defectu iudicii, & prohibitione legis tam Diuinæ, & Naturalis, quam Canonicæ, de quibus per ordinem.

16 Qui matrimonium contrahere non possint defectu ætatis. Quantum ad ætatē dicitur: Aetas legitima regulariter est ætas pubertatis, idest in masculis quartusdecimus annus, & in fœminis duodecimus, qui debet esse completus, ut habetur extrà de desponsatione impuberum, cap. puberes. Itaque si ante tale tempus contraxerint, siue ambo sint impuberes, siue alter eorum, per uerba de præsenti, non erit uerum matrimonium, sed talis contractus habebit uim sponsalium de futuro. Nec adueniente tempore pubertatis ex sola temporis perseuerantia, matrimonium conualesceret, nisi sequeretur carnalis copula, uel alius modus, adueniente tempore legitimo, per quem modū ostenderetur, eos de nouo consentire in matrimonium: puta cohabitando, ut coniuges: & ita se nominādo, & reputando, uel deosculando: & amplexando affectu maritali, ut cōiuges, & similia, per quæ constaret perseuerantia uoluntatis, usque ad tempus matrimonii legitimum, cap. Si Infantes, §. Idem quoque, de Desponsatione impuber. in sextò.

Hæc autem omnia uera sunt, secundum ius antiquum; tunc enim sicut matrimonia clandestina, per solum mutuum consensum, sine aliqua alia sollemnitate erant ualida, ita illa ualebant per nouam uoluntatem, tempore pubertatis, concurrentem, ut dictum est. Sed quia hodie per determinationem S. Concil. Trid. vt suprà dictum est, requiritur sollemnitas Ecclesiæ, scilicet, ut hę noua uoluntatis confirmatio fiat coram Sacerdote, præsentibus testibus, &c. Ideò sicut matrimoniū clandestinum, sine tali sollēnitate non valet, ita nec iste nouus consensus, modo quo suprà dictum est. Et ideò huiusmodi matrimonia inter impuberes, sunt periculosa, propter inconuenientia, quæ in eis accidere possunt. Vnde in cap. ubi, de Desponsat. impub. dicitur, quod impuberes ambo, uel alter, nisi pro bono pacis, in matrimonium coniungi non debent, seu alia iusta causa: posset enim accidere, ut adueniente tempore pubertatis, displiceret alicui eorum: unde uel dissolueretur matrimonium cum magno scandalo, & odio parentum; uel si aliquo respectu non dissolueretur, maneret cum magna tristitia, vel simile quid eueniret.

Dixi (Regulariter) nam qui sunt proximi ad annos pubertatis, contrahere possent, quando tamen malitia suppleret ætatem. Cap. de illis. el 2. extrà de Desponsatione Impuberum. Sed hic nota: si defecerit unus dies ad annos completos pubertatis, regulariter valet matrimonium, ait Panor. & Syluester, Verbo, Matrimonio. V. q. 5. Si autem defecerint plures dies, uel menses, non ualet: nisi tempore stipulationis contractus, malitia cōtrahentium suppleat ętatem, idest per temporis accelerationem iudicantur apti ad generationem, habentes potentiam coeundi. Ratio huius est: nam etsi circa alia iura, pubes regulariter dicatur, qui habet 14. & 12. annos completos, ut suprà: tamen in matrimonio

Matrimoniū eorum quibus acceleretur potentia coeundi.

trimonio potius consideratur potentia generandi; quæ ex habitu corporis pubertatem ostendit, quàm tempus solum: pubes namque dicitur à pudentia corporis; dum enim pudenda (quæ ita dicuntur, eo quòd pudorem aliquem aspicientibus inducunt) sunt apta generare, tunc pueri puberes, quo ad hoc, dici possunt, scilicet quo ad contractum matrimonij, per uerba de præsenti, ut dicitur in dicto capitulo Puberes. Itaque in talibus, facta omni sollemnitate requisita ad essentiam matrimonii, ut hodie requiritur, tunc matrimonium remanet perfectum, & indissolubile, ratione prædicta. Sed difficultas est, quomodo cognosci posit potentia hæc coeundi, ad roborandum matrimonium; nam casus uenire posset, ut aliquis contraheret matrimonium ante 14. annum: deinde uellet à matrimonio discedere, allegans se non habuisse ætatem legitimam tempore contractus stipulari; altera pars allegaret se habuisse potentiam coeundi, quæ sufficiebat, ad validandum matrimonium. Respondet Papa in Capitulo, Continebatur, eodem titulo. Si vir cognouerit vxorem suam tempore proximo pubertatis, non poterit separari. Sed esto quod non cognouerit: quomodo patebit? Dicit Innocent. & Abbas, si tunc temporis puer cognouerit aliam mulierem, aut mulier ab alio fuerit cognita; ex hoc apparebit, eos esse potentes ad copulam, ut nemo negare posit, matrimonium consistere inter eos. Vbi autem hæc neque constant, potest per signa indicari, quæ à natura ostenduntur, dum membra genitalia ueniunt ad tempus generationis: primo, apparet lanugo in locis pudendis, mammillæ in pectore, menstrua, & similia: hæc signa dicuntur sufficere, ad confirmandum matrimonium, arguunt enim eos esse potentes ad coeundum: sine autem illis, tale non præsumitur. Nec mirum si ante tempus pubertatis in aliquibus, dicitur accelerari ætatem ad generandum aptam: audiui namque à quodam Doctore fide digno, se uidisse Bononiæ mulierem nouem annorum concepisse. D. etiam Gregorius in dialogo dicit, vt refert Gloss. in principio, 20. quæst. 1. puerum nouem annorum impregnasse nutricem. Quæ cum raro accidant, ideo periculosum est contrahere in hac ætate. Et sicut in aliquibus potentia coeundi præcedit tempus pubertatis: ita in aliquibus aliis retardatur. Ideo quæritur, an matrimonium ualeat, in eo, qui post annos quattuordecim, non est adhuc habilis ad coeundum? Glossa in dicto cap. Puberes. de Desponsat. impub. dicit q non. Contrariũ tenent omnes Doctores, eam reprobãtes, ex quo ætas est legitima, nec apparet de futuro impedimento perpetuo, ideo matrimonium tenet.

Pubes unde dicatur.

16 Si nunquid matrimonium esse posit inter senes, qui coire non valent? Dicitur quod sic: nemo enim est tam senex, qui aliquando calescere non posit natura, uel artificio: propter quod dicuntur habiles ad contrahendum, est enim ibi bonum matrimonii saltem in spe, idest quo ad aptitudinem: etsi non in re, idest quo ad actum, quod sufficit, quod de pueris dici non potest, propter ætatis defectum. Et si sint tam decrepiti, ut nihil horum habeant, erit saltem in eis humanitatis solatiũ, ut scilicet in eis seruiatur in suis necessitatibus, Can. Nuptiarum, 27 q. 1. & ibi Glossa. Nec placet, quod ait Sotus in 4 dist. 34. art. 2. circa hoc sequens Scotum, per rationes iam dictas. Quod autem seminare nequeunt, & effici una caro, hoc non est de essentia: sed impedimentum accidentale in his qui aptitudinem habent, ut dixi, & ait etiã Panorm. & illa sustine, quia sic practicatur. Et decrepitis, qui nec calescere valent, & consequenter, nec aptitudinem copulandi, dic cum D. Thom. quod habitabunt, ut frater, & soror, propter humanitatis solatium, ut dixi.

Matrimoniũ senum.

17 Quantum ad iudicium dicitur. Qui non est sanæ mentis, vt furiosi, & amentes, matrimonium contrahere nõ valent. capitulo, Dilectus, de Sponsal. & matrim.

Qui matrimonium contra-

trahere non valent defectu iudicij. trim. Verum qui habet lucida interualla, & contraxit, dum sanam mentem tenobat, matrimonium tenet. Argum. 7. q. 1. Can. Quamuis. Si autem contraxit dum actu insaniebat, tunc non tenet, quia non habebat propriam uoluntatem, ac sanum consensum. Dubitat Glos. in dicto c. Dilectus. Esto, quòd mulier contraxerit tempore, quo insaniebat, si postquam uir reuersus fuerit ad sanam mentem, consenserit in eam, nunquid erit matrimonium? Respondet, quòd sic, per nouum consensum, quod est uerum de iure antiquo; hodie autem non sufficeret nouus consensus sine sollemnitatibus supradictis. Idem iudicium faciendũ de Ebrio, ut ait Syluester. Verbo, matrimonium, quinto. Si uerò furor aduenerit post contractum matrimonium, tunc per hoc non potest dissolui. 32. q. 7. Can. Neque furiosus.

Dubium. Sed hic dubitatur. An mulier tali uiro furioso debitum reddere teneatur, dum petit? Dicitur, quòd regulariter non tenetur, non enim petit ut homo, sed ut bellua, uerum si dum petit in sania quiescit: solent enim furiosi quamdã umbraticam quietem habere, quamuis iudicium non habeant, & tunc licebit, ad euitandam fornicationem, si continens ipsa non est. Si autem timeretur de aliquo malo, non liceret ei parere. Vir autem habens vxorem furiosam, hæc timere non potest, sed exponeret se periculo eam impregnandi, & prolem damnificandi. vnde dum probabiliter tale timeretur, peccaret mortaliter; quia faceret contra bonum matrimonij.

18 *Matrimoniũ, quando nõ teneat ob legũ prohibitiones.* Quantum ad prohibitiones legũ, multa dicere conuenit, in quibus est ualdè insudandum. Et primò pro firmo habendum est, multa impedimenta accidere in matrimonio propter varias causas ex quibus constat: matrimonium .n. triplici causarum genere constat. Primò quatenus est in officium ad finem generandi, est institutum naturę. Secundò quatenus est Sacramentum, est institutum Christi. Tertiò quatenus est coniunctum humanum, est institutum Reipublicæ. Ex omnibus istis, scilicet legis naturæ, Christi, & Reipublicæ oriuntur impedimenta, quibus prohibetur aliquando matrimonium contrahi. Quæ impedimenta sunt quamplura. Hæc autem impedimenta secundum omnes, & præsertim Diuum Thom. in quarto Sentent. distinctione 34. sunt in duplici differentia.

19 *Impedimẽta matrimonij sunt duplicia* Quædam impediunt matrimonium contrahendum, sed non dirimunt: idest sunt quædam impedimenta, per quæ sub pœna peccati mortalis prohibetur, ne matrimonium fiat; uerum si attentatum fuerit, tenet: multa enim in iure fieri prohibentur, quæ facta tenent. Quædam alia impediunt, & dirimunt: idest prohibent sub mortali ne fiant: & si forte celebrata fuerint, & irrita sunt, non quòd matrimonium tale primo sit uerum, deinde per illa impedimenta dirimatur; matrimonium enim quod semel legitimum est, per nullam causam postea illegitimari potest. Sed dicitur, quòd talia impedimenta ita prohibent faciendum; quòd si de facto fiat cum tali impedimento, nullum effectum ueri matrimonij sortitur. Et dicitur (faciendum) nam ista impedimenta præcedunt matrimonium, ne fiat, quæ autem sequuntur matrimonium, vt dissoluatur, siue in totum, siue in parte, dictum est supra. Ratio prędictæ diuisionis est, nam in matrimonio considerantur quædam, quę solum spectant ad eius sollemnitatem, per leges Canonicas, & Ciuiles, & ista sunt, quæ impediunt, & non dirimunt. Quædam alia sunt, quæ pertinent ad eius essentiam, secundùm leges à Deo præordinatas, & illa impediunt, & dirimunt. Hæc autem impedimenta oriri possunt, uel ex parte ipsius contractus matrimonii; vbi attenditur mutuus consensus; & hic tolli potest per violentiam, timorem, errorem, & ignorantiam: uel oriri potest ex parte personarum contrahentium, ubi attenditur legitima idoneitas; & hæc tolli potest per multas causas; de quibus omnibus sigillatim dicemus. In quibus nota,

quòd

quòd quidquid impedit matrimonium in uno contrahentium, impedit in altero: eadem enim ratio est in utroque.

Prohibitiones, quæ impediunt, & non dirimunt, ponuntur duo: quæ continentur in his uersibus. *Impedimēta non dirimentia.*

Ecclesiæ vertitum, nec non tempus feriarum.
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

In his duobus includuntur multa alia, quæ in genere sunt septem, de quibus dicemus per ordinem.

Quantum ad primum matrimonium dupliciter interdicitur, scilicet & quantum ad modum, & quantum ad tempus. Quantum ad modum, Ecclesia uetat, ne fiant matrimonia clam.

Pro quo notanda sunt quædam. Primò matrimonium Clandestinum est duplex. Vnum est, quando fit sine sacerdote, & testibus, ut per eos possit constare in foro Ecclesiæ. Alterum est, quando celebratur quidem præsentibus prædictis, tamen differunt denunciationes, quæ de iure in Ecclesia præcedere debent. Secundò matrimonia clandestina ab Ecclesia semper fuerunt detestata, & ne fierent, sub graui pęna prohibita, ut per multos Canones, & præsertim per cap. 1. de Clandestina desponsatione cautum est. Tertiò clandestinum matrimonium factum per uerba de præsenti, mutuo consensu, esse uerum matrimonium, Ecclesia semper docuit, & tenuit: ac ita esse declarat, donec ab illa irritum factū nō fit. Itaque matrimonia à filijs familias sine parentū cōsēsu uera esse nec parētes illa irrita facere posse, decernit: & contraria his dicētes, sub anathemate damnat. Quartò notandum est, quòd sancta Synodus Tridentina, cum animaduerteret prohibitiones illas in communi iure positas, pp hominū inobedientiam, iam non prodesse, & grauia peccata perpenderet, quę ex eisdem Clandestinis matrimonijs ortum habent, præsertim verò eorum, qui in statu damnationis permanent, dum priori vxori, cum qua clam contraxerant, relicta, cum altera palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio uiuunt. Cui malo, cum ab Ecclesia quæ de occultis non iudicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur: idcirco S. Concilij Lateran. sub Innoc. III. celebrati vestigijs inhærendo, præcipit, ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio parocho contrahentium, tribus continuis diebus festiuis in Ecclesia inter missarum sollemnia publicè denuncientur, inter quos matrimoniū sit cōtrahendum, quibus denunciationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonij in facie Ecclesiæ procedatur, ubi Parochus, uiro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat. Ego uos coniungo in matrimonium, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vel alijs vtatur verbis, iuxta receptū uniuscuiusque Prouinciæ ritum. Quod si aliquando probabilis fuerit suspitio, matrimonium malitiosè impediri posse, si tot pręcesserint denunciationes, tunc uel una tantum denunciatio fiat, uel saltem parocho, & duobus, uel tribus testibus præsentibus, matrimonium celebretur: deinde ante illius consummationem, denunciationes in Ecclesia fiant, ut si aliqua subsint impedimenta, facilius detegantur, nisi Ordinarius ipse expedire iudicauerit, ut prędictę denuntiationes remittantur, quòd illius prudentiæ iudicio sancta Synodus relinquit. Quintò dicitur. Qui aliter, quàm pręsente Parocho, uel alio Sacerdote de ipsius parochi, seu Ordinarij licentia, & duobus, uel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus, ad sic contrahendum omninò inhabiles reddit, & huiusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit,

Impedimentū quantum ad modum.

Matrimoniū clandestinū duplex.

decernit, prout præsenti decreto irrito facit, & annullat. Insuper Parochum, uel alium Sacerdotem, qui cum minori testium numero, & testes, qui sine parocho, vel sacerdote huiusmodi contractui interfuerint, necnon ipsos contrahentes grauiter arbitrio ordinarii puniri præcepimus. Sextò subiungitur quod si Parochus, uel alius Sacerdos siue regularis, siue secularis sit, etiam si id sibi ex priuilegio, uel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiæ sponsum, sine illius parochi licentia matrimonio coniungere, aut benedicere ausus fuerit, ipso iure suspensus tamdiu maneat, quamdiu ab ordinario eius parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu à quo benedictio suscipienda erat, absoluatur, de quibus ad verbum uide in Concilio Trid. sess. 24. cap. 1. de reformatione matrimonij.

1. Corollar. Ex quibus uerbis Sacri Concilij recitatis colligo multa, primò omnes contrahentes matrimonia clandestina, non solum peccant mortaliter, uerum etiam in aliquo casu eorum matrimonium nullum robur habet, quod accidit, 2. Corollar. quando celebratur sine præsentia Sacerdotis, & testibus competentibus, ut supra dictum est. Hinc euacuantur multæ difficultates, quas faciunt Doctores super matrimoniis clandestinis, secundum ius antiquum. Secundo colligitur, si contrahatur coram Parocho, & testibus non præmissa trina denuntiatione, 3. Corollar. ut suprà matrimonium quidem ualet, sed peccant mortaliter, nisi ex causa illa omittatur de licentia Ordinarii. Tertiò, si aliqua Prouincia, ultra prędictas 4. Corollar. cæremonias, uti solet alijs consuetudinibus, & cæremoniis laudabilibus, Sancta Synodus finit eas retineri, & hortatur. Quartò, quamuis consanguineorum timor, ne obstaculum ponant, propter disparitatem nobilitatis, & opum, uel simile sufficiens causa esse possit relaxandi denuntiationes, ne fiant, non tamen possunt esse causa relaxandi illam sollemnitatem, nempe Parochi, & testium, ut supra: nam ex quò factum Concilij sic decreuit ut omninò fiat, per 5. Corollar. eius decretum facta est tanquam de essentia matrimonii, & ideo illa deficiente, matrimonium est nullum. Quintò colligitur, Episcopum posse dispensare, 6. Corollar. prout sibi uisum fuerit, super denuntiationes faciendas, ut relaxentur, uel omnes, uel duæ. Sextò est notandum, quòd quando dicitur, matrimonium debet contrahi in facie Ecclesiæ; per Ecclesiam non solum intelligitur Ianua Ecclesię, seu Ecclesia ipsa: sed potest intelligi sacerdos ipse; dum enim celebratur coram Sacerdote & testibus, denuntiationibus præmissis, in facie Ecclesiæ dicetur celebrari, esto quòd talis celebratio domi fiat, ut mos est in aliquibus 7. Corollar. locis. Septimò & ultimò nota, quòd omittere alias sollenitates, extra prędictas quæ in aliquibus Prouinciis fieri solent, quæ diuersæ sunt secundum diuersitatem locorum, non est mortale; nec si contrahentes ante celebrationem, non confiteantur, ut monet S. Concil. nam ibi loquitur per uerbum hortatiuu & non pręceptiuum.

Peccant quoque mortaliter contrahẽtes, quando matrimonium celebrãdum interdicitur ab Episcopo, uel Parocho, propter aliquã suspitionem impedimenti oppositam, si non contineant, donec constet, tale impedimentum non subesse uerum contrahendo matrimonium tenet, si impedimentum propositum postea inuenitur non subesse, dummodò alia, quę sunt de substantia concurrant. vt supra, Cap. 1. de matrimonio contracto contra interdictum Ecclesię.

Impedimentũ quantum ad tempus feriarum. Quantum ad secundam prohibitionem, scilicet tempus feriarum: nota quod tempora feriarum, in quibus prohibebatur nuptias celebrari, erant ab Aduentu, usque ad Epiphaniam, & à Septuagesima, usque ad octauam Paschæ inclusiuè. Can. Non oportet, cum tribus sequentibus, 33. quæst. 4. Et à die prima Rogationum, usque ad octauam Pentecostes, c. Capellanus, de feriis. Rationem huius

huius prohibitionis assignat D.Tho.in 4.sent.d.33.quia in his sollemnitatibus, s. Natiuitatis & Paschatis solent fieri communiones deuotè; cum autem dum nuptiæ celebrantur,& sollemnizantur, fiant conuiuia,& dissolutæ lætitiæ, animusque coniugum circa carnalia, & voluptuosa occupatur, propter quæ ad S. Eucharistiam sumendam illis temporibus disponi non possunt, ideo prohibita fuerunt. Hodie propter iuuenum incontinentiam à S. Ecclesia Romana tempus hoc restrictum est, vt videre est in Conc. Trid. Sess.24.c.1.de reformatione matrimonii ubi habentur hæc verba: Ab aduentu Domini Nostri Iesu Christi, vsque ad diem Epiphaniæ, & à Feria quarta Cinerum vsque ad octauam Paschatis inclusiuè antiquas sollemniũ nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus obseruari Sancta Synodus præcipit, in aliis verò temporibus nuptias sollemniter celebrari permittit, quas Episcopi, vt ea, qua decet modestia fiant, curabunt: Sancta enim res est matrimonium, & Sanctè tractandum. In his ergo tẽporibus prohibentur matrimonia celebrari, si autem celebrata fuerint, tenẽt. Id, quod sub mortali omnino prohibitũ est, ut sponsi nõ accipiant solennẽ benedictionem nuptiarum, nec in domum sponsi sponsa sollemniter, & cum apparatu traducatur, c. Cappellanus. quo suprà. Et sacerdos dans talem benedictionem, grauiter puniendus est, ait Sylu. Verbo Matr.7.§.2. Possunt quidem in dictis temporibus contrahi sponsalia de futuro. Sed hic dubitatur, an in dictis temporibus possint contrahi de præsenti. Sunt qui dicunt, quòd non. Solent enim in nuptiis ostendi multa signa lętitiæ dissolutę, ex nouitate nuptiarum, in quibus temporibus homines deberent se ad spiritualia eleuare, & ad Eucharistiam Sanctam præparare, ideò ut ista fugiantur, Ecclesia tales contractus prohibet. Paludanus dicit aliam rationem, scilicet, quòd tales contractus non debet fieri clandestinè; sed in facie Ecclesiæ, ut etiam S. Conciliũ ordinat. Sed communior, & sanior opinio dicit, quòd potest fieri: nam in capit. Cappellanus, non prohibetur, secundum glossam, nisi tantum sollemnitas nuptiarum, copula, & traductio sponsæ: quod placet Nauar. cap.22. num.71. Syluest. autem conciliando dictas opiniones dicit, ꝙ prima opinio intelligi debet, dicta sponsalia de præsenti contrahi non debere cum sollemnitate, apparatu conuiuii, & huiusmodi, sine autem his non est prohibitum. Ad rationes Paludani dicitur, ꝙ in facie Ecclesiæ fieri intelligitur, quando fit coram sacerdote, & testibus, ut suprà dictum est, quod fieri potest domi cum paucis, sine sollemnitate. De qua re standum est consuetudini locorum, ait Archid. Traducere autem sponsam in domum sponsi, êt sine sollemnitate, ut aliqui sentiunt, non licet, Can. Nec vxorẽ, 33.q.4. quam sententiã sequũtur D.T. Panor. & Syl. quo suprà. Quantũ ad copulam. i. an cõiuges ante talem benedictionem consumare possint matrimonium sine peccato, est maior difficultas. Aliqui, quos refert Syluest. quo suprà, ac sequitur, tenent peccare mortaliter, si fiat sine sollemnitatibus, ut suprà dictum est de sponsalibus de præsenti. Sot. in 4 Sent. 28. q.1. art.2. disputat ex utraque parte, tandem concludit peccare uenialiter, esset autem mortale, propter contemptum. Ex sacro Conc. quo suprà, non habetur aliud, nisi quòd hortatur coniuges, ne cohabitent in eadem domo ante sacerdotalem benedictionem in templo faciendam. Ex quo dici potest ex una parte, si hortatur, ergo non obligat ad mortale, quia præciperet, & pro alia parte dici potest, ad quid hortatur, ne cohabitent, nisi propter periculum consummandi ante benedictionem? Itaque vndique sunt angustiæ. Ad hoc dici potest: primo, in hoc casu duo sunt clara, scilicet, consummare pòst sponsalia de futuro, ante stipulationem de præsenti est mortale, toties, quoties futuram uxorem cognoscit. Alterum est, consummare matrimonium post stipulationem per verba de præsenti, ante benedictionem sacerdotalem in

Quando prohibeantur celebrari nuptiæ tempore feriarum.

Dubium si tẽpore feriarũ sponsalia contrahi possint de præsenti.

templo, si id prohibetur ab Ordinario loci, est mortale, pro prima vice: ubi autem non prohibetur in specie, quia in hoc stat quæstio; diceremus, vbi est consuetudo ordinaria, quòd sponsi ante ianuam Ecclesiæ stipulationem per verba de præsenti faciant, & ibidem accipiunt simul benedictionem nuptiarum; si casu aliquando accidet, vt sponsalia de præsenti, domi fiant, non posset sponsus sine mortali, ante dictam benedictionem matrimonium consummare; nisi de licentia Episcopi, ad fugiendum alia peccata: puta contraxit per verba de præsenti tempore feriarum, & quia non potest continere, donec feriæ transeãt, ne interim faciat aliqua indebita, etiam cum sua practicando, petit dispensari super hoc ab Episcopo. Vbi autem talis consuetudo nõ uiget, sed passim solent præcedere stipulationes de præsenti; si hoc acciderit tempore feriarum, posset sine mortali copulari carnaliter, sine tamen sollemnitate, ut suprà.

Dubium de necessitate benedictionis. Dubitatur hic. An ista talis benedictio sit de substantia matrimonii, ita, ut si omittatur, non sit verè matrimonium? Guillielmus Parisiensis in tractatu de matrimonio asserit: cum matrimonium, quod antea erat in officium tantũ, institutum fuerit in Sacramentum, conueniens erat, vt per nouum ministrum, & nouam formam, ad id necessariam stipularetur, ut cætera Sacramenta; verba.n. contrahentium, quibus mutuus consensus exprimitur, non videntur vim habere nisi cuiusdam contractus, ut accidit in alijs stipulationibus; vnde, etsi per ea efficiatur verum matrimonium, non tamen habent vim Sacramenti conferentis gratiam nisi quando per ministrum Ecclesiæ mediante benedictione sollemnizatur. Hæc opinio ita singularis est, ut nemo de ea meminerit, nisi Sotus in 4. dist. 26. q. 2. art. 3. Vnde dicendum est cum eo, post D. Th. quo suprà. Hanc Sacerdotalem benedictionem non esse de substantia Sacramenti; sed de eius sollemnitate, tamquam Sacramentale aliquod: quę si omitteretur per negligentiam, vel contemptum, graue peccatum esset.

Quæ sit benedictio nuptiarum. Benedictio quibus dãda nõ sit. Posset aliquis dubitare, prout mihi quandoque relatum fuit, cum plures benedictiones dicantur à Sacerdote in Missa nuptiarum, s. ante Missam, infrà Missam, & post Missam, quæ illarum sit propriè benedictio nuptiarum? Dicitur, quæ infrà Missam post orationem Domimcalem cum pallio dicitur. Ista autem benedictio dari non debet illis, qui ad secunda vota transeunt, etiam si unus cõiugum sit talis, nam ex quo in prima desponsatione fuerit benedictus, uel benedicta, per alterius cõiugis adhæsionem non benedictus efficitur benedictus, seu benedicta, non opus est amplius benedici: nam adhærens benedicto fit benedictus, unde sufficit, ut dicatur missa sponsalitii cum aliis cęremoniis, cap. 1. & 3. de secundis nuptiis: nisi ubi est consuetudo in aliquo loco, ut fiat, ait Nauar. cap. 22. nu. 83. sed Glossa in dicto cap. adiungit; nisi quando Papa scit consuetudinem talem, & tolerat, aliàs minimè. Verum, qui in primis nuptiis benedictionem non habuit, potest in secundis benedictionem accipere; quia tunc cessat ratio prædicta.

Impedimẽtũ propter sponsalia de futuro. Quantum ad tertium impedimentum, scilicet sponsalia de futuro, breuiter dicitur. Qui contrahit sponsalia de futuro cum vna, non potest contrahere de præsenti cum alia sine peccato mortali, nisi dicta sponsalia de futuro aliquo modo licito soluerentur, aut ipso iure, aut auctoritate iudicis. Vbi autem talis solutio non adest, contrahendo de facto cum alia, tenet quidem matrimonium cum secunda, sed pœnitere debet de fide violata, sed de hoc satis dictum est supra, de sponsalibus.

21 *Impedimentũ propter Catechismum.* Quantum ad quartum, s. Catechismum. Nota, quòd etsi Catechismus non inducat compaternitatem sufficientem dirimere matrimonium, ut cognatio spiritualis Baptismi, de qua loco suo satis diximus: tamen contrahitur aliqua sufficiens, ad impediendum tamen, ut habetur cap. Per Catechismum, de cognatione

tione spirituali. Itaque qui cum tali compatre per Catechismum solum contraheret per verba de præsenti; matrimonium quidem teneret, sed peccaret mortaliter. Et si quæratur, inter quos contrahitur hoc impedimentum catechismi? Respondetur, inter eos inter quos contrahitur impedimentum Baptismi, secundum determinationem Sacri Concil. Tridentini, ut benè probat Nauar. capit. 22. num. 72.

Impedimentũ propter uotũ simplex.

Quãtum ad quintum impedimentum. s. Votum simplex castitatis. Nota plura: Primò, inter uotum sollemne & simplex hæc est differentia. Votum simplex est, quando homo, uel mulier simpliciter Deo promittit seruare castitatem, aut in Religione, aut extra: uotum sollemne est, dum postea sollemnizatur, uel per susceptionem ordinis sacri, uel per professionem factam in Religione approbata: quando scilicet in ea proprie professionem facit: quæ professio hodie fieri debet decimosexto anno expleto, tam in viris, quàm in mulieribus: & si casu ante fieret, non tenet, ut habetur in S. Conc. Trid. Sess. 25. c. 15. Secũdò est sciendum, quod impuberes quantumcunque sint doli capaces, votum castitatis emittere non valent, Can. 1. & 2. vigesima q. 2. Nisi adueniente tempore pubertatis, illud confirmauerint de nouo: quo facto, nec ipsi, nec parentes eorum postea illud annullare possunt.

22 *Nota differentiã inter uotum simplex, & sollemne.*

Tertiò tale votum simplex à potente uouere emissum, impedit matrimoniũ contrahendum: uerum si de facto contractum fuerit, tenet matrimonium, cap. Meminimus, & c. Rursus. Qui cler. & vouent. matrimonium cõtrahere possunt. Verum hoc attentantes sine dispensatione ex causa, peccant mortaliter. Vnde quædam Glossa dicit, quod est peior adultero, fidem uiolando, & promissum non adimplendo: immò non solum nubendo peccant, sed etiam nubere volendo: in quo casu damnatur uoluntas discedendi à promisso. Can. Nuptiarum bonum. §. In coniugali, 27. q. 1. Nisi secundum aliquos contrahendo, non haberet uoluntatem consumandi, sed intrandi Religionem post contractum; quia hoc modo non facit contra uotum suum.

Sed secundum D. Th. post Richardum, quos sequitur Sylu. & Nauar. locis suprà citatis; peccat omninò. Primò, quia saltem facit implicitè contra uotum suũ consentiendo implicitè in copulam carnalem, eo quòd tradit potestatem corporis sui alteri coniugi, ut dictum est supra. Secundò, quia se exponit magno periculo incontinentiæ, nam qui amat periculum, peribit in illo. Tertiò, quia contrahendo cũm intentione negandi debitum, nõn esset verè matrimonium, deficeret enim finis, & perfectio eius. Vnde Glos. in Can. Si quis uotum, 27. q. 1. ait: qui tale promitteret, non tenetur seruare, quia faceret contra bonum matrimonij. Itaque contrahendo de præsenti in nullo casu potest homo, uel mulier promittere castitatem seruare nisi à Deo fuerit reuelatum. Hinc Aug. ait, & habetur 27. q. 2. Can. Beata Maria. Quamuis Virgo Maria proposuerit in corde suo virginitatem seruare, non tamen uotum uirginitatis expressit, itaque dum desponsata fuit Ioseph, consensit quo ad uoluntatem in copulam, remittendo se Diuinæ voluntati, sed quantum erat de se, uirginem se præseruare uolebat, nisi aliter Deus ei reuelaret, & ita fuerunt ueri coniuges. Quod postea sic euenit: nam de communi consensu uoluntatis, Deo inspirante, cum Ioseph uotum confirmauit vterque aliter nõ poterant. Sic dico in proposito. Est ergò simpliciter tenendum, tales grauiter peccare. Quartò, ex hoc sequitur, quòd alter coniugum, qui uotum emiserat, debitum quidem reddere tenetur, sed petere non potest sine mortali, cap. Quidam, extrà de conuers. coniugat. Quantum ad dispensationem, regulariter in hoc non potest nisi Papa dispensare. Rationẽ reddit Diu. Th. istud impedimentum exigendi, ex voto uenit, unde qui potest in uno, potest in alio. Dixi (Regulariter) nam ex causa legitima, ait Syluester,

Verbo, matrimonium, 7. §. vltimo, cum modernis, potest dispensare Episcopus. Et si ambo uouerunt castitatem, an matrimonium teneat? utique tenet, ait Glo. in c. Si quis uotum, 27 q. 1. petere autem debitum nemo potest, sed reddere, sed quomodo reddet, si non est, qui petat. Respondetur, si uterq; sciat, alterum indigere, nec posse exigere, debet eo cômisceri, & uterque reddere dicetur. Quin tò tale uotum emittens, si per mortem alterius coniugis matrimonium soluatur, tenetur castitatem postea seruare, ut prius, secundum quòd per vo um se obligauit, quia per matrimonium obligatio non fuit ablata, sed tantum executio donec uinculum durat, cap. Quidam, ut suprà. Vnde Ecclesiam, dum cum taliter vouenti dispensat, ut possit contrahere, tali conditione dispensat, ut soluto matrimonio, ad obseruantiam uoti redeat. Sextò, si emittens uotum castitatis, postea, iurasset, se uelle talem mulierem dispensare, quid potius obseruare debeat? Dicitur, quòd potius tenetur obseruare votum, quam iuramentum, est enim fortius uinculum, & prior obligatio, sed quia temerariè iurauit, tenetur de iuramento temerariè facto, pœnitentiam agere.

De Impedimento Criminis.

23 *Impedimentũ pp incestum.* QVantum ad crimen dicitur. Sex sunt species delicti, quę impediunt matrimonium faciendum, sed non dirimunt factum, ut notant Doctores, & Gl. in Can. Qui presbyterum, 31. q. 2.

Primum est incestus, qui enim sunt incestuosi priuantur hoc beneficio, c. 1. & 4. & cap. ex litteris, de eo qui cognouit consang. vxoris. vbi habetur, quòd qui cognouit cognatam, non potest cum alia contrahere, quæcunque sit illa, hoc idem intelligitur de muliere, quæ se fecit cognoscere ab aliquo affine, uel consanguineo, & hoc datur in pœnam, ob iniuriam matrimonij. Quod si de facto tales incestuosi contraxerint cum aliis, matrimonium quidem tenet, sed peccent mortaliter, nec debitum coniugale, sine peccato, petere possunt, sed reddere tantum, nisi super hoc ab Episcopo fuerit dispensatum, c. Ex litteris, eodem. & Can. In adolescentia, 33. q. 2. in casu tamen; ut textus dicit, quando timetur de lapsu carnis, id est, de incontinentia. Et si diceretur, Iuuenes non sunt soliti super hac dispensatione quærere; nisi quando cum eisdem mulieribus attentant matrimonium perficere; unde cum talis consuetudo petendi licentiam, nô adsit, non est cur imputetur ad nouum peccatum, quod dictum est. Ad hoc respondet Syluest. Verbo, matrimon. 7. quæst. ultima, quòd hæc consuetudo contraria eos non excusat, tunc autem excusaret, quando Episcopi hoc scientes dissimularent, quòd si non quęrant dispensationem, hoc accidit ex ignorantia iuris: quòd benè aduertere debent Confessores, instruendo tales iuuenes incestuosos, qui in hoc delinquunt. Ego dicerem in hoc illos tantum ab hoc peccato excusari, quos iuris ignorantia excusat, qui autem sint isti, alibi dixi: Sed dubium est, quo incestu prædicti maculati intelligi debeant, affinitatis tantum, an de omni incestu? nam multi tenent, quòd intelligi debet de incestu cum affine: quia de hoc loquuntur capit. allegata: nec de alio iure inuenitur expressum. Hanc sententiam sequuntur ferè omnes Theologi; Summa Angelica, & omnes Canonistæ, quos sequitur Nauarrus, cap. 22. num. 74. qui dicunt, intelligi debere de omni incestu: & hoc tene, ut benè probat Nauar. Secundum delictum est vxoricidium, cap. Admonere, 34. quęst. 2. ubi habetur, quòd quidam in

Impedimẽtũ pp uxoricidiũ

terfecit

terfecit uxorem suam sine iusta causa, cui impositum fuit, ut uxorem amplius non duceret, & pœnitentiam ageret.

Dixi (Sine causa) nam cum causa legitima, non incurritur tale impedimentum; puta quia adulterata erat: tunc enim secundum iura, licitum esset, uigore tñ iustitiæ, & nõ liuore uindictæ: contra autem uxorem uiricidam tale non inuenitur expressum: nisi quando machinatur mortem uiri, ut adulteram duceret, de quo infrà. Sed Nauar. quo suprà, quod debet idem intelligi de uxore, quod de marito, in correlatiuis enim eadem est ratio in ambobus. Tertium est raptus sponsæ alterius. Can. Raptor, & Can. Statutum, 17. quæst. 2. ubi dicitur: Si quis sponsam alterius rapuerit, debet publica pœnitentia multari, & sine spe coniugii manere: etsi mulier rapta non consentit, ipsa potest nubere alteri sine peccato; ex hoc sequitur, quòd si consensit, incurrit eandem pœnã. Et si erat sponsa de futuro, non pôtest contrahere cum raptore sine peccato, quod prohibetur in odium rapinæ: quamuis de honestate conueniens esset: sed matrimonium tenet, ut ait ibi Glossa. Quartum est, quando aliquis interficit aliquem Sacerdotem, ultra pœnitentiam duodecim annorum, debet carere spe coniugii. c. Qui presbyterum, de pęnitent. & remiss. Quintum est, quando aliquis leuaret proprium filium de fonte, hac intentione, ut inde contracto impedimento reddendi debitum coniugale, illud posset vxori negare, in quo casu, ultra grauem pęnitentiam, priuatur iure petendi, & spe secundi coniugii, in casu, quo primũ dissolueretur. Sextum est, quando quis commisit peccatum, propter, quod fuit ei imposita pœnitentia sollemnis Can. de Iis, 33. quęstio. 2. Et quod dicitur de uiris, intelligitur de mulieribus, ait ibi Glos. per regulã correlatiuorum, ut suprà. Aliqui ponunt septimũ casum, scilicet quando quis accipit in uxorem scienter aliquam monialem. Can. Hi uerò, 27. q. 2. sed istud secundũ Glossam ibi, redducitur ad incestum ut suprà, ideo transeo. Et de impediẽtibus & non dirimentibus satis.

Impedimentum propter raptum sponsa.

Impedimentum propter homicidium Sacerdotis.

Impedimentũ ob leuationẽ filij de fonte.

Impedimentum ob pœnitentiam publicam.

24 Sequitur modo dicere, de his, quæ impediunt, & dirimunt matrimonium, idest qui sunt casus, quibus non solum prohibetur matrimonium contrahi sub mortali, sed etiam si fortè de facto contractum fuerit, nullum effectum sortietur: Hi autem sunt in duplici differentia, ut suprà dictum est, ex mente D. Tho. in 4. Sent. nam in matrimonio duo essentialiter concurrunt, scilicet, persona legitima contrahens, & mutuus consensus contrahentium; omnis ergo cõtractus matrimonialis, per quem circa hæc duo essentialia, errorem inducit, ipso iure est nullus. Hi autem errores possunt esse duodecim; qui continentur in his uersibus.

Impedimenta quæ dirimant matrimonium contractum.

Error, conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, honestas.
Si sis affinis, si fortè coire nequibis.

De quibus dicemus per ordinem ad plenum, de quod important multum, & quo ad conscientiam, & quo ad honorem, ut iudicanti patet.

De Impedimento Erroris.

Primo ponitur Error, qui aufert consensum, super quo dicenda sunt multa. Primò, Error, qui consensui aduersatur, & consequenter matrimonium dirimit, est duplex, scilicet, personæ, & conditionis: de errore personæ est hic

Error circa personam dirimit matrimonium tam contractum.

sermo. Secundò, Error personæ est triplex; vel est circa personam propriè, vel circa fortunam, uel circa qualitatem. Tertiò. Error circa personam propriè est, quando Vir, uel Mulier credit contrahere cum persona, quæ non est illa, quam putat esse, sed alia ab illa: puta credit contrahere cum filio talis in particulari, cum non sit ille, quem esse credit: quod accidere potest, uel quando contrahit per uerba de præsenti cum persona absente, per procuratorem; qui suum principalem decipit: uel cum persona iam præsente, sed simulante, & dicente se esse filiũ talis, de quo puella aliquam notitiam habet per famã saltem, & in eum fertur sua uoluntas, tunc matrimonium non tenet; quia deficit consensus, qui est de essentia, ut suprà dictum est: con sentire namque est cum alio simul sentire; qui autem errat in persona, non consentit. L. si per errorem, ff. de Iurisdictio. omnium iud. Dico (talis in particulari) nam si diceret, sum filius Ducis, Nobilis, uel Diuitis simpliciter, & in generali, neminem nominando; & ita crederetur, tunc talis error non esset sufficiens dirimere matrimonium, quia vt sic, non est error circa personam, sed circa fortunam, cuius bona sibi attribuit. Et si fortè diceret, sum filius talis nobilis in particulari, cuius notitia non habetur, talis error non dirimit matrimonium, quia errare, est alium pro alio acceptare, quod non accidit, nisi in illis, quorum aliquam cognitionem habeamus; quamuis nunquam eos uiderimus. Itaque omnimoda ignorantia remouet errorem: dicitur enim. Inuisa diligere possumus, incognita nequaquam. Vnde in tali casu, consensus fertur circa personam præsentem, prout cognoscitur, ut ipsa, & non ut filius talis, cuius se fingit esse, de quo cognitio non habetur. Error circa personam est etiam, quando creditur contrahere cum persona singulari habente aliquam conditionem particularem, ratione cuius consentit in eam, aliàs non consentiret, & contrahit cum alio fingente illam esse: puta quidam Comes, de quo puella habet cognitionem habet duos filios, quos illa non cognoscit in specie; illa vult primogenitum, accedit secundus, & fingit se esse primogenitum talis Comitis, & sub hac credulitate matrimonium contrahitur; tunc est nullum: quia puella non consentit in eum, quamuis præsens sit, sed in primogenitum, ob successionem status, & bonorum. Item quidam nobilis habet tres filios, quorum vnus vocatur Carolus, qui est dignitate, & uirtutibus insignitus, cuius famam sciens puella, eum desiderat; si casu eius frater fingeret, se esse Carolum, matrimonium cum eo contractum non tenet, quia illa non consentit in præsentem, sed in Carolũ, de quo famam eius dignitatis, & uirtutum habet. Tunc autem in talibus casibus, matrimonium effectum haberet, quando hoc errore ante copulam scito, postea in copulam consentiret, quia tunc ratificat consensum. Exemplum de Iacob cum Lia. Iacob enim non consenserat in Liam, sed in Rachel, pro qua septem annis seruierat: cũ autem, eo ignorante, Lia fuisset supposita, non fuit inter eos coniugium, per præcedentem consensum, sed per subsequentẽ. Error fortunæ est, quando putat contrahere cum diuite, & postea inuenitur pauper; uel cũ nobili, & postea inuenitur plebeus, & similis. Error qualitatis est, quando credit contrahere cum virgine, & inuenitur corrupta: cum honorata, quam esse fingit, & inuenitur infamis, vel simile, & tunc isti errores non dirimunt matrimonium, ita etiam si contraheret cum aliquo forensi, qui fingit se esse Doctorem, cum non sit. De his, & similibus, vide Gratianum, 29. q. 1. Syluest. Matrim. 8. Angelum, Verbo, Matrimon. Rosellam. Verbo, Impedimentum, & Nauar. cap. 22. nu. 32.

Error fortunæ non dirimit. Error qualitatis non dirimit.

De

De impedimento Erroris conditionis seruitutis.

ERror conditionis seruitutis impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum, aufert enim consensum qui necessarius est, ut suprà. Puta dum puella contrahit cum seruo, putans esse liberum, & econtra, Iuuenis liber contrahit cum serua, putans esse liberam, cuius statum ignorabat, quod si sciret, nullatenus faceret: tunc matrimonium non tenet, etiam si post ad tempus manumitteretur, quia quod ab initio fuit inualidum, semper est tale: nisi consensus sequatur. Dixi (Quod si sciret, nullatenus faceret) nam si contraxit tali affectione, ex ardenti amore, ita ut si sciret illam esse seruam, adhuc eam duceret, propter eius pulchritudinem, uel diuitias, uel aliud, tunc tenet matrimonium, nam in primo casu dicitur ignorantia antecedens actum, quæ tollit uoluntatem, sed in secundo dicitur ignorantia consequens actum, quæ non tollit uoluntatem. Itaque si postquam sciuerit, in primo casu, non consentit, possunt separari, & cum alijs contrahere, quod non potest, in secundo casu. Et tunc fieri debet auctoritate Iudicis Ecclesiastici, & non auctoritate propria, nisi quo ad torum tantum. Et si durante ignorantia seruitutis, alter eorum contraheret cum alio, uel alia scienter, tenet secundum, & non primum. Si autem habita notitia de eius seruitute, cognouerit eam affectu maritali, amplius separari non ualent, sed compelli, ut maneant, cap. proposuit, & cap. Ad nostram, de coniugio seruorum. Dico (habita notitià) non n. sufficit quælibet leuis, & temeraria suspitio, uel cognitio, ad præiudicandum ei, si eam ita cognouerit. Dixi (Affectu maritali) nam si cognito, ꝙ non sit uxor, uellet postea eam cognoscere, non tanquam vxorem, sed libidinosè, ut meretricem, cum intentione eam relinquendi, esset tunc fornicator, & non maritus: & ideo toties peccat mortaliter: nam ante notitiam cognoscendo eam bona fide, excusabatur à peccato. Et multo magis separari non possunt, si scienter contraxerunt, quia iam adfuit mutuus consensus. Can. Si quis liber, 29. q. 2. Nec separandi sunt serui, & seruæ, dum adinuicem contraxerunt, ex eo, quòd Domini contradicunt: debent tamen vt prius, seruitia Domino exhibere. Cap. Dignum est, eodem tit. Si uerò Dominus tradiderit alicui personę liberæ ancillam suam, vt liberam, uel scienter tacuit eam esse ancillam, & ipse accipiens ignorabat, tunc matrimonium tenet, quia ex Domini traditione statim facta est libera, vt non teneatur amplius Domino seruire, quia per illam traditionem intelligitur Dominum ei libertatem dedisse. Authentica, de Nuptijs, §. Si uerò ab initio. Quod Panor. affirmat. Seruus contrahens matrimonium contra Domini uoluntatem, magis tenetur ad seruiendum domino, quam ad reddendum debitum vxori: Si autem de eius licentia contraxit, magis tenetur vxori, quam domino: unde peccaret dominus impediens seruum, ut debitum reddere non posset. Et multo magis si eum uenderet in partes remotas, ex quo non posset debitum uxori reddere: nisi quando contra eius uoluntatem contraxit; uerum hoc non esset decens. De his vide Syluest. Verbo, Matrim. 8. §. 2. Nauar. cap. 22. num. 33. & quod dicitur de uno coniugum, intelligitur de alio, nam teste Arist. relatiuorum eadem est disciplina.

De impedimento Voti.

VOtum sollemne, quod sollemnizatum est, per professionem in Religione approbata, vel per susceptionem ordinis sacri; non solum impedit matrimonium faciendum, sed dirimit factum, cap. 1. de Voto in sexto. Et qui tale desiderat, peccat mortaliter. Can. Vouentibus, 17. q. 1. ubi dicitur. Vouentib. virginitatem, non solum nubere, sed etiam velle, damnabile est. Et qui de facto nubit, excommunicatus est; per Clement. 1. de Consanguinitate, & affinitate: Dixi (Sollemne) nam de voto simplici, etiam perpetuo, dictum est suprà, quòd impedit, & non dirimit: Dixi (In Religione approbata) nam si quis professionem faceret in aliqua Regula non approbata, vel in Regula tertij ordinis Sancti Dominici, & Sancti Francisci, & postea nuberet, matrimonium teneret, ait Archid. & Syluest. quo suprà; licet peccaret. Nota hic, quòd post Sacrum Concil Trid. professio fieri debet, decimo sexto anno expleto, tam in viris, quā in mulieribus, in quacunque Religione, & q tales admitti debent, postquam steterint ad minus per annum, post susceptum habitum, in sua Religione. Itaq; si professio ante dictum tempus facta fuerit, nullum effectum habebit, nullamque inducet obligationem, ad alicuius Regulæ vel Religionis, uel ordinis obseruantiam, vt est videre Sess. 25. c. 15. de Reformatione.

Nota de tempore emittendi professionem.

De impedimento cognationis spiritualis.

Cognatio spiritualis quid sit.

COgnatio est triplex, scilicet spiritualis, carnalis, & legalis; Cognatio spiritualis, de qua hic est sermo, est quædam proximitas, seu vinculum, proueniens per administrationem Sacramenti Baptismi, & Confirmationis: inter quasdam personas, ex statuto Ecclesiæ.

Dicitur (Vinculum) per quandam similitudinem, à cognatione carnali: sicut enim infantes, dum nascuntur, indigent parentibus, qui eos iuuarent, & eis subuenirent in necessariis, vsque ad debitum augmentum: ita etiam qui renascuntur in Christo per baptismum, indigent patrino, & pędagogo, qui eos in suam tutelam suscipiant, & de necessariis ad salutem instruant, iuxta illud Petri in prima Epistola Canonica. Sicut modo geniti infantes lac concupiscite, &c. Vnde per hoc officium, quod in dictis Sacramentis, illis ministratur, conueniēs est, vt contrahatur quoddam vinculum paternitatis: vt ait Dionysius Areopagita, & in tractatu de Baptismo fusius diximus.

Dixi (Per administrationem) nam qui concurrunt in actu regenerationis contrahunt hoc vinculum: ceteri autem qui assistunt, & auxiliantur, non contrahunt, vt suo loco diximus.

Dixi (Baptismi & Confirmationis) nam per solum Catechismum non contrahitur hoc vinculum sufficiens dirimere matrimonium, quamuis illud impediat, vt suprà diximus, cap. contracto, de cognatione spirituali. Per hoc etiam excluditur cognatio spiritualis Sacramenti Pœnitentiæ; quamuis enim pœnitentes dicantur filij spirituales, non tamen contrahunt hoc vinculum, vt in Sacramento pœnitentiæ dictum est.

Dixi

Dixi (Inter quasdam personas) pro quo nota, quòd antiquitus hæc cognatio erat triplex, scilicet, paternitas, compaternitas, & fraternitas, cap. 1. de cognatione spirit. in 6. Hodie per Sacrum Concilium Trid. Sess. 24. cap. 2. de Reformatione, restricta est ad duplex genus personarum, scilicet vna est inter baptizantem, & patrinum, idest leuantem puerum de fonte, ex vna, & ipsum puerum baptizatum ex altera, & hæc uocatur paternitas: nam tam baptizans, quam leuans de fonte, vocantur patres spirituales baptizati. Altera est inter prædictos, scilicet inter baptizantem, & leuantem ex vna, & patrem, & matrem baptizati ex altera; qui adinuicem vocantur compatres baptizati, ea ratione, quam diximus in tractatu de Baptismo.

Dixi (Ex vna) nam inter baptizantem, & leuantem puerum de fonte, non contrahitur talis cognatio: nec inter filios baptizantis, & leuantis ex vna, siue fuerint naturales, siue legitimi, siue adoptiui, & ipsum baptizatum, seu fratres eius ex altera: talis cognatio nunc contrahitur, per dictum Sacrum Concilium. Et vniuersaliter, præter prædictos, omnis alius excluditur.

Et per hoc respondetur ad dubium motum, scilicet, an saltem tale impedimentum contrahatur inter uxorem, leuantis, uel maritum, si leuans est mulier, ex vna; & patrem, & matrem baptizati ex alia? propterea, quod prohibetur de uno coniuge, intelligatur de altero, per regulam correlatiuorum. Dicitur, quòd non: sed solum contrahitur inter eos, qui per Sacrum Concilium nominati sunt, ut declaratum fuit per F.R. Pium V. in quadam Bulla, quæ incipit. Ad Romanum Pontificem, edita 4. Kalendas Decembris, 1566. Ea quoque cognatio, quæ ex confirmatione contrahitur, confirmantem, & confirmatum, illiusque patrem, & matrem, ac tenentem non egrediatur, vt suprà in dicto Concilio. Hanc autem cognationem spiritualem contrahunt solum habentes baptismum, etiam si fuerint schismatici, uel hæretici, ut ait Nauar. cap. 22. nu. 34. quia eorum hæresis non tollit hanc habilitatem: Infideles autem, qui non sunt baptizati, dictam cognationem contrahere non valent: eo quod huiusmodi non sunt capaces, ait D. Thom. & Richard. in 4. Senten. Nota etiam. Qui ante confirmationem dicti Concilij Trident. per Ius antiquum, præter prædictos, contraxerant spiritualem cognationem, post confirmationem dicti Concilij possunt matrimonium contrahere, ac si illam cognationem non contraxissent, ut declaratur in quadam Bulla Pij V. emanata sub die 20. Augusti, 1560. quæ incipit: Sanctiss. in Christo Pater. Quidquid aliud, circa hanc cognitionem dici potest: vide in tractatu de baptismo. His præmissis: Hęc cognatio, si contrahatur ante matrimonium, impedit ipsum, ne fiat; & si fortè attentatum fuerit, dirimit. *Nota.*

Dixi, (Si contrahatur ante) nam si contraheretur post matrimonium celebratum; puta baptizaret filium proprium, non dissolueret matrimonium, sed tantum impediret, ne debitum coniugale quærere posset; quando tamen hoc malitiosè, uel scienter faceret; nisi hoc accideret ex probabili ignorantia, uel in casu necessitatis; cap. Si Vir, de Cognatio. spirituali. Hinc dissoluitur quoddam dubium, scilicet; Si pater fornicarius in casu etiam necessitatis, baptizasset proprium filium ex concubina susceptum, non posset postea eam desponsare, ut Notat Nauar. quo suprà. *Dubij resolutio.*

Dixi tandem (ex statuto Ecclesiæ) nam hoc impedimentum ex auctoritate Ecclesiæ ortum habet. Qui autem oppositum diceret, anathema.

De impedimento Consanguinitatis & Affinitatis.

25 Cõsanguinitas quid sit. Linea recta consanguinitatis. Linea transuersalis. Stipes quid. Gradus quid.

DIctum est suprà triplicem esse cognationem. Dicto de cognatione spirituali, sequitur sermo de carnali, ne ordo interrumpatur. Circa quæ multa à Legistis, & Canonistis intexuntur: nos autem breuiter, quæ necessaria sunt nostro proposito dicemus: & primo quo ad consanguinitatem. Consanguinitas est vinculum, seu propinquitas personarum descẽdentium ab vno stipite, per carnalem propagationem, contractum. Hoc autem vinculum, seu propinquitas personarum descendentium ab uno, est duplex, & propterea facit duas lineas: unam, quæ dicitur recta: puta, unus ab altero, & alius ab alio, & deinceps: quod est dicere, filius est à patre, nepos à filio, pronepos à nepote, & sic deinceps.

Altera linea dicitur transuersalis, dum ambo dicuntur esse ab eodem: puta, fratres & sorores sunt ab uno patre, consobrini sunt à fratribus, & sororibus, consobrinorum filii sunt ab ipsis, & sic deinceps. Primi dicuntur ascendentiũ & descendentium, per lineam rectam. Secundi dicuntur collaterales, per lineam transuersalem. Stipes dicitur illa prima persona, quæ est fons, & origo generationis: puta pater, à quo omnes trahunt originem, dicitur stipes. Iste autem non facit gradum, sed est radix arboris consanguinitatis, à quo rami pullulant: gradus namque est distantia unius ad alterum, & non eiusdem ad se; sed pater non distat à se, ideò non numeratur in gradibus. Omnis persona posita per lineam, tam rectam, quàm transuersalem, facit gradum, in serie: puta, dum ponitur filius, qui distat à patre, per hanc distantiam facit ũnum gradum, & dicitur primus gradus. Nepos distat à patre per filium, quæ est una distantia, & distat à filio, qui est eius pater, per seipsum, per quam distantiam facit aliũ gradum, unde ex quo à stipite distat per duas distantias: dicitur secundus gradus. Pronepos dicitur eadem ratione tertius gradus, Abnepos similiter dicitur quartus. Filius Abnepotis dicitur quintus. Et sic deinceps. Eodem modo in linea Collaterali dicendum est, puta Adam fecit plures filios, qui faciunt primum gradum, & quilibet illorum generando alios filios, faciunt alias lineas transuersales, qui ad inuicem vocantur Consobrini, qui faciunt secundum gradum, filij Consobrinorum, faciunt tertium gradum, & sic deinceps, multiplicãdo generationes, per filios, nepotes, & pronepotes in qualibet illarum linearum distantia, multiplicantur gradus, ut suprà, cum eodem vinculo consanguinitatis, inquantum omnes ducunt originem, per eiusdem sanguinis propagationem ab uno capite, scilicet Adam; Vnde illa propinquitas sanguinis dicitur consanguinitas, idest unius sanguinis societas, & parentela. De his vide Can. Parentela, 35. q. 5. Hoc autem uinculum de iure antiquo durabat usque ad sextum gradum, quo transacto, poterant iterum uniri, vt societas prædicta, & amicitia continuaretur. Itaque quando facienda est coniunctio alicuius viri & mulieris videndũ est, in quo gradu distent à primo stipite, à quo habent originẽ. Igitur linea consanguinitatis est ordinata collectio personarum consanguinitate coniunctarum, descendentium ab uno stipite continens diuersos gradus, ut dictum est. Itaque collectio propriè sunt ipsæ personæ com-

Consanguinitatis linea quid sit.

plexim

plexim sumptæ, scilicet, pater, filius nepos, pronepos, & sicut populus non est aliud, nisi multitudo hominum, ita consanguinitas est illa habitudo propinquitatis, & respectus inter dictas personas, in quantum per propagationem vnius ab altero eiusdem sanguinis originem habent: ipsa uerò distantia personarum, secundum quam filius distat à patre, nepos à filio, &c. dicitur gradus; unde tot sunt gradus, quot sunt personæ distantes descendentes, & ascendentes. Quæ linea descendentium, & ascendentium est una in substantia, sed duæ in respectu; idest incipiendo ab infimo ad supremum dicitur linea ascendentium; incipiendo à supremo ad infimum, dicitur descendentium.

Aliter Legistæ, & aliter Canonistæ computant gradus consanguinitatis, propter diuersas intentiones: nam Iustinianus Imperator, non propter illud graduum mentionem fecit, nisi, ut hæreditas, & successio ab uno ad alteram personam inter consanguineos deferatur. In Canonibus uerò, propterea progenies computatur, ut apertè monstretur ad quartam generationem sit à consaguineorum nuptiis abstinendum; Ibi præscribitur, ut hæreditas propinquis modo legitimò conferatur; Hic uerò, ut ritè, & canonicè inter fideles nuptiæ celebrentur. Can. Ad sedem Apost. 35. quæst. 5. Et quamuis antiquitus illa propinquitas obseruabatur usque ad sextum gradum inclusiuè, quibus finitis, posset cognatio per nouam coniunctionem continuari, ut dictum est suprà, iuxta numerum ætatum mundi, secundum Isidorum, Can. 1. ead. quæst. tamen propter temporum uarietatem, hoc ius postea fuit uariatum. *Legistæ aliter computant gradus.*

Vnde in Concilio Later. c. 50. decretum est, ut ultra quartum gradum consanguinitatis, & affinitatis, non extendatur, quia in vlterioribus, non potest absque periculo huiusmodi prohibitio generaliter obseruari, & habetur capit. Non debet, de Cõsan. & affinit. Qui autem intra istos gradus prohibitos matrimonium contrahit, matrimonium est nullum. Verum in aliquibus gradibus, ex causa legitima, quæ exponi debet, per Summum Pontificem dispensatur, scilicet in quarto quasi semper, in tertio rarò, & in secundo nunquam nisi inter magnos Principes, ex magna causa, & utilitate publica. Et si fortè causa, quæ exponitur, erit falsa, dispensatio obtenta nullum robur habebit, cap. Quia, de consang. & affinitate. Si uerò aliquis scienter inter gradus prohibitos contrahere præsumpserit, vel quod peius est, consummauerit, debet separari, sine spe consequendi dispensationem. Hoc idem etiam fiet, si id ignoranter fecerit, eo quòd despexit sollẽnitates requisitas, s. monitiones, ut supra: quę si factæ fuissent, in talem errorem non incidisset & hoc in pœnã suæ temeritatis, dum negligit Ecclesiã, quæ in hoc tam benigna est, ut habetur in S. C. Tr. Sess. 24. c. 5. Immò per Clementinam primam, de Consang. & Affinit. est excõmunicatus. Si autem sponsalia contracta in tali casu erunt tantum de futuro, non incurret excommunicationem, nisi antequam dispensationem obtineat, futuram uxorem carnaliter cognosceret, ut solent facere aliqui stulti Iuuenes. Nota super hac Clementina citata. Primò, qui contraxit per uerba de præsenti scienter in prædictis casibus, etiã si non consummauit, adhuc incurrit in excõmunicationem. Secundò hæc censura non habet locum in ijs, qui vi, aut metu iusto contraxerunt. Tertiò, quod solum ignorantia facti probabilis excusat. Quartò, quod dictum est suprà, qui contraxit ignoranter, despectis sollemnitatibus requisitis, non incurrit censuram, sed pœnam, idest sperationem, sine spe dispensationis, per dictum Concil. vt ibi: Verum benignitas Ecclesiæ, in tali casu adhuc dispensat. Quintò ignoranter contrahentes, ut suprà: postquam illud sciuerint, si simul cohabitent; donec dispensationem obtineant, non incurrunt cẽsuram, sed peccant mortaliter, quoties carnaliter se cõmiscent. Sextò, ab

Gradus prohibens matrimonium, usque ad quartum gradum.

Nota.

to ab hac censura absoluit Episcopus. De his vide Gloss. super dicta Clementina.

Affinitas quid sit. Quantum ad Affinitatem, dico primo, quod Affinitas est quædam propinquitas personarum, quarum vna cum consanguinea alterius copulam habuit. Pro cuius rei intelligentia est primò notandum: quod hæc affinitas ordinariè contrahitur inter coniuges, per copulam carnalem naturaliter, & perfectè vsum inter eos, ita, ut consanguinei coniugum cum eis quoddam uinculum parentelæ contrahant: Affinitas enim idem est, quod confinitas, ideſt finium proximitas: Agri enim confines dicunt, quia finis unius est proximus fini alterius, ipsum attingendo; ita in proposito: nam cum per copulam carnalem sanguis uiri attingat sanguinem mulieris, per ipsam mistionem, efficiuntur una caro, iuxta illud Gen. 1. Erunt duo in carne una: inde sequitur ut consanguinei viri contrahant cum eius vxore propinquitatem quādam parentelę, & amicitiæ, quæ Affinitas dicitur, in eo gradu affinitatis, quo sunt consanguinitatis cum ipso uiro. Et uice uersa, consanguinei vxoris cum ipso uiro affinitatem contrahunt, eodem modo & gradu. Quæ affinitas est apta impedire, & dirimere matrimonium modo, & forma, ut ipsa consanguinitas, ut supra, dictum est. Dixi (Ordinariè) nam extraordinariè hoc idem accidit inter eos, qui actu fornicario coniunguntur; cap. Discretionem, & cap. Ex litteris, de eo qui cognouit consanguin. vxor. Dixi (Per copulam carnalem) nam per oscula, amplexus, tactus impudicos, & similia, non contrahitur talis affinitas. Dixi (Naturaliter vsum) nam per actum Sodomiticum, seu contra naturam, non contrahitur, quia etsi in illo actu fiat seminatio in vase profano, non tamen fit mistio seminum, seu sanguinum, ut requiritur. Dixi quoque (Perfectè) oportet enim, ut in illo actu seminetur perfectè semen in loco debito; ideſt ut attingat uas generationis, ubi embrio formari solet. Itaque qui cognosceret mulierem extra uas naturale, uel iuxta uas naturale, modo tamen sinistro, ita, ut per illum actum sinistrè operatum, impediretur prolis generatio, non contraheret hoc uinculum affinitatis cum consanguineis illius mulieris, siue fuerit uxor, siue concubina. Can. Extraordinaria, 35. quæstione tertia: nam finis illius coniunctionis carnalis est prolis generatio. Et ideo in tali actu, oportet, ut ambo seminent, siue illud, quod ministrat mulier sit semen propriè, ut tenent dicentes, mulierem concurrere actiuè, minus tamen principaliter: siue sit materia, quę à muliere ministratur pro generatione fętus, ut dicunt tenentes mulierem concurrere passiuè tantum. Itaque quantumcunque uir defloret uirginem, siue penetret uas: si non est uirgo, aut aliud simile faciat; nisi ambo seminent intus in loco generationi apto, ut dixi, nunquam contrahitur dicta affinitas, ut amplè disputaui in prima parte Summæ cap. de Luxuria. Hinc Frigidi, & Maleficiati, eo quod seminare nequeunt, hāc affinitatem non contrahunt. Verum est tamen; per istos, qui matrimonium cōtraxerunt, & nunquam, ut dixi seminauerunt, dum se carnaliter cognouerunt; contrahunt quidem impedimentum publicæ honestatis, ut infrà dicetur, sed non affinitatis.

Affinitas per quem actum contrahatur.

Affinitas triplex. Sed hic nota, quòd Affinitas est triplex, scilicet quæ consistit in primo, secūdo, & tertio genere affinitatis. Quæ affinitatis genera, per hanc regulam inuenire debes, scilicet, persona addita personæ, per carnis copulam, ut paulo suprà dicebam, mutat genus attinētiæ parentelæ, puta, Ego & frater meus sumus consanguinei, in primo gradu consanguinitatis; frater meus duxit uxorem, illa persona addita personæ fratris mei, per carnis copulam, mutat genus attinentiæ, ideſt attinet mihi in alio genere parentelæ, quam frater meus, nam frater meus est mihi consanguineus in primò gradu: & eius uxor est mihi affi-

tnis

nis in primo gradu, ut est suprà explicatum: & hęc affinitas dicitur affinitas primi generis: mortuo fratre meo, eius uxor iungitur alteri viro per secundas nuptias, & ille alius uir erit mihi affinis in secundo genere affinitatis in eodem gradu. Si autem mortua illa mea cognata, relicta fratris mei, eius uir duxerit aliam vxorem: illa alia vxor erit mihi affinis in tertio genere in eodem gradu, ut prima, & secundus. Primum genus dicitur, quia primo emanat de consanguinitate fratris mei, ut vidistis. Secundum genus dicitur, quia secundo loco emanat mediante primo genere. Tertium dicitur, quia tertio loco emanat mediante secundo. De isto secundo, & tertio genere affinitatis, habetur in Can De propinquis, & in Can. Porro 35.q.3. Quæ omnia genera affinitatis prohibebant antiquitus, ac dirimebant matrimonium, eodem modo, usque ad quartum gradum: sed post Innoc. III. sublatum est impedimentum secundi, & tertii generis, ut habetur in cap Non debet, de consang & affin. Itaque affinitas primi generis tantum hodie impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum, usque ad quartum gradum inclusiuè, eodem modo, ut de consanguinitate dictum est. Potest tamen per Summum Pontificem in aliquibus casibus dispensari, ut in gradibus consanguinitatis dictum est suprà.

Affinitas per fornicationē contracta.

Nota, quòd quamuis affinitas contracta per actum fornicarium, eodem modo prohibeat matrimonium contrahendum, & dirimat contractum, usque ad quartum gradum de iure antiquo, sicut affinitas quæ contrahitur per verum matrimonium consummatum, ut suprà: tamen per S. Cōnc. Trid. Sess. 24 cap. 4. de reformatione: hoc prædictum uinculum restrictum est ad primum, & secundum gradum: in vlterioribus autem gradibus, etsi impediat faciendum, factum tamē non dirimit, ad auferenda inconuenientia, quę ex fornicationibus occultis aduenire solent. Post hæc Pius V. ad maiorem matrimonij libertatem, declarauit, dictam affinitatem ex fornicatione contractam, ultra secundum gradum, nec impedire matrimonium faciendum, quin possit sine peccato attentari, ut est uidere in Bulla, quæ incipit: Sanctissimus in Christo pater. emanata sub die uigesima Augusti 1566. Idem Papa declarauit quoque, impedimenta, quæ ante confirmationem dicti Concilii contrahebantur, in dicta affinitate ex fornicatione, ultrà secundum gradum, post confirmationem prædictam non impedire quin possint matrimonia contrahi, ut de cognatione spirituali etiam prouisum fuit.

De Impedimento cognationis legalis.

Cognatio legalis, secundum D.T. in 4. dist. 42. est proximitas proueniens ex adoptione alicuius in filium. Pro cuius rei intelligentia est notandum, quod Adoptio est actus legitimus, per quem assumitur persona extranea in filium, seu filiam, uel in nepotem. Ex quo sequitur, ut qui non est filius, pro filio habeatur, quasi naturam imitando. Et per personam extraneam, intellige illam, quæ non est in potestate adoptantis; quamuis sit de eius familia. Instit. de Adoptioni. in Glossa. Itaque adoptare idem est, quod admittere in hæreditatem, ex gratia. Hæc autem adoptio est duplex. Vna dicitur communis, & simplex adoptio: & est, quando adoptatur aliquis, qui est sub potestate sui patris, uel alterius. Et hæc adoptio fieri potest auctoritate cuiusque magistratus. In qua adoptione, non requiritur consensus adoptati, unde hoc modo infans adoptari potest, & ideo adoptatus non transit in potestatem adoptantis, nec pater adoptans tenetur

26 Cognatio legalis, quid sit.

Adoptio quid sit.

Adoptio duplex.

Adoptio simplex.

netur de necessitate, filio adoptiuo prędicto aliquid in testamento relinquere.

Adoptio dicta arrogatio

Altera adoptio dicitur propriè Arrogatio; Quę à D. Thom. uocatur Adoptio perfecta: & est quando aliquis, qui est sui iuris, transit in potestatem arrogantis, cum omnibus quæ in sua potestate habet: vt sunt filij, nepotes, quos habet, si non sint emancipati, vt sunt iura, & bona, quæ possidet, & similia. Et hæc adoptio, seu arrogatio fieri debet auctoritate Principis. In qua specie arrogationis, dum fit contractus, requiritur expressus consensus, & uoluntas vtriusque, scilicet adoptãtis, & adoptati: & hoc modo arrogatus habet ius in hæreditatem arrogantis; nec arrogans potest eum sine causa exhæredare. Itaque saltem legitimam relinquere tenetur. Secundò notandum est, quòd hæc cognatio legalis, ex adoptione proueniens, vigorem habet ex institutione Ecclesiæ, & non à lege tantum ciuili; quia ipsa sola ad hoc non sufficit, ut benè ait D. Th. Tertiò notandum, quòd huius legalis cognationis tres sunt species.

Nota.

Cognationis legalis tres sunt species.

Prima est quasi ascendentium, & descendentium, scilicet inter adoptantem, & adoptatum, adoptati filios, nepotes, & deinceps. Et hæc cognatio durat perpetuò, non enim tollitur per dissolutionem adoptionis, uel emancipationē filii adoptiui, ait Petrus de Palu. & habetur ff. de Ritu nuptiarum.

Secunda est inter adoptantem, & vxorem adoptati, siue illam habuerit ante, siue post stipulatam adoptionem: & hæc perpetua est, ut prima, ff. de Ritu nuptiarum, l. Adoptiuus.

Tertia est quasi transuersalis, scilicet inter adoptatum, & filios legitimos, & naturales adoptantis: & hæc potest esse ad tempus, scilicet, quia tolli potest, uel emancipatione utriusque, uel per adoptionis dissolutionem, & non alio modo.

Quartò est notandum, quòd quælibet istarum cognationum impedit matrimonium contrahendum, & contractum dirimit, usque ad quartum gradum, ut cognatio carnalis. Can. Ita diligere, 3. q. 3. Et quamuis aliqui dicant, quòd simpliciter adoptatus possit copulari cum filia adoptantis, eo quod talis filius adoptiuus non transit in potestatem adoptantis, tamen contrarium est uerum: per cap. vnicum, de cognatione legali. Verum est tamen, quod in hac tertia specie cognationis tamdiu durat uinculum cognationis, ut non possit contrahere; quam diu durat adoptio: qua soluta, per mortem adoptantis, uel emancipationem adoptati, ut suprà, huiusmodi fratres copulari possunt: quia remota causa remouetur effectus, Cap. 1. de cognatione legali. In prima, & secunda specie, quia per nullam causam tollitur impedimentum cognationis legalis; ideo nunquam datur facultas contrahendi inter eos.

Sed hic dubitatur, an si quis adoptauerit duos filios, sibi; ipsi possint inter se matrimonium contrahere? Dicitur, quod sic, quia hoc non inuenitur prohibitum.

Sed nunquid filius illegitimus adoptantis possit contrahere cum sorore adoptiua (Panormita. & Angel. dicunt quòd non. Sed contrarium communiter tenetur, ait Syluest. Verbo, Matrim. & Nauar. c. 22. nu. 45. quia filius illegitimus non est in potestate patris.

Sed nunquid filius legitimus, & naturalis arrogantis possit contrahere cum filia sororis suę arrogatæ? Dr ꝙ sic, quamuis. n. per arrogationē transeant in potestatē arrogantis filii, & nepotes arrogati; pp quod contrahitur uinculum impediens matrimoniū; hoc tñ intelligitur de filio, in cuius potestate sunt eius filii, & nepotes, & non de filia; quia eius filii, & nepotes non dicuntur esse in sua potestate; & consequenter non transeunt in potestatem arrogantis; & ideò non contrahunt hoc impedimentum. Itaque filius legitimus, & naturalis non posset contrahere cum filia fratris sui per arrogationem, sed benè cum filia sororis, ut

ut dixi. & cum filia fratris adoptiui simpliciter, quia in tali simplici adoptione eius filij non transeunt in potestatem adoptantis, & consequenter non contrahunt tale uinculum.

Sed nunquid pater adoptans possit contrahere cum matre filij adoptiui? Dicitur, quod sic; quia cum ea non contrahitur talis cognatio per adoptionem filij.

De Impedimento Criminis.

PRo intelligentia huius nota, secundum D.T. in 4. dist. 32. q. 3. art. 5. tria Criminum genera impediunt matrimonium contrahendum, & contractum dirimunt. Primum est coniugis occisio machinata hoc fine, ut inter se contrahant. Dixi (Coniugis) puta dum quis occidit vxorem suam, aut uirum alicuius mulieris, vt mutuo coniungantur; quia aliàs non possent. Et è contra, mulier machinatur mortem uiri sui, uel alterius mulieris, ut illius maritum duceret. uerum aliqui dicunt, tunc hoc sequi, quando præcesserit adulterium inter eos. 17 *Crimina quæ impediant & dirimant Matrimonium.*

Sed melius dicitur, quòd hoc sequitur etiam inter eos, si non præcesserit coitus adulterinus: ut habetur in cap. Laudabilem, extrà, de conuersione infidelium. Ibi enim Papa loquitur simpliciter. & ita casus fuit in facto. Dixi (Machinata) quia ad hoc ut matrimonium sit irritum, oportet, ut mors ex amborum cõsensu sequatur. Si autem machinatio mortis fuerit ex una parte, altera nihil sciente, tunc illa mors non est causa sufficiens ad dirimendum, nisi inter eos adulterium præcesserit: ut notat Io. Andreas, & Panormita. quos alii sequuntur. Hoc idem currit, si alter machinantium fuerit Infidelis, & hoc egerit, ut occasione hac Christianus fieret, ut in dicto Cap. Laudabilem: non enim tale damnum, cum tali lucro compensari debet. Dixi (Causa contrahendi) nam si coniugis occisio facta fuerit alio fine; puta casu, uel odio, aut ut eum furaretur, uel simile: per hoc non impediretur; quin posset postea occisi uxorem in suam ducere, c. Laudabilem. Sed nunquid idem sequetur, si homicidium per alium fieri mandauerit, uel saltem, ut fieret consuluerit hac intentione, ut postea illius coniugem acciperet? Dicitur, quod sic, secundum aliquos, quos sequitur Sylue. quo supra. Sed nunquid sola ratihabitio sufficiat, sine machinatione? Dicitur, quòd non, ut notat Glossa super dicto Cap. & alibi. Sed nunquid aliquis habens uxorem, dum adulteraretur cum N. diceret: si non haberem uxorem, ducerem te, & postea si interficeret propriam vxorem, non ea intentione, ut adulterã acciperet, sed alia, cum illa contrahere possit? Aliqui dicunt, quod non. Sed melius dicitur, quòd sic, per antedicta, & consentit Diu. Tho. & Syluest. quo suprà.

Secundum crimen est: quando quis uiuente prima uxore, contrahit de facto cum secunda: ubi multa sunt notanda.

Primum est, si hoc facit scienter, nõ solum matrimonium nullum est, sed etiã mortua prima, si uellet cum secunda manere, non ualet, etiam si longo tẽpore cũ dicta secũda cohabitauerit, & multos filios ex ea habuerit, ca. Cũ haberet, de eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit. &c. Vnde in tali casu, eo, quòd ambo processerunt in dieb. suis, & quasi senuerũt imponitur eis pœnitentia perpetuæ continentiæ: secus si essent iuuenes; & continere non possent. quia tunc datur eis licentia, ut cum alijs nubere possint. cap. Ex litteris, eod. tit. Idem dicendum

tendum de eo. qui ideo duxit secundam, eo quòd cum prima fecerat diuortiũ, quo ad torum, & habitationem, cap. eod. Nisi primũ matrimonium fuerit inualidum propter aliquod impedimentorum dictorum, & dicendorum cap. Significauit, eod. tit.

Secundò, si hoc fiat ignoranter ex utraque parte: puta maritus N. ex multo tempore iuerat in partem longinquam, uel captus fuit à pyratis ex quo putant esse mortuum: tunc uiuente primo, secundum non tenet, ita ut si redierit, mulier debet ad primum reuerti: Verum si postea sciuerint, tempore nuptiarum, primum fuisse viuum, deinde mortuum esse antequàm hoc sciuerint, possunt simul manere, sed requiritur, ut de nouo contrahant, nouum assensum præstando. Si autem ignorantia erit ex una parte: puta aliquis habens uxorẽ uiuam, uult nubere extrà suam prouinciam, figens, & demonstrans, se non habere uxorem: unde secunda bona fide contrahit: quamuis in tali casu matrimonium non teneat; tamen si pars ignorans, post mortem primæ uelit remanere cum coniuge prædicto, potest: nam probabilis ignorantia facit ut non dicatur adultera ignorans factum: immò ad petitionem partis ignorantis, altera pars malitiosè contrahens debet astringi, cap. Propositum, eod. nisi illa uellet diuortium, & tunc possunt cum alijs contrahere; & si uelint remanere, debent de nouo sponsalia facere, ut suprà cap. Veniens, eod. tit.

Tertiò Si postquam sciuerint, coniugem, quem mortuum putabant esse uiuum, sed iterũ sese carnaliter cognouerint, non solum peccant, sed etiã illo cõiuge mortuo postea non possunt amplius adinuicem contrahere, in pœnam adulterij, quod cõmittunt, habita prioris coniungis notitia. Panor. in cap. finali, eod tit. benè possunt cum alijs contrahere.

Quartò qui uiuente prima vxore contraheret cum secunda de facto; deinde mortua prima, antequam consentiret de nouo cum secunda: acciperet tertiam cum tertia remanere debet; quia contractus cum secunda non tenuit, etiam si ignoranter id facerent. secundum omnes.

Quintò, qui uiuente prima, contraxit cum multis, in diuersis locis, ipsis inscijs, mortua prima, cum qua remanere debet? dicitur, cum ea, quam primo cognouit, si illa diuortium non petit, ut suprà dixi, ait Syluest. quo supra.

Tertium crimen est. Si quis uiuente prima uxore, promittit alicui mulieri, post mortem primæ, illam ducturum, ei fidem dando, si ante, uel post fidẽ datam, dum adhuc prima uidebat, ipsam congnouit, non potest amplius illam ducere, mortua prima. Can. Relatum, 31. q. 1. Si autem nec ante post fidem datam eam cognouerit; tunc, mortua prima, potest eam ducere: sed de tali peccato pœnitentiam agere debet, cap. Si quis, eod. tit. Sed hic contendunt Doctores an sufficiat simplex promissio, an requiratur propriè fidei datio, uel iuramentum: Syluest. concludit cum alijs, quòd nuda promissio sufficit ad impediendũ, ut dictum est: nam secundum communem usum loquendi, promittere, & fidem dare, pro eodem habentur. Si autem cognouit eam, siue quamlibet aliam uxorem simpliciter, sine aliqua promissione, uel machinatione, ut suprà, mortuo illius uiro, potest illam sibi desponsare. Can. Si quis uiuente, 31. q. 1. Et multo magis ducere potest uiduam, aut quamlibet solutam, quam cognouerat, uiuente uxore sua, post eius mortem, dũmodo nihil eorum quæ dicta sunt, præcesserint sed solum adulterium, seu concubinatus, cap. significasti, eod. titul. Et quod dicitur de uiro respectu uxoris, in omnibus istis tribus casibus, intelligitur quoque de uxore, respectu uiri: nam correlatiuorũ eadem est disciplina.

De

De Impedimento Infidelitatis.

SVppositis, quæ dicta sunt suprà, de matrimonio Infidelium: dicitur ulterius, quòd quamuis inter infideles sit uerum matrimonium: dummodo nō adsit impedimentū legis Diuinæ, vel naturę: tamē illud dicitur esse officium, & non Sacramentum. Et ideo si quis baptizatus contraheret matrimonium cum non baptizata, etiam si esset cathecumena, & in fide instructa, & è contra, matrimonium est nullum. Can. Caue, 28. q. 1. 18

Sed esto, quòd quis uoluerit baptizari, nec habeat modum quo baptizetur, uel quia deficit aqua, uel quia est inter infideles, qui prohibent ei actum baptismi, uel simile: iste dicetur baptizatus baptismo flaminis, & sunt ei remissa peccata, etiam originale, & quæritur num possit contrahere cum Christiana? Dicitur, quod non ait Vgo, non enim capax est aliorum Sacramentorum, qui non est baptizatus, quia baptismus fluminis dicitur ianua aliorum Sacramentorum. Sponsalia de futuro, cum hac conditione, si baptizetur, contrahi possūt ait ibi Glo & in Can. Non oportet, eadem q. Dixi (cum non baptizata) nam matrimonium contractum cum hæretico, seu hæretica, uel Scismatico, tenet, ait Vgo, & Glos. ibi recepta, sed grauiter peccat contrahens, potest tamen dissolui, quo ad torum tantum, ut supra diximus.

De impedimento Violentiæ, seu Metus.

PRo huius rei intelligentia est aduertendum, quòd uiolentia est duplex, ut ait Arist. 3. Ethicorum. D. Thom. in 4. distinct. 29. & Gl. in Can. Eos qui, de Consecrat. dist. 4. Vna dicitur simpliciter uiolentia, quæ absolutam infert necessitatem, & est, quando quis impellitur, & trahitur contra suam uoluntatem omnino. Et quia motus iste fit à principio extrinseco tantum, passo non conferente uim, excludit omnē ex parte consensum, ideo de hac uolentia non est ullum dubium. Altera dicitur uiolentia conditionata, seu mista, & est, quando quis facit aliquid sua uoluntate, non tamen libera, sed ad id mouetur aliquo timore, propter imminens, uel futurum periculum, aut damnum; Exemplum de Mercatore proiiciente merces in mare tempore naufragij, ob timorem mortis, proijcit quidem illas sua uoluntate, non tamen libera; sed timore mortis fluctuum, alias non proijceret. Et hæc uiolentia, quæ facit uoluntatem coactam, est idem, quòd metus, quamuis enim illa mercium proiectio, quatenus est iactura bonorum, non fit uoluntaria, sed coacta, tamen uestita hac circunstantia, s. timore mortis, ad euitandum maius malum, fit ex electione, & consequenter in tali actu consensus interuenit. Violentia primi generis non cadit in hominē quantum ad appetitum sensitiuum, uel intellectiuum; sed quantum ad corpus, quod potest ligari, & uiolenter trahi, & proijci, ut res inanimatæ. Violentia autem secundi generis, scilicet conditionata, in sola uoluntate, & appetitu sensitiuo, tam hominis, quam bruti reperiri potest, & hæc non nisi per metum, ut dictum est. bruta nanque quandoque timore uerberum faciunt aliquid contra eorum appetitum, ut experimur in bestijs mulionum, quæ uolunt 19 *Violentia duplex.*

flumen pertransire, nisi timore baculi. Cum ergo hęc secunda violentia, sit idem, quòd metus, rectè ponitur titulus, de Impedimento violentiæ, seu metus; hæ enim duæ dictiones, non stant pro diuersis, sed pro eodem, ut unum sit expositiuum alterius. Metus igitur est (vt Canonistę definiunt) instantis, vel futuri periculi causa, mentis trepidatio. Et hic metus est quoque duplex. Vnus dicitur timor leuis, qui habetur de leui malo, vel quandoque de graui malo, sed ex leui causa. Qui metus seu timor cadit in virum leuem, idest in eum, qui leuiter timet; solent enim homines formidolosi, & timidi, vt mulieres, de quacunque re minima metuere: & inde facere, quod non decet. Alter dicitur metus iustus, qui causatur ex re graui, & graui causa, propter quam etiam viri fortes tale malum timent: ideò dicitur; hunc similem timorem cadere in constantem virum; idest vir constans, & fortis animo, iustè, & sine eius dedecore timet aliquod malum imminens, propter quod inducitur contra liberam voluntatem ad faciendum aliquid, quod aliàs non faceret: nam metum cadere in constantem uirum est, virtuti constantiæ, & fortitudinis non repugnare: sed metu illo uinci, & cogi.

Metus quid.
Timor duplex.

Metus cadēs in constātem virum quando dicatur.

Sed difficultas est, quomodo cognoscetur, quando metus est iustus, & quando leuis. Dico, quòd cognosci potest ex obiecto, s. quando periculum, & damnum, quod est causa timoris, est graue; puta mors, mutilatio tam sui, quam suorum, amissio honoris, vel bonæ famæ in persona graui, amissio bonorum, quando tamen ex tali amissione, timeretur postea ducere vitam miseram, & similia: cruciatus corporis, impeditio libertatis, potentia Principis, & huiusmodi possunt esse causa iusti timoris, iuxta sententiam omnium: immò timor reuerentialis patris, vel Domini, quando esset causa sine qua non, dicetur timor iustus, quæ omnia relinquenda sunt iudicio prudentis Iudicis, in casu, ut not. Glos in c. Cū dilectus, de his quæ ui, metusq; causa fiunt Secundò cognosci pōt ex quibusdā circunstantijs, puta, uel ratione sexus; mulieres enim sunt naturaliter magis timidæ, quam homines; unde accidere solet, ut id quod in homine esset causa leuis timoris, in fœmina esset causa timoris grauis, & iusti. Vel ratione ætatis, ut pueri, & puellæ, qui facilius mouentur minis, quam iuuenes, & prouecti. Vel ratione complexionis, & naturæ imbecillis, qui enim sunt natura formidolosi, & timidi, ut quidam homines effœminati, solent ex minori causa trepidare, quàm communiter homines viriles, & e contra inueniuntur aliquæ mulieres magis constantes, & viriles, quam communiter fœminæ. Vnde, quod respectu vnius iudicabitur metus vanus, & leuis, alteri iudicabitur grauis, & iustus. Sed omnia hæc relinquenda sunt iudicio prudentis, scientis super his, per dictas regulas iudicare. Timor leuis est, qui contra ponitur timori iusto; nam ex uno contrariorum cognoscitur, & aliud. Et quia voluntas coacta, voluntas dicitur, ait August. ideo talis timor, ut dixi, consensum admittit: qui dicitur consensus coactus, ut distinguatur contra consensum liberum.

Propterea quæritur, an talis consensus coactus sufficiat ad inualidandum matrimonium? Dicitur, si consensus coactus oritur ex metu iusto, cadente in constantem virum, ut dictum est, matrimonium tali metu factum est nullum, 31. q. 2. Can. primo, 2. & 3. Etiam si in talem metum incideret culpa sua; ut in exemplis infrà dicetur. Et talis metus ait Nauar quo suprà, non solum annihilat matrimonium eius, qui ob illum fingit consentire, & in animo suo non consentit: sed etiam eius, qui verè consentit, sed non liberè, ut dictum est. Ad hoc etiam concurrit D. Thom. in 4. distinctione 29. & habetur etiam in cap. Abbas, de his, quę vi, metusque causa fiunt. licet Cardinalis oppositum dicat, nam contractus matrimonialis requirit consensum liberum ex utraque parte, ut dictum est supra, c. Cum Nullum, de sponsalibus. Et quamuis multi contractus

tractus per talem metum, non inualidentur, ut est uidere in tit. de iis, quæ ui, &c. immò multa sacramenta collata cum hoc timore suum producunt effectũ, ut est uidere in his, quæ caracterem relinquunt: tamen in causa matrimoniali casus iste excipitur, ut notat Glossa in dicto capit. Abbas, quod aduenit ex statuto Ecclesiæ. Et ideo dictum fuit, matrimonium esse nullum, nam ipso iure nullum est, & non, ut dicit Cardin. scilicet, quòd de se sortitur effectum suum, sed per ordinationem Ecclesiæ infirmatur, nam si semel uerum esset, non posset amplius infirmari, ubi secuta esset copula; sed à principio nullum est, ut communiter tenetur, & sequitur Panorm. contra Cardin. & est textus clarus in capitulo Sisignificauit: de Eo, qui duxit in matrimon. &c. nam Ecclesia statuere potuit, ut persona coacta, & durante coactione sit illegitima ad contrahendũ. Dixi (durante coactione) nam si postea liberè consentiret, & altera persona, quæ prius consenserat non mutauit propositum, matrimonium tenet; 1. quæstione 2. Can. 1. Verum post Concil. Trident. solus consensus non sufficeret, sed opus esset noua stipulatione, per sacerdotem, ut dictum est supra, contra matrimonium clandestinum. Hic autem metus tollit matrimonium, quo ad iudicium Dei, & Ecclesiæ. Verum aiunt aliqui, si post consensum coactum permittunt se cognosci carnaliter, & non reclamant, habetur pro rato, nam si dissentiens primò habuit tempus reclamandi, & non reclamauit, præsumitur tacitè consensisse, sed hoc procedit in iudicio Ecclesiæ, quæ iudicat exteriora, sed in iudicio Dei, & foro conscientiæ standum est uoluntati, si qua illam vere mutauit, an non. Et si per annum in circa, perseuerauit, cohabitando, & consentiendo in copula, potens reclamare, & fugere, & non reclamauit, nec fugit, sed se habuerunt ut coniuges, amplexando, osculando, munera acceptando, & similia faciendo, si postea reclamasset, non debet audiri, quia tales actiones uidentur purgare metum, aiunt Doctores: de qua re uide Sylvest. Verbo, Matrimon. 8. §. 11. Sed adde, nisi hæc fiant affectu maritali, quo ad Deum, nihil sunt, potest enim esse, ut eodem metu, quo incœpit tacere, ita perseuerare. Timor autem leuis nõ vitiat matrimonium, id probatur per regulam iuris, scilicet inclusio vnius est exclusio alterius.

Sed est hic valde aduertendum, q̃ timor iste matrimonium dirimens, oportet ut sit illatum ab extrinseco, & non causatum ab extrinseco, ut in tertia parte summę dictum est in materia de uoto ubi examinatur, qui timor vitiat votum. Metus ab intrinseco est, quando causatur ab aliquo Dei flagello, uel à Iustitia, propter peccatorum punitionem, uel ab aliquo casuali euentu, ut à naufragio, incendio, & simili alio periculo. Vel à natura, puta propter aliquam infirmitatem, uel simile. Metus ab extrinseco est, quando causatur ab aliquo agente extrinseco, puta ab animali feroce, sed hoc neque sufficit ad inualidandum matrimonium, sicut neque Votum, sed oportet, ut sit ab homine, neque hoc solum sufficit, nam timor illatus à furibus, seu latronibus, aut ab hoste alio fine, quam ut nubat, non uitiat matrimonium, oportet igitur, ut sit illatum ab homine, hac principali intentione & fine, ut matrimonium contrahat. Hinc sequuntur multa. Primo, qui metu mortis ob aliquam infirmitatem, polliceretur medico, se ducturum filiam suam, si eum sanaret: matrimonium postea factum tenet, quia talis metus non est illatus à medico, sed ab infirmitate, quamuis medicus diceret, hac intentione eum uelle sanare, ut filiam sum accipiat. Item dum latro, ob suum peccatum in carcere manens, ut iustiaretur, si puella promitteret, eum liberaturum à carcere, si eam in uxorem ducere promittat, cui ipse consentiret timore mortis, uel alterius supplicii: si post desponsatam uellet allegare, hoc fecisse mortis timore, non per hoc iudicaretur, matrimonium esse nullum. Idem dicendum, si quis minaretur furem de furto accusare,

Nota de timore dirimente matrimoniũ.

1. Corrolariũ.

2. Corrolariũ.

3. Corrolariũ.

cusare, uel homicidam de homicidio, nisi talem mulierem duceret; non posset postea reclamare hoc fecisse timore supplicij, quia talis timor non sufficit ad inualidandum matrimonium. Item si quis iuuenis incontinens curreret multa pericula de nocte incedendo post meretrices, vxorem duceret, timore alicuius periculi, puta morbi gallici, uel ne caperet in aliquo adulterio, uel ne interficeretur, uel simile, talis timor, quia est ab extrinseco, non sufficit, & idem de similibus iudicandum est. Præterea, si quis minaretur furem de furto accusare, nisi talem mulierem duceret; ille postea non posset reclamare, se id fecisse timore aliquo, quamuis enim timor iste incutiatur ab homine, tamen matrimonium non fit eius impulsu; sed timore pœnæ. Secus si iuuenem in carcerem detruderet, uel eius bona uia indirecta usurparet, ut consensum in matrimonium extorqueret, quia si tunc consentit, illud facit timore alicuius magni damni, vel amissionis bonorum, quæ sufficiunt ad inualidandum matrimonium. Itē si quis puellam raperet, & pater ei minaretur accusationem, uel iniuriæ uindictam, nisi eam duceret; si hoc timore moueretur, aliàs non ducturus eam, esset sufficiens causa discedendi à matrimonio. Idem si cum puella à parentibus deprehenderetur, uim facientibus in eum, ut nisi illam desponsaret, eum interficerent; tunc matrimonium solum hoc timore contractum non teneret, quia in his, & similibus casibus, consensus in matrimonium ab extrinseco, per hominem propriè, hoc fine extorquetur, in quem consentit metu mortis, uel infamiæ, uel alterius magni damni: nisi illi tales sponte se offerrent desponsare, ut talia euaderent. Dico (sponte) sine fictione, quia tunc consensus est liber, & consequenter matrimonium tenet. Idem dicendum, si iuuenis moueretur sponte, quamuis timore Iustitiæ, puta lex præcepit, ut qui aliquam puellam osculatus fuerit, uel aliud simile fecerit; morti damnetur, vel ad triremes condemnetur, & ipse ut euaderet has pœnas, se resoluit animo libero illam in matrimonium ducere, nam uis, quam magistratus rectè intulit iure licito, non vitiat matrimonium. l. Continet. §. Sed vim. ff. Quod metus causa. Nam in istis casibus recitatis, & similibus, quamuis iuuenis moueatur ad consentiendum aliquo timore, tamen timor ille non est causa efficax, sine quia non, qua sponte consentit, sed causa impulsiua, qua se mouet adhibere consensum.

4. Corrolariū.

5. Corrolariū.

6. Corrolariū.

7. Corrolariū.

8. Corrolariū.

Dubium.

Sed nunquid puella contrahens cum aliquo, contra eius uoluntatem, precibus Principis, teneat matrimonium? Aliqui dicunt, quod sic, quia in tali casu non habet iustum timorem sufficientem dirimere. Alij dicunt oppositum: Sed tu dicas cum Ioann. Andr. cui consentit Panormitan c. fi. Qui Cle. vel uou. Si princeps solitus est malè tractare eos, qui non parent suis præceptis, seu precibus, & in summa timuit illum, quia probabiliter timebat ab eo mala magna recipere, tunc talis metus iustus est: & consequenter, sufficiens dirimere. Vnde Versus.

Est orare Ducum, species violenta iubendi.

Idem dicendum est de timore reuerentiali patris, quando tamen pater est ita atrox, seuerus, & durus, malè tractans filios ei repugnantes: secus si moueretur simpliciter timore superioritatis solum.

Dubium.

Sed quæritur vltra, an saltem propter iuramentum præstitum nupta, consensu coacto, in matrimonium quiescere debeat? Et uidetur, quod sic, secundum aliquos: nisi enim coacta iuramenta tenerent, non opus esset absolutione ab illis: sed constat talia iuramenta absolutione indigere, ut patet in cap. Verum, de Iuramento, ergo non sunt nulla ipso iure. Oppositum tenet Rich. dist. 29. & Palud. quæ opinio uidetur probabilior. Soto in 4. dist. 29. q. 1. ar. 3. Nam si Ecclesia inualidat consensum metu extortum, vt dictū est; eadem ratione inualidat

lidat eum, etiam si sit iuramento firmatus. Ad hoc breuiter dicendum securius cum Nauar. quo suprà. In foro iudiciali tale iuramentum non est obligatoriũ. In foro autem conscientię consultum esset, vt consentiret, & iuramentum obseruaret: sin autem absolutionem à superiore obtineat.

De impedimento Ordinis.

Hic aliqua sunt adnotanda. Primo Clerici in minoribus ordinibus constituti, matrimonium contrahere possunt: sed non possunt retinere beneficium, aut dignitatem aliquam: vnde illam resignare debent: aliàs ab Episcopo spoliari possunt. 30 Et si forte post cõtractum matrimonium, Episcopus eis beneficium cõferret, postea non posset illud auferre, sed superior, c. 1. 2. & 3. extrà, de clericis coniugat. Verũ, si vnicã coniugẽ & virginẽ susceperit, & vestes clericales, & tonsuram deferre vellet, quantùm est per c. fin. eod. tit. ad instantiam Reginæ Angliæ, de his reclamantis, non gauderet priuilegio clericali. Sed per c. 1. de clerico coniug. in 6. gaudet quo ad duo tantum, s. Qui eum percuteret, esset excõmunicatus, per c. Si quis suadente, & coram Iudice seculari conueniri nõ posset; secus si habitũ & tonsurã nõ deferret, aut corruptam, vel duas vxores habuisset. Secundò, Clerici in sacris constituti, in Ecclesia Occidentali, matrimoniũ contrahere non valent, c. 1. de clerico coniugato. Et si de facto contraherent, matrimonium est nullum, & statim efficiuntur excommunicati, per Clementinam 1. de consanguinitate, & affinit. quia per statutum Ecclesiæ obligantur ad perpetuam continentiam. Tertiò, licet qui ordines sacros susciperet, continere, aut ad hoc se obligare non intenderet, tamen Ecclesia, quæ neminem ad sacros ordines cogit, statuit, ut qui sacros ordines suscipit, sit inhabilis ad matrimonium: vnde dicit Scotus, sicut uoluntariè Clericus ordines sacros suscipit; ita voluntariè illã inhabilitatẽ incurrit. Sed dubitatur, si susciperet ordinẽ sacrum inuitè, vel ignoranter, an teneretur? Dicit Petrus de Palude, in 4. dist. 37. q omnimodè teneretur, ex Ecclesiæ statuto, potẽtis obligare suscipiẽtes ordines sacros inuitè, & ignoranter, & eos inhabilitare ad matrimoniũ. Sed melius dr cũ D. T. eadẽ dist. & Syluestro, quo suprà: & primò, quo ad ignorantiã: si suscipiens ordinem sacrum, puer esset, ignorans talem obligationem; quamuis characterẽ susciperet, tñ ad castitatẽ non teneretur: talis enim ignorantia excusabilis est. Secus, si esset adultus ignorans ordinationem, & statutum Ecclesiæ, talis enim ignorantia eum non excusaret: & ideo teneretur: Ecclesia namq; vult, ut qui scienter sacros Ordines suscipit, teneatur castitatẽ obseruare: nã in illa ordinatione intelligitur votum emisisse. Secundò, quo ad suscipientẽ inuitè, ait Nauarrus, cap 22. nu. 51. Suscipiens ordinem sacrum, ex metu iusto, ut suprà de metu dictum est, quamuis characterem suscipiat, non tamen obligatur voto continentiæ, illi annexo. Arg. c. 1. de ijs, quæ vi, metúsve causa fi. unde rationabiliter cum eo dispensari potest. Tertiò. Si matrimoniũ præcedit ordines sacros, puta, quis vxoratus, viuente vxore, suscipit ordines sacros, tunc quamuis characterem suscipiat, non tamen per hoc matrimoniũ dissoluitur, ita vxor relicta possit cum alio contrahere. Verum si hoc faceret vxore inuita, & reclamante, non posset ordinum executionem habere, nec amplius ab ea debitum petere, sine mortali: & si peteret, vxor non tenetur reddere: tenetur vtique ipse reddere, si vxor petat; & si mulier quandoq; verecundaretur, ut accidere solet, poterit per signa eius intentionem intelligere, & ita

reddere sine peccato, aliàs semper peccat. Si autem hoc faceret uxore consentiente, tunc recipit cum ordinibus eorum executionem. Sed ipsa tenetur perpetuam continentiam seruare, & uouere, ita ut si uir eius ante moriatur, ipsa non possit cum alio nubere; nec tenetur per hoc Religionem intrare secundū aliquos: Sed melius dicitur. Si est senex, de qua dubitari non possit de eius cōtinentia, sufficit, ut simpliciter continētiam voueat: si autem est iuuenis, vel de cōtinentia dubitatur: tunc consensus vxoris non est legitimus ad absoluendū uirum; nisi ipsa Religionem intret. cap. Agatosa, 27. q. 2. Sed de hoc ultimo satis in Sacramento ordinis propè finem dictum est, vide ibi.

De impedimento ligaminis.

131 *Impedimentum ligaminis quid sit.* Ligamen est, quando aliquis, per sponsalia colligatus est alicui. Super quo dicitur. Qui alicui colligatus est per uerba de præsenti, siue cum ea consummauit, siue non, uiuente prima vxore, non potest legitimè cum secunda contrahere, & si de facto contrahit, siue scienter, siue ignoranter, matrimonium est nullum: ut sæpè dictum est, & habetur, cap. Dominus, de secundis nuptiis: unde debet ad primam redire: & quod dicitur de uiro, intelligitur de muliere: puta habens virum viuum, qui per multos annos è patria discessit, vel à Turcis captus fuit: de quo cum nulla haberetur notitia, cum secundo contraxit, putans esse mortuum; sed ille postea redit, tenetur ad primum redire, etiā si cum secundo longo tempore stetisset, & ex eo filios habuisset. Quæ male, antè S. Concilii reformationem sæpè accidebant. Dum ergo casus acciderit, scilicet quod aliquis ignoranter ducat mulierem habentem uirum viuum, deinde dubitatur de illius morte, per aliqua inditia non certa, tunc debet debitum reddere, & non petere, donec dubium maneat; quod si petat, peccat mortaliter, eodem cap. Dominus. Et si postea certificatur de illius uita, debet se absentare, alias adulterium committit. Omnes autem concurrentes efficaciter ad contractum secundarum nuptiarum, si de morte primi coniugis certitudinem non habuerunt, mortaliter peccauerunt, per Sacrum Concil. Sess. 24. cap. 7. Itaque dum de morte coniugis dubitatur, debet prius certificari deinde cum secundo desponsari. Quę autem dicuntur à Syluest. super certitudine habenda, currunt de iure antiquo: sed post Concil. Trid. vera certitudo haberi debet. Qui uerò contrahit scienter cum secunda, uiuente prima: aut ignoranter: sed habita scientia; quod prima uiuit, si adhuc se cognoscunt carnaliter, efficiuntur adulteri: sed quam pœnam incurrant, uide suprà, De impedimento criminis.

Dubium. Sed hic dubitatur. An aliqua credulitas, sine vera certitudine, excuset cōtrahentes à peccato. Dicitur, quo ad eos, excusat causa probabilis, per iudicium Ecclesiæ: sed Parochus, seu habens curam de hoc peccat, si diligentem inquisitionem non fecit per dictum Concil. quo suprà. Secundò dubitatur. An mulier contrahens cum secūdo, credens suum virum esse viuum, qui reuera est mortuus, peccet mortaliter. Dicitur, si credebat, cum hoc se peccare, utique peccauit, propter conscientiam erroneam, quam habuit. Et an matrimonium teneat? Dicitur, si credebat, hoc sibi licere; idest sic de iure fieri posse, matrimonium tenet: quia reuera, nullum adest impedimentum: si autem credebat, non sibi licere: sciens, quod habens primum viuum, cum secundo contrahere non potest, & ita credebat, tunc matrimonium non tenet, non quidem propter impedi-

pedimentum imaginatum ;quia tale non adest, sed propter intentionem suam ex defectu consensus maritalis, non enim cum tali credulitate affectu maritali contraxit, sed cum affectu adulterino sibi copulauit, & quod dicitur de muliere, intelligitur de viro. Et hoc modo conciliantur Doctores, qui in hoc contrarij videntur, vt notat Sylu. Verb. Matrim. 8. §. 14. & Nauar. c. 22. num. 56.

De impedimento iustitiæ publicæ honestatis.

32

PRo intelligentia huius rei sunt multa notanda. Et Primò sunt reducenda ad memoriam, quæ dicta sunt supra de sponsalibus de futuro, ne idem sæpè repetatur. Secundò est sciendum, quod hoc impedimentum, quod ex sponsalibus de futuro nascitur, sic definitur. Iustitia publicæ honestatis est propinquitas proueniens ex sponsalibus, inducens impedimentũ ad contrahendum matrimonium, & dirimendum contractum, quod impedimentum impositum est ex statuto Ecclesiæ, facientis eos inhabiles ad contrahendum cum consanguineis, propter honestatem rei. Vnde hæc propinquitas oritur inter sponsum, & consanguineos sponsæ, & è contra, intra gradus prohibitos. Dicitur (ex sponsalibus) nam, ut ait Panorm. in c. sponsam, de sponsalibus. hoc intelligitur de sponsalibus de futuro, vt suprà dictum fuit, etiam si copula, non interueniat: & multò magis de sponsalibus de præsenti sine copula: ibi namque est maior honestas, nam superueniente carnali copula, inde causatur affinitas, quæ est aliud vinculum diuersum ab isto, ut dictum est suprà, vnde quandoque ex sponsalibus de futuro oritur solum vinculum publicæ honestatis, & est, quando non interuenit copula; Quandoq; oritur utrumque, & est, quãdo subsequitur copula, ex qua contrahitur affinitas. Et quandoq; contrahitur affinitas tantum, & est, quãdo interuenit copula sine præcedentibus sponsalibus, vt accidit in actu fornicario, ut dictum est suprà. Dictum est etiam in definitione (inducens impedimentum) pro quo nota Tertiò, quòd hæc prædicta propinquitas inducit impedimentum dirimens tam matrimonium, quam sponsalia sequentia, cap. ad audientiam, de spons. sed non præcedentia, puta Petrus contraxit sponsalia cum Berta, quæ antequam celebrarentur nuptiæ, mortua est, ex hoc Petrus non põt ducere postea aliquam Bertæ consanguineam, & si fortè duceret, matrimonium esset nullum, propter impedimentum publicæ honestatis cõtractum per prædicta sponsalia, & sic è contra. Quartò est notandũ, quòd hæc iustitia publicæ honestatis, antiquitus contrahebatur per sponsalia, etiã si erat inualida, quo ad alias causas, dummodò fuissent pura, & certa, ex mutuo consensu, vt in cap. Ex sponsalibus, de sponsal. Sed hodie per S. Conc. Tridentinũ Sess. 24. cap. 3. de reformatione decretum est, ut dicta sponsalia, quomodocunque inualida fuerint, non inducant hoc vinculum sufficiens dirimere matrimonium, uel alia sequentia sponsalia: si non interuenerit copula: nam si copula interuenisset, ratio habenda esset, non ex impedimento iustitiæ honestatis, sed affinitatis contractæ per dictam copulam. Et si quæratur, quæ faciunt sponsalia inualida? Dictum est, suprà in sermone de sponsalibus. Quintò nota, quòd hæc sponsalia antiquitus inducebant impedimentum, vsque ad quartũ gradum, vt consanguinitas: hodie per dictum S. Concil. quo suprà, restrictum est, ut ubi sponsalia ualida erunt, non excedant primum gradum. Dico (Valida)

1. Notandũ.
2. Notandũ.
Definitio.
3. Notãdum.
4. Notãdum.
5. Notãdum.

da) quia iam dixi, quòd inualida non inducunt impedimentum. Et quia dubitatum fuit, de quibus sponsalibus intelligi deberet; ideo Pius V. declarauit, intelligi debere de sponsalibus de futuro, vt est uidere in quadam Bulla, quæ incipit: Ad Romanum Pontificem spectat. Data Kalendis Iulij, 1568. anno Pontificatus 3. Itaque, si quis contraxerit sponsalia de futuro, cum Berta, & postea contraheret per verba de præsenti cum eius sorore, tunc matrimonium cū sorore non teneret, propter impedimentum publicæ honestatis, causatum ex sponsalibus cum Berta: sed debet habere Bertam, & si forte consummasset cum secunda, neutram habere posset: non secundam, propter impedimentum publicæ honestatis, ut dictum est, non primam, propter impedimentum affinitatis ortum ex copula secundæ. In tertio, & quarto gradu nullum istorum inconuenientium interueniret. Sextò notandum est, quòd hoc impedimentum publicæ honestatis, non oritur ex sponsalibus celebratis per parentes, vel tutores, dum filij sunt in minori ætate, in qua ipsi contrahere non ualent: qui sint isti, vide suprà, de Sponsalibus. Nec si sunt in ætate legitima, nisi ipsi expresse, uel saltem tacitè consentiant, puta, si ubi sunt præsentes non contradicunt, uel absentes, & habita de hoc notitia, consentiunt, cap. 1. de Desponsat. impuberum, in sexto. Neque hoc prædictum impedimentum oritur ex sponsalibus conditionalis, donec conditio posita pendet, intelligendo de conditione sponsalia suspendere valente: quæ autem sit ista, suprà de sponsalibus dictu n est. Secus si sponsalia essent pura, uel conditio prædicta adimpleta. Neque hoc impedimentum oritur ex sponsalibus incertis: puta, aliquis promisit ducere [illegible]am de filiabus Titij: dum enim persona cum qua contrahere promittit, incerta est, non contrahitur tale impedimentum cum Titio, & eius filijs; secùs determinatè, nominando talem filiam Titij, cap. Ex sponsalibus, ut suprà, & ibi Glossa. Igitur peccat mortaliter is qui contractis sponsalibus ualidis cum aliqua, postea contrahit tam sponsalibus de futuro, quam de præsenti, cū eius sorore vel cognata infra primum gradum, & dictus secundus contractus non tenet, per ante dicta.

6. Notandum.

Sequitur: Si sis affinis. Sed de affinitate satis suprà dictum est.

De impedimento impotentia coeundi.

11 Primum assertum.

SVper hoc impedimento multa sunt dicēda. Et primò hæc impotentia coeundi in genere dupliciter esse potest, scilicet à natura, & ab arte: Ideò positus est titulus de frigidis & maleficiatis, ad explicandas ambas species: nam per frigiditatem, intelligitur oīs impotentia à natura proueniēs. Et per maleficiū, intelligitur omnis impotentia accidentaria, quæ vel proueniat ab hoīs arte, uel Dæmonis malignitate: per quæ homo fit inhabilis ad coeundum. Dico (ad coeundum) & nō ad generandū: sunt enim hæc ualde diuersa: impotentia namque ad generandum uocatur sterilitas, quæ non est de essentia matrimonii: nā talis impotentia prouenit ex defectu seminis, uel matricis non ualentis, s. fœtificare, & non defectu coniug um, qui naturaliter seminant; sed impotentia coeundi est impotentia ad seminandum in vase generationi debito; sine qua coniuges non possunt esse vna caro. Qui effectus, in his, qui seminare possunt, haberi potest, absq; eo quòd generent, potest enim seminatio frustrari effectu suo s. fœtificare, tam ex parte viri, puta quia habebit semen distemperatū, quā ex parte mulieris; quia matrix erit multum sicca, uel similes & tamen per hæc

matri-

matrimonium non erit inualidum; quia per accidens se habent hi defectus. Secundò dico, quòd sicut hęc impotentia coeundi facit hoiem impotentem ad copulam, ita ad contrahendum matrimonium, c. 2. de frig. & malefic. Rationem assignat D. Th. in 4. dist. 34. Sicut enim in alijs contractibus, non est côueniês, vt quis se obliget ad ea quæ facere, vel dare non valet; ita in contractu matrimonii quo unus alteri obligatur, ad reddendum debitum: contractus per eum qui debitum soluere non valet, conueniens non est. Et quamuis copula carnalis non sit de essentia matrimonii, vt supra probatum est, tamen possibilitas, & aptitudo ad id faciendum, & obligatio ad ipsam copulam, essentialis est. Est igitur potentia seminandi ad matrimonium necessaria. Tertiò impotentia coeundi est triplex, quædam est simpliciter perpetua, & est illa, quæ omni arte, & medicinæ remedio est destituta. Quædam autem ad tempus, & est illa, quę vel solo tempore, uel artificio aliquo tolli potest: quædam uerò, quæ potest esse perpetua & temporanea non respectu omnium, sed aliquarum personarum, & est, quando vnus est aptus ad coeundum cum vna, & non cum alia: quod accidit, uel ex ineptitudine viri, puta est aptus coire cum corrupta, & non cum virgine, uel ex turpitudine mulieris, puta est aptus coire cum pulchra, & non cum deformi: uel ex indispositione membrorum, puta mulier est ita arcta, ut cum uno coire non potest, & cum alio potest. De quibus dicemus per ordinem, & primo de impotentia naturali. *Secundum.* *Tertium.*

Impotentia naturalis, & perpetua coeundi, quę inuenitur in castratis à natura, natis sine testiculis, hermaphroditis, qui in utroq; sexu non præualent, & similibus, suapte natura matrimonium faciendum impedit, & factum dirimit. Dico (Naturalis) ad differentiam eius, quæ per accidens uenit, ut dicetur: Dico (Perpetua) ad differentiam eius, quæ est ad tempus, ut infra. Dico (Coeundi) & non generandi, ratione, qua supra. Dico (Suapte natura) nam cum tale impedimentum sit perpetuum, ac omni prorsus remedio destitutum, quantum est ex natura sua, matrimonium nullam habet legitimationem. Sic enim dicitur in capitulo, Quod sedê, de frigid. & malefic. f. Qui impotentes sunt, minime apti ad matrimonia contrahenda reputantur. Vnde, qui tale impedimentum habens, scienter contrahit, peccat mortaliter: Sed separandi sunt, & mulier cum alio nubere potest. Dixi (Mulier) quia hæc species frigiditatis solum in uiris inuenitur. Verumtamen, si mulier cum ipso remanere uoluerit, tunc uir, eo quod scienter contraxit, eam decipiendo, non poterit recusare, & ab ea discedere: & allegatio talis impedimenti ei non suffragatur, cap. consultationi, eodem tit. ut etiam Rabanus ait; & est argum. cap. 1. extrà, de eo qui duxit in matrim. quam poll. per adulter. *Impotentia naturalis perpetua.*

Impotentia naturalis ad tempus, quæ scilicet est in puero, matrimonium impedit, ut supra dictum est: & habetur cap. Quod sedem, de frigidis, & malefic. Et tam diu durat impotentia ad contrahendum, quamdiu durat impotentia ad coeundum: Dixi hoc, quamuis enim regulariter duret usque ad decimum quartum annum expletum, tamen quandoque malitia supplet ætatem, & tunc tempus aptum acceleratur, ut supra diximus. Et de sene non potente coire, uide ibi. *Impotêtia naturalis ad têpus.*

Impotentia naturalis medio modo se habens, quandoq; dirimit, quandoque non; ista namq; esse potest, uel respectu nimiæ caliditatis, pp quam homo uix attingit uas, & semen spargit, & seminat extra, ita, ut nunquã intus attingere ualeat, unde impeditur seminatio in uase debito, & consequenter corporũ cômistio, in qua perficitur actus matrimonialis, ut sup. dictum est. Vel impotentia ista causari põt ex mala qualitate viri, quia f. vir, ut ait Auicenna, non conuenit quandoque cum muliere, puta non potest moueri ad turpem, sed ad pulchram, *Impotêtia naturalis medio modo se habens.*

chram, vel quia est ita ineptus, ut cum virgine non possit, sed cum corrupta; vel impotentia prouenire potest propter disparem membrorum proportionem, puta membrum virile erit excessiuum, & mulieris arctum, ut non possint conuenire.

34 Sed hic quæritur, quando ista impedimenta dirimant matrimonium celebratum? Dicitur, si impedimentum est perpetuum, ita, vt nullo humano remedio subueniri possit sine mortis periculo, dirimit omninò, si autem est temporale, aut aliquo medicamine succurri potest, non dirimit, c. ex litteris, de Frigidis, & maleficiatis. Verum hoc difficile est iudicare, vnde Ecclesia ad hoc experiendum, & iudicandum constituit tempus trium annorum continuorum, ut infrà tale tempus, dando operam ex utraque parte rei maritali, possint inde expediri de tali impedimento, siue sit perpetuũ siue non, quo triennio elapso, si inueniatur matrimonium non consummatum, iudicio Ecclesiæ dissoluendum est, capitulo Laudabilem, eodem titulo. Dixi (trium annorum) quando s. dubitatur an impedimentum sit perpetuum, nam si alia via probari posset, impedimentum esse perpetuum, non opus esset expectare triennium, sed statim essent parandi. Verum, in prædictis est differentia, scilicet, si impedimentum est respectu unius personę, dicta persona impotens remanet perpetuò inhabilis, sine spe coniugij, & altera liberè potest cum alio contrahere, & è contra, quia impedimentum unius, alteri obstare non debet. Et de impedimento uiri extat text. in capit. Laudabilem, de impedimento autem mulieris extat cap. Ex litteris, eodem. De impedimento utriusque extat text. in Can. requisisti, 33. quæstio prima, ut ambo maneant celibes. Si autem impedimentum erit respectu illius personę, cum qua contraxit, & nõ aliarum, puta est ligatus cum illa, & non cũ alijs, uel est impropotionatus circa uas huius mulieris, & non circa alias, tunc possunt ambo transire ad secunda vota, & hoc est si uelint separari, puta mulier dicit, uolo esse mater, & uir dicit, uolo esse pater; nam si de hoc non curat, possunt simul cohabitando, manere, & si non tanquam coniuges, saltem tanquam frater, & soror. In quo casu, non possent uti amplexibus, osculis, & actib. lasciuis, sine mortali: quia ut aliàs dixi, huiusmodi ordinata sunt ad actũ carnalem, quem ipsi tractare non possunt, debito honestatis, cũ inter eos non sit matrimonium, quod huiusmodi actus honestat. Verum, si data sententia separationis per iudicium Ecclesiæ, eo quòd consummare non poterant, si postea qui apparebat impotens cum sua, cum alia persona facta est potens ad primam, debet ad illam reddire, etiam si illa interim cum alia persona nupserit, cum enim inuenitur impedimentum illud non fuisse perpetuum, primum matrimonium tenuit, & non secundum, & si ecclesia decepta fuit, falsò sententiando, debet reuocare sententiam, nisi alter eorum interim ad religionem transierit, & uotum sollemne emiserit, cap. Fraternitatis, de frig. & malefic quid facere poterat, eo quòd matrimonium non erat consummatum: Sed hanc sententiam Richardus, aliique Doctores non approbant ita uniuersaliter: Vnde, ut aliquo condimento temperetur, utendum est regula Innocentii, super dicto capitulo, Fraternitatis, ad discernendum, quod impedimentum est perpetuum, & quando temporale: scilicet tunc impedimentum esse perpetuum iudicari debet: quando preter Diuinum miraculum, aut sine mortis, aut magni damni periculo, illud haberi non potest. Quo fit, ut qui ineptus inuenitur ad virginem, & non ad corruptam, si talis ineptitudo accidit ex imbecillitate, aut ignauia, non valens virginem cogere, quæ verecundia, vel rupturæ timore, non permittit penetrationem, in quo contractu vir amittit vigorem, & ita consummare non ualet, ut quandoque talia accidisse audiui, hoc non sufficit ad dirimendum matrimonium. Neque si hoc accidit ex forti claustri virginalis

clausura,

Dubium, quãdo coeũdi impotentia dirimit matrimonium celebratum.

Ineptus ad virginem.

clausura; idest membrana dura; ait enim D. Tho quo suprà, quod in hoc casu claustrum pudoris instrumento medicorum frangi potest; quamuis non sine aliqua molestia, & dolore, ut quandoque audiui fuisse factum. *Clausura claustri virginalis.*

Sed quid si mulier timore illius doloris, & molestiæ, uel alius, id permittere non sinat? Respondetur, dummodò medici iudicent, id euelli posse aliquo remedio, sine magno periculo, ut dixi, illa possibilitas tollendi impedimentum, facit ut matrimonium sic firmum, iudicetur: siue ipsa uel it, ut auferatur, siue non; Ratio est: nam illa, quæ nunc remedium renuit, si postea permitteret, vt impedimentum auferretur, nonne matrimonium maneret sine nouo consensu in illud? vtique maneret; ergo antequam permitteret, manebat. Quantum ad illum, qui ob nimiam caliditatem semen spargit foras, & consumare nõ potest, ait Diu. Tho. uix posse esse perpetuum; illa enim caliditas cum tempore temperari potest; vnde expectandum est tempus ab Ecclesia præfinitum. Quãtum ad illum, qui cum turpi, & deformi consumari non valet, dicitur: quòd hæc conditio nihil obstat matrimonio, est enim nimis accidentalia, & cum tempore transit. Quantum ad illos, qui habent membra disparia, est maior difficultas in iudicando. Dicendum est tamen. & primo, si defectus est ex parte mulieris; puta habet vas ita arctum, ut iudicetur esse omnibus communiter inhabilem, non est dubium, tale impedimentum esse perpetuum, & consequenter factum dirimere matrimonium: immò in tali casu esset refellendã, ut nulli nubat. Secundo si defectus est ex parte utriusque, puta ambo peccãt de extremo, scilicet vir ita magnum, & mulier ita arctum membrum habent, ut nunquam possint simul conuenire; quamuis cum tertiis personis conuenirẽt, matrimonium dirimendum est, ratione qua suprà, & cum idoneis nubat. Tertiò si disparitas erit tantum ex parte viri; puta habet membrum ita magnum, ut mulier ipsi idonea non sit: uerum si prius ab alio cognosceretur, tunc fieret ei ad consummandũ idonea: quod ex triplici causa accidere posset: vel quia tali disparitati succurri posset aliquo mediocrum remedio, puta incisione aliquã sine periculo, dilatatione, vel saltem frequenti vsu, & si ita esse iudicabitur, non debent separari. Vel hoc non sufficeret, sed si per alium, cui esset idonea, cognosceretur prius, ex illius frequenti vsu postea primo idonea fieret, tunc non esset licitum per actum fornicarium id procurare: nam impedimentum, quod sine peccato auferri non posse iudicatur, non dicitur auferibile, sed expectandum est triennium, ut suprà: ut si fortè dando operã rei uxoriæ, per illud tempus continuum, fiat usu continuo postea idoneum: nã uas mulieris, per illum continuum usum posset dilatari: Quod si hoc non sufficiat, transacto triennio, possunt separari, ut suprà, & cum aliis copulari. Et si mulier copulata cum alio, facta sit postea primo idonea, ad primum debet ne redire? Dicunt, aliqui ut recitat Syluest. quod sic, per cap. Fraternitatis. Sed alii melius dicunt cum Glossa super dicto c. ꝙ non. Et ratio est, nam ex quo supponitur, dum primo desponsata fuit, erat de facto inhabilis ad consummandum, quia sine vitæ periculo, vel peccato mortali fornicationis, illi idonea fieri non poterat matrimonium primum fuit nullum (vt habetur in fine dicti capituli, & notat Glossa) ita, vt si fortè rediret ad primum, indigeret nouo consensu quia respectu illius, semper iudicabatur impedimẽtum perpetuum: ergo cum consummauerit cum secundo, cum illo tenet matrimonium. Textus autem per aduersarios allegatus intelligitur de illa, quæ alio remedio conuenienti erat apta cognosci à primo, quod rei euentus in secundo consimili indicauit, ut ibi tangitur. Vnde quia per errorem iudicata fuit impotens, maximè quia iudicium factum fuit per obstetrices, quæ in talibus sæpè falluntur, ut ait Glos. ibid. ideo Papa ordinauit, ut ad primum reuerteretur, quia stante potentia, seu

Nimia caliditas.

Turpitudo mulieris

Habentes mẽbra disparia.

possi-

possibilitate respectu primi, ut dixi matrimonium eius tenebat. Quando verò in huiusmodi uerum iudicium fieri non potest, quia difficilis est casus, unde totum iudicium pendet ex futuro euentu, consulendus est Papa.

35 *Impotentiam accidentaria duplex; una ab arte causata, altera ex maleficio. Castrati qui dicantur. Eunuchi. Spadones.*

Impotentia accidentaria est duplex, scilicet una ab arte, altera ex maleficio causatur. Ab arte causatur, dũ aliquis orbatur testiculis, vel membro, vel utrisque, ut accidit eunuchis, castratis, & spadonibus. Qui licet quandoque pro eodem sumantur, propriè tamen Castrati dicuntur, qui sic nati sunt, ut suprà diximus. Eunuchi autem qui à dominis castrantur, ut eorum uxoribus seruiãt, uel à parentibus in pueritia, ut uocem puerilem seruent pro cantu. Spadones verò dicuntur, qui postea euelluntur. Alij sunt, qui testiculos maceratos, aut defectuosos habent, propter aliquam infirmitatem. Et omnes prædicti, ex quo seminare non ualeant, matrimonium contrahere non possunt. Et quamuis aliqui istorum uirgam erigere possint, & vas mulieris penetrare, non per hoc sunt apti matrimonio: ut ait Glos. in Can. Hi qui, 32. q. 5. Et alij, quos refert Sylue. dicentes, quòd mulieres prouocant, & eis aliquo modo satisfaciũt, sicut mulier viro satisfacit, siue resoluat, siue nõ, quia hoc tantum non sufficit, sed oportet ut seminent, quia seminatione efficiuntur una caro, & matrimoniũ perficitur, vel saltem ad id aptitudinem habeant, ut dictũ est. Et si aliquid emittere videantur, secundũ aliquos, illud non est semen, vt attestantur medici. Bene verũ est, ꝙ habẽtes vnum testiculum, legitimum matrimoniũ contrahere possunt, ut ait Panorm. in ca. Quod sedem, de Frigid. & Malef. Si uerò mẽbra genitalia ita debilitata habent, ut possent quidem seminare in uase debito, sed inualidè ad generandum: hoc sufficeret ad contrahendum, ut communiter tenetur, & recitat Syluest. Verbo, Matr. 8. §. vltimo: dictum est enim suprà, non effectus generationis necessariò requiritur ad faciendum matrimonium ualidum, sed aptitudo, & uis.

36 *Impotentia ex maleficio causata, & varia maleficiorum ligamenta.*

Ex maleficio causatur impotentia coeundi malignitate Dęmonum, vel Magorum vtentium arte magica, Dæmonum potestate: possunt enim Dæmones (Deo permittente, propter hominum peccata, uel alias) mouendo hominis fantasiam, ad illusionem quandam, vxorem uiro & uirum uxori exosum reddere, ut non possint conuenire; possunt etiam membrum virile impedire, ne erigatur, uel erectum, ne consumet, sed relaxetur, ex multis causis, & multa alia facere possunt, applicando actiua naturalia passiuis. Hoc idem faciunt incantatores, & incantatrices Dęmonum potestate; hominum uirilia incantando, ne actum venereum perficere valeant, ea ligando, & impediendo, quibusdam rebus, & uerbis: quæ incantationes vulgariter, ligaturæ nominantur.

Vnde huiusmodi non potentes coire, ligati nominantur: de quibus frequenter audiui: & ne tales res, quibus ligati sunt postea inueniantur, & dictæ ligaturæ dissoluantur, ipsi incantatores eas abscondunt, ut postea possint dictos ligatos libito suo dissoluere. Hæ autem ligaturæ vt plurimum fiunt à mulieribus iuuenes amantibus, propter zelotipiam: cum enim habeant aliquem iuuenem in amatorẽ, timentes nẽ aliam adamet, uel uxorem ducat, eum ligãt hoc modo, ut cognita per ipsum impotentia coeundi cum alijs, remaneat cũ ea, & hanc ligaturam quandoque faciunt respectu omnium mulierum, quandoque respectu unius, de qua suspitionem habent. Quandoque prædictæ ligaturę fiunt, tam ab hominibus, quam à mulieribus, circa maritum & uxorem, antequam desponsentur, vel post sponsalia de præsenti, antequam consument, vel postquam conuenerint primo, ne possint postea prosequi rem vxoriam; & hoc faciunt, uel animo displicendi, uel intuitu auaritiæ, scilicet fingentes se nescire auctorem maleficii, sed offerentes, se posse illas ligaturas dissoluere, ut inde aliquid doni acciperent. quibus omnibus Dæmones obediunt, vel

ex pacto inter eos inito; vel propter magnam fidem, quam talia operantes in eis habent; ut dicti Dæmones possent eos miseros in maiores errores inducere, quæ omnia à talibus audiui fuisse facta. His stantibus, dicuntur multa. Primò si maleficium prædictum præuenit matrimonium, illud impedit, ne fieri possit. Can. Si per sortiarias. 33. q. 1. Secundò, si tale maleficium erit uniuersale, respectu cuiuscunque mulieris: illi, cui sic uniuersale est non datur facultas, simpliciter contrahendi. Tertiò, si maleficium est particulare: puta vir manet ligatus cum uxore ita, vt non possit consummare; sed cum ceteris minimè, tunc si impedimentum est temporale, matrimonium non dirimitur. Si autem est perpetuum, dirimitur, ut de frigidis dictum est.

Sed quia sciri non potest, sit ne impedimentum temporale, an perpetuum; eo quòd hoc pendet ex uoluntate facientis maleficium, ut dictum est: ideo coniuges si acciderit non posse consummare, per triennium continuum debent simul manere, & rei vxoriæ operam dare, & si transacto triennio, non cõsummauerint, per iudicium Ecclesiæ separari debent, & cum alijs nubere. c. Litteræ, de Frigid. & Malefic. Hæc est enim differentia inter frigidum, & maleficiatum: qui frigidus est, si est impotens respectu unius, est etiam respectu omniũ, & propterea nulli coniugi permittitur: qui autem est maleficiatus, potest esse impeditus respectu vnius, & liber respectu aliarum, & ideo cum aliis contrahere potest.

Sed hic dubitatur postquam dictum est has ligaturas dissolui posse: licet ne uti alio maleficio, ut matrimonium perficiatur, & non dissoluatur cum aliquo dedecore ambarum partium, puta tractare cum Dæmoniis, vt maleficium auferant, uel cum alijs incantatoribus, ut per alia maleficia ligaturam dissoluant? Respondetur communiter, quòd non, etiam si ad hoc sponte essent parati. Immò dicit D. Tho. quantumcunque ex dictis maleficiis nobis beneficium resultaret, non licet uti Dæmonum potestate, tum quia hostes nostri sunt, unde, quidquid faciunt ad nostram perniciem dirigunt, & ideo eis non est danda fides; tum etiam quia in baptismo eorum pompis, & auxiliis renuntiauimus, ideò graue peccatum esset. Sed quid agendum illis, quibus ista eueniunt? hortandi sunt, ut corde contritio, & spiritu humiliato, Deo, & sacerdoti de omnibus peccatis suis puram confessionem faciant, & profusis lachrymis, & largioribus eleemosynis, & orationibus, atq; ieiuniis, Domino satisfaciant, & per exorcismos, & cetera Ecclesiæ medicinæ munia ministri Dei tales sanare procurent, quantum Dominus annuerit, qui Amalech, & eius domum orationibus Abrahæ sanauit: cum enim huiusmodi, propter peccata Dominus quãque permittat, remota causa, remouetur effectus. Licitum tamen esset, aiunt Doctores, si sciretur, ubi sunt ligaturæ, seu res, quibus tales ligati inueniuntur, illas inde subtrahere, & rumpere: vel quando sciri posset auctor maleficii, illum rogare, immò pecunia corrumpere, vt illas ligaturas, quas habet absconditas, sepultas, aut suspensas, inde auferat: quia sic ligatura dissoluitur: hoc enim modo, non est maleficio uti, sed maleficium factum destruere.

Dubium an liceat uti maleficio ad dissoluendum ligaturas.

Dubitatur secundo, An si Ecclesia, in separando huiusmodi decepta fuerit, per errorem: puta si vir, qui ligatus erat, contracto matrimonio cum secunda, primam actu fornicario tentauerit, & impedimentum sublatum inuenerit, ad illam, relicta secunda, redire teneretur? Hic sunt opiniones: nam ex Can. Si per sortiarias, habetur, quòd non tenetur. Sed Glo. ibi, quam sequitur Ricchardus, & quidam alii, dicunt, quod redire debent. per Can. Requisisti, ea. q. Nec obstat dictus canon, ille namque non est tantæ auctoritatis: quia factus fuit ab Archiepiscopo Rumensi, qui huius rei ignarus fuit: censet enim ista secunda opinio, nullum maleficium esse perpetuum, & ideo dicit, de maleficiatis aliter dispo-

Dubium circa deceptionẽ Ecclesiæ.

1. Opinio.

2. Opinio.

disponendum est. Vnde Sotus dist. 34. q. vnica art. concludit cum istis, si per actu fornicarium, post diuortium factum, experiretur impedimentum non esse: credit Ecclesiam, ut deceptam, eos ad primum matrimonium reuocare. Ita etiam tenet Sylu. quo suprà. Summa autem Angelica, Rosella, & alij, ita distinguunt: Si maleficium erat vniuersale respectu cuiusque personæ ex quo iudicabatur impedimentum perpetuum, si casu postea conuincitur, cognouisse secundam, redeundum est ad primam, quia idem cognoscitur, non fuisse perpetuum, & consequenter Ecclesiam fuisse deceptam. Si autem impedimentum erat particulare respectu primæ tantum, contracto cum secunda, non redibit ad primam: si forte tunc cognosceretur, impedimentum sublatum esse, quam cum prima stante impedimento, matrimoniũ non fuit validum, sed cum secunda, & ita tenendũ est. Pro cuius intelligentia notandum est, quòd inter frigidos, & maleficiatos, hæc est differentia, scilicet in verè frigidis, cum impotentia sit naturalis, sequitur, ut sit perpetua, unde tales sunt omnino inhabiles ad contrahendum, cum autem per Ecclesiam, talis iudicatus fuerit inhabilis, & postea experietur, aliam cognouisse, certum est, quòd iudicium illud fuit falsum, & ideo reuocandus ad primam, cum qua contraxerat, ut dictum est suprà. Sed de maleficiatis aliter dicendum est, cum enim maleficium non sit à natura, sed à Dæmonum arte, quod dupliciter accidere potest, ut dicebamus, uel applicando actiua passiuis, mutant complexionem, & uim seminandi destruunt, & hoc modo tale maleficium induceret impedimentum perpetuum respectu cuiusque, & consequenter idem iudicium de eo faciendum esset, ut de frigido, qui casus rarò accidit. Vel maleficium fiet per ligaturas ab incantatore, respectu unius, & non alterius personæ, quod frequenter accidit. Et hoc impedimentum licet respectu causæ efficientis, dicatur esse temporale, eò quod dependet à uoluntate incantatoris facientis ligaturam, ut dicit secunda opinio, uel alterius malefici potentis soluere per alia maleficia; tamen formaliter loquendo, iudicatur perpetuum, nisi enim incantator, mutando uoluntatem, auferat ligaturam, ligatus liberari non potest, nisi precibus Ecclesiæ, ut diximus, uel per aliud maleficium. Et quia ut dictum est suprà, impedimentum, quod sine peccato, aut miraculo auferri non potest, auferibile non dicitur, ideo in casu, quo per triennium, adhibitis omnibus remediis, & diligentiis supradictis, impedimentum non auferretur, quod respectu agentis, si adesset, erat auferibile, ut temporale, respectu modi auferendi alia uia, iudicatur perpetuum. Vnde Ecclesia in casu, dissoluendo matrimonium, & separando personas, non facit illud irritum, sed declarat illud esse nullum. Itaque impeditus ex tali maleficio, contrahendo cum secunda, cum qua non est ligatus, uerè contrahit; unde cum secundum sit uerè matrimonium, & non primum, sequitur, si post contractum secundum matrimonium, immò post diuortium factum, si auferretur ligatura, non est ad primam per hoc reuertendum: signum huius est, quòd si non contraheret cum secunda, facto diuortio, ligatura auferretur, si uellet ad primam redire, oporteret, ut de nouo stipularetur. Et ita per hæc, & alia, quæ dicta sunt supra circa impedimentum naturæ mulieris arctæ, & reclusæ, tertia opinio recitata sequenda est. Nec obstat, quod dicit secunda opinio, per Can. Requisisti, ibi enim Gregorius Papa loquitur de frigidis, & in Can. Si per Sortiaria, Archiepiscopus prædictus loquitur de maleficiatis, itaque sunt diuersi, & non contrarij.

3. Opinio.

Nota Auctoris rationem.

Quartò dicitur. Si prædicta impedimenta, tam à natura quam ab arte, & ex maleficio, superuenerint post contractum matrimonium, illud non dirimũt. Sed nunquid dirimerent, si celebratis nuptiis per uerba de præsenti superuenissent, ante consummationem: aliqui dicunt, quòd sic, sed oppositum est uerum, nam

quod